This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

Digitized by Google

132

2941 e 135

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

Digitized by Google

On souscrit, à Paris,

CHEZ N. E. LEMAIRE, Éditeur, boulevard Italien, n° 22, en face des Bains Chinois.

BARROIS l'aîné, libraire, rue de Seine, n° 10, F^bg. St.-Germ.

DE BURE, frères, libraires du Roi et de la Bibliothèque du Roi, rue Serpente, n° 7.

P. DIDOT l'aîné, imprimeur du Roi, rue du Pont de Lodi, n° 6.

F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.

TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.

AUG. RENOUARD, libraire, rue St.-André-des-Arcs, n° 55.

BOSSANGE, père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.

BRUNOT-LABBE, libraire, quai des Augustins, n° 33.

MONGIE aîné, libraire, boulevard Poissonnière, n° 18.

AL. EYMERY, libraire, rue Mazarine, n° 30.

DONDEY-DUPRÉ, imprimeur-libraire, rue St.-Louis, n° 46, au Marais; et rue Neuve-Saint-Marc, n° 10.

H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.

N. PICHARD, libraire, quai Conti, n° 5.

ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Haute-Feuille, n° 23.

Et chez tous les libraires de France et des pays étrangers.

Digitized by Google

VALERIUS MAXIMUS

ET

JULIUS OBSEQUENS

CUM SUPPLEMENTIS

CONRADI LYCOSTHENIS

Digitized by Google

EXCUDEBAT FIRMINUS DIDOT,

REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

Digitized by Google

VALERIUS MAXIMUS

DE DICTIS FACTISQUE MEMORABILIBUS

ET JUL. OBSEQUENS

DE PRODIGIIS

CUM SUPPLEMENTIS

CONRADI LYCOSTHENIS

ET SELECTIS ERUDITORUM NOTIS

QUOS RECENSUIT NOVISQUE ACCESSIONIBUS LOCUPLETAVIT

CAR. BENEDICT. HASE

IN SCHOLA REGIA SPECIALI LINGUARUM ORIENTALL. RECENTIORR. PROFESSOR, IN BIBLIOTHECÆ REGIÆ PARTE CODD. MSS. GRÆCOS ET LATINOS COMPLECTENTE AGENS, ETC.

VOLUMEN PRIUS

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXII

Digitized by Google

Digitized by Google

EDITORIS PRÆFATIO.

Annus est, aut non multo secus, ex quo ad editionem Valerii Maximi adornandam invitavit me vir clarissimus N. E. *Lemaire*, poeseos latinæ in Academia Parisiensi professor, editorque hujus Bibliothecæ classicæ latinæ. Quem ipsum, litteris exquisitis ac poëtica laude in primis nobilem, celebrare non dubitarem, si pateretur talis viri modestia, et communium laborum societas. Ita ego voluntati viri docti, rem magnam et maxime utilem aggressi, nolui deesse: et allectabat ultro auctor varius, multiplex, copiosus, quem jampridem legeram perlibenter. Ideo non dubitanter recepi editoris provinciam: qua quid præstitum sit a me, summatim breviterque exponam.

Illustrando Valerio Maximo operam adhibuerunt interpretes aliquammulti, magnique nominis critici, ex quibus Vorstium, Colerum, Pighium, Lipsium, Perizonium, Corradum, Badium, Fungerum, Oliverium, Thysium, Torrenium, Kappium, Helfrechtum nominasse sufficiat: in tanta tamen, quæ Valerii orationem passim premit, caligine, nostræ operæ non tam spicilegium quam messem intelleximus superfuisse. Nam textum quidem, ut nunc loquimur, ex editione Bipontina, quæ duobus tomis Argentorati anno 1806 prodiit, expressimus, obtemperantes ea in

Digitized by Google

re desiderio eruditissimi editoris Bibliothecæ hujus classicæ. Exhibet editio illa, si a paucis immutationibus discesseris, lectionem præsertim Vorstii, qui textum, multorum nugis depravatum, ab injuria emendantium defendere, suæque integritati codd. manuscriptorum ope restituere est conatus. Quos Bibliotheca Regia servat codices Valerii duodetriginta, n° 5839 — 5860 et 6145—6150, item nobis subsidio fuerunt, præcipue Cod. 5839, melioris notæ : nam reliqui omnes, quos passim inspeximus, minus utiles præferunt lectionum varietates, et futurum quoque editorem nihil (opinor) magnopere adjuvabunt. Hisque copiis ita conati sumus uti, ut non dubitemus quin Valerium aliquanto quam antehac emendatiorem habiturus sit lector.

Commentarii textui subjecti jam quænam ratio sit ostendamus. Magnus sane numerus est editionum Valerii, quæ ab inventa inde typographia in lucem prodierunt : grammatici sæculis superioribus non incelebres, hominesque in historia magni, aut urbana latini sermonis expolitione culti, in illustrando auctore nostro operam posuerunt admodum felicem. Sed eorum notas omnes huc transfundere infinitum fuisset, et instituto nostro alienissimum. Inter recentiores editiones principem locum tenent, quas Torrenii, Kappii, Helfrechti curæ debemus. De quibus, Torrenius variantes lectiones sedulo collegit, ac summum prodidit judicium in textu constituendo : ubique autem integras aliorum notas textui subjecit, unde

Digitized by Google

repetitiones ortæ, quibus in molem justo majorem excrevit opus. Kappii editio, si non tam erudiendorum quam eruditorum utilitatem spectemus, nihil fere quod desideremus reliquum fecit. Nam de varietate lectionum plerumque probe ac verissime judicat vir doctus : sed crisin potius quam interpretationem, atque adeo magis philologorum professorumque quam rudium ac tironum commoda videtur respexisse. Novissimus denique editor, Helfrechtus, solis, prope dicam, discentium rationibus consuluit. Nam scholis potissimum inferioribus prospiciens in explicando auctoris sensu assidue versatur : a crisi textus (ut his verbis utar) semper fere se continet. Quæ quum ita sint, suscipere laborem non inutilem visus sum mihi, si novam pararem editionem, quæ omnibus subsidiis ad intelligendum Valerium undique instructa, discentium ac docentium commodis æque inserviret. Ita, quum interpretatione, si quis alius, indigeat Valerius, primum Helfrechti notas, tum historicas et geographicas, tum antiquitatem spectantes, textui subjeci, auctas tamen, castigatas, ac sæpius penitus immutatas. Deinde addidi lectionis varietatem præcipuam, ex subsidiis quæ supra dixi. Denique ad exempla, tum Romana, tum externa, non solum auctores qui eadem memorant, sed tempora quoque et annos, quibus quidque contigit, annotavi; ut lectores, ampliorem ejusdem rei narrationem desiderantes, ad alia monumenta antiquitatis nullo negotio possent recurrere. Quibus in rebus quemadmodum virorum doctorum

Digitized by Google

lucubrationes plurimum mihi profuisse gratissimo animo profiteor, ita tamen meæ diligentiæ deberi nonnulla animadvertent, qui vulgatas adhuc editiones cum hac nostra contulerint.

Atque sic quidem priores sex libros Valerii Maximi comprehendimus hoc tomo : in alterum rejecimus reliquam partem operis, una cum Julio Obsequente, qui in Bipontina quoque editione Valerio Maximo subjunctus est, additis præterea aliis commentariis et libellis, de quibus agemus in notitia præfigenda alteri illi tomo. In utroque, a ratione scribendi atque interpungendi, in cæteris hujus collectionis voluminibus probata, discedere nec debui, nec volui. In reliquis quoque lectores æqui, id quod præcipit Aristoteles, meminerint, esse hominis eruditi, eatenus in unoquoque genere rationem exquisitam postulare, quatenus rei natura patiatur. Quanquam si quid typothetarum incuria erratum est (nec enim fieri potest, ut in quantumvis expurgato exemplari non aliqua supersit macula), id nec sæpe occurrere nec tanti fore spero, ut sensum perturbet, aut quod lector ipse, non monitus, facile haud emendet. Scribebam Parisiis, mense martio MDCCCXXII.

C. B. Hase.

Digitized by Google

VITA

VALERII MAXIMI

INCERTO AUCTORE.

Valerius Maximus, civis romanus, patricio genere natus, omnem pueritiam et magnam adolescentiæ partem litteris percipiendis, et honestis artibus dedit. Inde, sumpta virili toga, se contulit ad rei militaris disciplinam; ubi aliquandiu stipendia fecisse, et in Asiam cum Sexto Pompeio navigasse dicitur. Unde reversus, quum videret se patriæ suæ tam bene dicendo quam bene faciendo posse prodesse, a quo incepto studio militiæ gloria detinuerat, eodem regressus, statuit urbis Romæ exterarumque gentium facta simul ac dicta memoratu digna, ut ipse fatetur, litterarum monumentis commendare: quod feliciter et gloriose consequutus est. Floruit autem Tiberii Cæsaris temporibus, et sub ejus imperio hanc scripsit historiam, cujus etiam numen invocat. Imperatores enim romani, quum virtute sua juste sancteque gessissent imperium, divino celebrabantur honore, et in Deorum numerum transferebantur; unde etiam *Divos* imperatores appellamus. Genus vero suum paternum a gente Valeria, maternum a Fabia duxisse fertur: unde *Valerius Maximus* ex utraque familia ei nomen est. De cujus morte certi nihil potest afferri.

Digitized by Google

GERH. JO. VOSSIUS

IN LIBRO

DE HISTORICIS LATINIS.

VALERIUM MAXIMUM, qui dictorum factorumque memorabilium libros IX reliquit, post Velleium scripsisse inde cognoscimus, quod Velleius tantopere aduletur Sejano; scripsit igitur is, superstite adhuc Sejano. At Valerius lib. IX, cap. II, Sejanum, sed exquisito magis adulandi genere nomen supprimens, ob perfidiam et ambitionem horribiliter exagitat, ac tandem addit, eum omni cum stirpe sua populi romani pedibus obtritum, etiam apud inferos, si tamen illuc receptus est, quæ meretur, supplicia pendere. Scripsit igitur post Sejani cædem; nempe extremis Tiberii temporibus : stilus tamen vix sapit tam bonum ævum; ut quum in procemio ait: *Mea parvitas eo justius ad favorem tuum decurrerit.* Sententias quoque nimium affectat. Propterea existimare aliquis possit, hunc esse potius illum M. Valerium Maximum, qui ann. Christi CCLIV, cum Volusiano imper. consul Romæ fuit, iterumque consulatum gessit ann. CCLVII, ut ex Onuphrio et aliis constat. Ita quod Valerius in præfatione ait, divinitatem ejus imperatoris, cui opus suum dicat, paterno avitoque sideri parem videri, id non de Julio, Augusto, Tiberioque accipi debebit; sed de imperatoribus tribus Gordianis, quorum duos in Africa creatos imperatores Maximianus occidit; tertius vero prioris nepos, alterius filius fuit, qui imperare cœpit an. CCLXXXVIII. Quo de Gordiano, ita Capitolinus in Ma-

Digitized by Google

ximo et Pupieno : « Neque unquam quisquam in illa ætate sic amatus est, merito avi, et avunculi sui patris, ut quidam dicunt, qui pro populo romano contra Maximum in Africa vitam finierant. » Sed cave hæc decipiant; nihil enim verius quam hunc Memorabilium scriptorem multo esse antiquiorem; quando et Gellius, qui sub Hadriano vixit, ejus Memorabilium libros advocat, lib. XII, cap. 7. Immo certum est sub Tiberio vixisse; quandoquidem ipse lib. II, cap. 6, se Asiam cum Sex. Pompeio petiisse dicit. Est autem is Sextus Pompeius, qui cum Sexto Appuleio consulatum gessit, eopse anno quo Augustus Cæsar vita excessit, eique Tiberius successit. At consules isti fuere, qui primi in Tiberii verba jurarunt, eoque nomine Tiberio fuere semper acceptissimi, ut ex Dione, Tacito, aliis constat. Etiam ætatem ostendit locus ipse, lib. VI, cap. 1, *Marcus Antonius avorum nostrorum temporibus clarissimus orator*. Idem, qua Julio et Augusto assentatum, oratio, lib. VIII, cap. 6 et alibi; item quod in gratiam Tiberii Brutum vocat parricidam, lib. VI, cap. 4, quemadmodum et libr. I, cap. 8, ait, C. Cassium nunquam sine præfatione publici parricidii nominandum. Nempe ita sub Tiberio loqui necesse erat, quod illa etiam Cremutii Cordi querela ostendit apud Tacitum, Annalium l. IV: « Titus Livius Cn. Pompeium tantis laudibus extulit, ut Pompeianum eum Augustus appellaret; neque id amicitiæ eorum offecit. Scipionem, Afranium, hunc Brutum, nusquam latrones et parricidas, quæ nunc vocabula imponuntur, sæpe ut insignes viros nominat. » Cremutius ille a Tiberio damnatus fuit, librique ejus per Ædiles cremati; « quod, editis Annalibus, laudatoque M. Bruto, C. Cassium Romanorum ultimum dixisset, » ut ibidem Tacitus ait. Quod si quis objectet, mirum igitur esse, si is, qui Augustei ævi consuli familiaris fuit, dictione utatur, qualis sesquiseculi post fuit: primum dicam, nec illo ævo omnes terse satis locu-

Digitized by Google

tos; nam et jam Cicero in Bruto conqueritur, quod receptis in civitatem tot exteris, corrumpi cœpisset nativus ille color sermonis romani. Quod si illud minus satisfacit, quid si dicam fortasse ut non Trogum, sed epitomen Trogi habemus, ita nec Valerium exstare, sed epitomen ejus, quam Julius Paris concinnaverit; nam videtur is fecisse Valerii epitomen. Quod si Valerius librum de Romanorum nominibus fecit, eumque Memorabilium libris subjecit, hujus quoque epitomen scripsit. Sin nihil ejusmodi (quod multo verius puto) Valerius ediderit, ipse Paris, ut melius intelligeretur Valerius, librum hunc composuit; ejus autem epitomen fecit C. Titius Probus: aut si Probus auctor libri illius fuit, epitome erit a Paride; quod odorari licet ex præfatione illa, quæ est in libellum de prænominibus. Ea hujusmodi est: « Decimus atque ultimus hujus operis liber, seu studiosorum inertia, seu scriptorum segnitia, seu alio quovis casu ætati nostræ perditus est. Verum Julius Paris, abbreviator Valerii, post novem libros explicitos, hunc decimum sub infra scripto compendio complexus est; per quod de nominibus fuisse eumdem a Valerio compositum, conjectare licet. » Sed hoc, quod affert, argumentum Valerii est infirmum; potuit enim Paris librum de nominibus subjungere, non ut Valeriani libri unius compendium, sed ut omnium Valerii librorum facem ac commentarium. Quare sic statuere malim, Valerium ipsum Memorabilia scripsisse; horum epitomen edidisse Paridem; eumdem reliquisse librum de nominibus; hujus libri compendium fecisse Probum. Quod etiam arguunt ista, quæ ibidem continuo sequuntur: *Verba quidem Julii Paridis hæc sunt: Liber decimus de prænominibus et similibus;* sequitur deinde: *Decimi hujus operis libri per C. Titium Probum epitome.* Porro hunc, non alium libellum intellexit Alciatus, libr. IV dispunctionum, cap. I, quum habere se opusculum ait Valerii Maximi de nominibus Romanorum.

Digitized by Google

NOTITIA LITTERARIA

DE

VALERIO MAXIMO,

EX JO. ALB. FABRICII BIBLIOTHECA LATINA A JO. AUG. ERNESTI AUCTIUS EDITA, TOM. II, C. 5.

Valerii Maximi ætas, et libri IX Memorabilium.

VALERIUS MAXIMUS, romanus, quum per aliquod tempus, petita cum Sexto Pompeio Asia (H. 6. 8.), militasset, reversus in patriam extremis Tiberii imp. temporibus (IX. 4. 4.), post cædem Sejani, scripsit ad eumdem imperatorem *libros IX dictorum factorumque memorabilium*, digestorum in certas classes; opus jucundum, varium, utile, lectumque Gellio, lib. I, cap. 7; Plinio, lib. VII, et Plutarcho in Marcello, ut Joan. Sarisberiensem, Petr. Blesensem, et alios juniores prætereamus, Saxonem præcipue grammaticum, qui eum plurimis Historiæ suæ Danicæ locis est imitatus, ut notatum est ab aliis, tum a Stephanio in notis. *Publii* prænomen Valerio vindicandum non dubitat Marquardus Gudius, auctoritate Codicis Medicei : igitur ad alium spectat inscriptio vetus, si vetus, quam affert Gaudentius Merula, lib. I de Gallorum Cisalpinorum antiquitate, cap. 4.

Digitized by Google

M. VALERIVS MAXIMVS
SACERDOS
D. S. I. M. STVD
ASTROLOGIAE
SIBI ET SEVERIAE APR
VXORI
H. M. H. N. S.

In Codice Leidensi tamen Valerium Maximum *Marci* prænomine insigniri video. *Maximi* cognomen commune apud Romanos Valeriæ genti et Fabiæ et Calvisiæ aliisque. Vide Ezech. Spanhemium de usu numismat. tom. II edit. novæ, pag. 46, 65, 72, etc. Ineptum verborum et sententiarum affectatorem dixit Valerium Joseph. Scaliger, quod ejus judicium probat Jan. Rutgersius, quem, si placet, vid. VI, 16 Var. Lect. pag. 597 sq. In historia quandoque lapsum observavit Car. Sigonius, l. I, emendationum contra Robortellum, pag. 65. Quoniam omnium manibus terebatur hic scriptor, ideo prodigiosissime corruptum et glossematis interpolatum ad nos pervenisse notat Franc. Modius, Epist. 54 et 96, novantiq. Lect. « Passim, inquit vir doctus, in Valerio observavimus pronominum ellipsin, Græcis quoque usitatam : at imperiti homines de suo illa intruserunt fulciendis sententiis, quod semel dictum volumus de hoc scriptore. » Fulbertus Carnotensis, epist. XCLI ad Robertum Francorum regem, affert ex *Valerio Rufo* in libro Memorabilium, capitulo quarto de Prodigiis, quæ apud Valerium Maximum, lib. I Memorabilium, cap. 6 de Prodigiis, n. 5, leguntur.

Utrum Epitome illius operis hodie tantum supersit.

Quos vero hodie sub eo nomine legimus, quum dictio-

Digitized by Google

nem aliquando prodant illa fere[1] ætate indignam, viri docti habent pro epitoma ex majore Valerii opere concinnata, vel a *Julio Paride*, ut Vossius conjicit de Hist. lat. lib. I, cap. 24 (confer Lambecium II de Bibl. Vindob. p. 934; quod tamen librarii potius nomen videtur viro docto in Memor. Trivoltinis ann. 1714, pag. 51), vel a *Januario Nepotiano*[2], quæ justior forte Cantelii suspicio est. Fundus hujus posterioris opinionis est epistola, quam ex vetere codice edidit Philippus Labbeus, tom. I, Bibl. MSS. pag. 669; et quia brevior est, hic integram apponere non gravabor.

Januarius Nepotianus Victori suo salutem.

« Impensius quam cæteri adolescentes litteris studes: quo tantum proficis, ut exigas scripta veterum coerceri, mi Victor, quod judicium etiam in senibus rarum est. Igitur de Valerio Maximo mecum sentis, opera ejus utilia esse, si sint brevia. Digna enim cogitatione componit, sed colligenda producit, dum se ostentat sententiis, locis jactat, fundit excessibus, et eo fortasse fit paucioribus notus, quod legentium aviditati mora ipsa fastidio est. Recidam itaque, ut vis, ejus redundantia, et pleraque transgrediar, nonnulla prætermissa connectam; sed hoc meum nec vim antiquorum habebit, nec fucum novorum. Et quum integra fere in occulto sint, præter nos duos profecto nemo Epitomata cognoscat. Hoc tutius abutor otio. Cave hic aliud quam brevitatem requiras, quam solam poposcisti. Cura, mi Victor, ut valeas. »

1. Erasmus in Ciceroniano: *Valerius Maximus tam similis est Ciceroni, quam mulus homini, adeo ut vix credas vel Italum fuisse qui scripsit, vel hoc ætatis, quod præ se fert, vixisse; tam diversum est totum dictionis genus. Afrum quempiam esse dicas, nec ullum carmen elaboratius.* Castrense genus dicendi in Valerio ac Velleio notat Christ. Daumius in lib. *de causis amissarum latinæ linguæ radicum*, p. 39.

2. Hunc addes aliis Januariis collectis a Gisb. Cupero in ἀποθεώσει Homeri; pag. 271.

Digitized by Google

Sed tamen epitomen tantum Valerii superesse nobis, non adeo certum esse, vel ex Plinio Majore, qui plus simplici vice verbis ejus utitur, colligi possit. Imo contrarium dilucide e Plinio apparere ait Jo. Harduinus, cujus tamen judicio non ipsius Valerii, sed epitomatoris sunt, quæ a Cuspiniano primum (quo nomine ipsi Aldus gratulatur) e Ms. Vindobonensi restituta, et 2 Mss. Regiis, tertioque Remensi S. Dyonisii Canonicorum regularium, et in Pet. Danielis Codice aliisque quibusdam haud obvia, leguntur a num. 5 extern. c. 1, lib. I, ad c. 5 ejusdem lib. I, quod de ominibus est, præfationibusque et egressibus Valerio usitatis sunt destituta. Glossematis laborare hos libros notavit Jac. Schegkius, epist. 4 Præmess. Non esse porro auctorem Valerium Maximum inscriptionum cujusque capitis, vel illud argumento notat esse Franc. Vavassor, libro de Vi et usu verborum quorumdam latinorum, quod lib. V, cap. 2, de gratitudine inscribitur, et c. 3, de ingratitudine, quas voces neque usquam illo sensu apud probum scriptorem reperias (apud Apicium enim *gratitudo ciborum* notat gratum et jucundum illorum saporem), nec ipse Valerius illis capitibus usurpavit, quum occasio usurpandi, imo prope necessitas non deesset. Idem tamen Vavassor testatur se habuisse scriptum manu Valerium, in quo non jam de gratitudine et ingratitudine, sed de gratis et ingratis capita inscripta essent. Epitomen librorum novem Valerii composuit etiam *Jo. Honorius* Bohemus, qui Lipsiæ sec. XV fine claruit, quæ Lips. 1503, 4 prodiit. Vide Jo. Hallervodii spicilegium de Hist. lat. pag. 110.

De nominum Romanorum ratione fragmentum.

In paucis quibusdam Mss. Pighius testatur pro *decimo libro* occurrere fragmentum epitomes *de nominum Romanorum ratione*, quam ex Valerio (forte non *Maximo*, sed

Digitized by Google

Antiate) *Julius Paris* confecisse dicitur. Hoc insigniter illustrat, et erudite castigat *Claudius Salmasius* in commentario inchoato ad Arnobium : add. Spanhem. de Usu et Pr. num. t. II, pag. 40, 41, 77, etc. qui id fragm. *T. Probo* tribuit. *C. Titi Probi*[1] nomen, quod eidem fragmento præfigitur in editione Antuerp. 1535, 8, in qua prima hoc fragmentum vidimus, forte, nisi plane alienum sit, est librarii. Quanquam exstitit *Probus* quidam, de quo Lupus Ferrariensis, epistola XX et XXIV, ubi de variis argumentis eum esse commentatum testatur : « Probum autem, inquit, non tam aliquid edidisse admiror, quam non omnibus jam scribendi materiam abstulisse. » Illud vero fragmentum prorsus remotum est a novem librorum Valerii Maximi argumento, et propterea in pluribus editionibus prætermissum. In quibusdam quoque manuscriptis codicibus separatim sine reliquis Valerii libris occurrit. Vide Lambecium lib. II de Bibl. Vindob. pag. 934 ; Alciatum, IV, 1, dispunction. In Codice Heinsiano, an. 1421, scripto Gudius reperit, *Lib. X, capitulum* I *de prænominibus : de prænomine*, ut est et in ed. Antuerp. Illud de nominum ratione fragmentum Pighius recensuit ex editione Philippi Nucii Antu. 1566, quam cum veteribus codicibus commiserat.

Exneri Valerius Maximus Christianus, et alia hujuscemodi scripta.

Balthasaris Exneri[2] *Valerius Maximus Christianus* Hanov. 1641, 8, exhibet libros IX dictorum factorumque memorabilium, Valerii exemplo, collectos digestosque ex Christianis historiis : cui labori prælusere, qui in editione

1. In Autographis Rudolphinis t. I, pag. 401, male excusum est *C. Titi Probi in X libros Epitome*, pro *in X librum*.

2. De Exnero, qui anno 1624, diem obiit, videnda Jo. Henelii Silesiographia, tom. I, cap. 7, pagin. 208.

Digitized by Google

Valerii Maximi Basil. 1577, 8, cum Glareani notis vulgata, subjecerunt farraginem exemplorum christianorum. Scripsit et Valerii nostri imitatione *Baptista Fulgosus* libros IX factorum dictorumque memorabilium ex omni historia vetere ac recente collectos, editosque Antuerp. 1565, 8, et *M. Ant. Coccius Sabellicus* X libros Exemplorum : quod opus postumum sæpius prodiit, ut Basil. 1541, 8, germanice per Leonardum Brunnerum, Argent. 1535, fol. *Jo. Baptista Egnatius* libros IX de exemplis illustrium virorum Venetæ civitatis atque aliarum gentium, qui post auctoris, ann. 1553 defuncti, obitum, prodiere anno proximo. *Jo. Schefferus* in libro memorabilium exemplorum Suecicæ gentis, Hamburg. 1671, 8 : similiter exempla gentis Danicæ, sive Valerium Maximum Danicum libris XIX congessit *Otto Sperlingius*, ut refertur in novis litterariis maris Baltici, anno 1698, p. 22. Exempla Gallicæ gentis Valerii imitatione scripsit *Guil. de Bellay*, teste Francisco a Cruce, p. 139, Bibl. Gallicæ. Jo. vero Franciscus Lauredanus in gloria Academiæ incognitorum, p. 247, promisit se, ad Valerii exemplum, editurum dicta et facta Venetorum illustria, *i detti e fatti de' Venetiani.*

Valerii epistola ad Rufinum, ne ducat uxorem.

Philippus Labbeus in Bibliotheca nova Mss. pag. 45, memorat *Valerii Maximi dissuasiones ad Rufinum, ne ducat uxorem.* Sed intelligitur epistola quæ, christiano utique scriptore, sub Valerii, nescio cujus, nomine legitur inter scripta S. Hieronymo supposita, atque incipit : *Loqui prohibeor, et tacere non possum* In eam epistolam commentarios *Jo. Guallensis* et *Nic. Triveti* memorat Jo. Lelandus de scriptoribus Britannicis, p. 307, 327.

Digitized by Google

VALERII[1] MAXIMI

FACTORUM DICTORUMQUE[2] MEMORABILIUM

LIBER PRIMUS

AD

TIBERIUM CAESAREM AUGUSTUM.

PRÆFATIO.

URBIS Romæ[3], exterarumque gentium facta simul ac dicta memoratu digna, quæ apud alios latius diffusa sunt, quam ut breviter cognosci possint, ab illustribus electa

1. *Valerii Maximi.* De Valerii prænomine non satis constat, quum codice Med. *Publius*, contra Leid. primo *Marcus* appelletur, cæterique codices omnes prænomen prorsus omittant. Unde *Maximi* cognomine fuerit insignitus, incertum est. Cf. vita Valer. Max. ex Vossii lib. *de Historicis Latinis*, et notitia litteraria de Valer. Max. ex Fabricii *Bibliotheca Latina* editioni nostræ addita.

2. *Factorum dictorumque.* Pighius edidit : *exemplorum.* Male. Præterquam enim, quod primis ipsius auctoris verbis : *Urbis Romæ, exterarumque gentium facta simul ac dicta memoratu digna*, etc., lectio nostra vindicatur ; Gellius, lib. XII, c. 7, ait : *Scripta hæc historia est in libro Valer. Maximi, Factorum et Dictorum memorabilium.* Pertinent huc item illa lib. IV, c. 1, n. 12 : *Sentio, quos cives, quæve facta eorum ac dicta quam angusto ambitu orationis amplectar.* Denique in lectione nostra conspirant omnes codd. MSS. præter eos, qui simpliciter exhibent : *Valerii Maximi liber primus incipit.*

3. *Urbis Romæ.* Ita codd. vett. omnes, si a codd. Susii et Dionys. Remens. discesseris, qui habent : *Populi Romani.* Quæ quidem lectio quamvis Pighio arrisit; adeo ut, motus potissimum Livii et Sallustii auctoritate, eam textui inserendam censuerit; tamen dubium non est, vulgarem lect. medicina haud egere.

Digitized by Google

auctoribus deligere[1] constitui, ut documenta sumere volentibus longæ inquisitionis labor absit; nec mihi cuncta complectendi cupido incessit: quis enim omnis ævi gesta modico[2] voluminum numero comprehenderit? aut quis, compos mentis, domesticæ peregrinæque historiæ seriem, felici superiorum stilo[3] conditam, vel attentiore[4] cura, vel præstantiore facundia, traditurum se speraverit? Te igitur huic cœpto, penes quem hominum deorumque consensus maris ac terræ regimen[5] esse voluit, certissima

Nam solenne est nostro, *urbem* pro *populo* ponere, v. c. initio lib. II: *Tam nostræ urbis, quam cæterarum gentium priscis ac memorabilibus institutis*, et lib. II, c. 7, n. 6: *Nostra urbs, quæ omni genere mirificorum exemplorum totum orbem terrarum replevit.* Confer. lib. IV, c. 7 extr. I, c. 8, n. 4, et lib. V, c. 3, n. 2. Nec sequitur, quia Livius et Sallustius scribunt: *Populi Romani res gestæ*, ideo Nostrum sic scripsisse. Transiit tamen Pighiana emendatio in edd. recentiores complures.

1. *Electa ..... deligere.* Id est, *excerpta in ordinem redigere.* Meursius legit, *digerere.* Similiter Cic. *de Invent.* I, 30. *discrete et electe digereremus.* Lipsius, ne geminatio quemquam offendat, vocem *electa*, delendam censet. Torrenius conjicit: *edita... deligere.* Sed vix tanti sunt emendationes, ut referantur. Non opus esse mutatione recte monet Kappius, Valeriumque Maxim. in verbis et sententiis ludere, ut mirum non sit, eum scripsisse: *electa.... deligere.*

2. *Modico.* Sensu haud insolenti, immo satis latine pro *non admodum magno.*

3. *Felici superiorum stilo.* Modeste Valer. se comparat cum auctoribus illustribus, qui *felici*, i. e. eleganti et probabili *stilo* historiam composuerunt, quorum virtutes ipse adsequi non valeat. Mira cæterum hic lectionis varietas in codd. a Torrenio laudatis. *Felici superiori stilo* cod. Daniel. Leidenses septem, uterque Ultraject. Medic. prim. et Vatican. prim. *Felicis seculi stilo* cod. Bongars. Paris. et Heins. *Feliciter superiori stilo* vetusta edit. qua Kappius usus est. Vulgarem lectionem haud sollicitandam nemo non videt, quum sensum planum exhibeat, Valerii Max. stilo optime congruentem. Sane sic lib. II, c. 1, n. 10, ait: *Majores natu in conviviis ad tibias egregia superiorum opera carmine comprehensa pangebant.* Eodemque sensu apud Cic. *Orat.* c. 34: *Nisi memoria rerum veterum cum superiorum ætate contexitur.*

4. *Attentiore.* In codd. passim *attentiori*, qua forma sæpius adjectiva comparativi gradus in hoc casu scripta reperias.

5. *Maris ac terræ regimen.* Lipsium vide de magnitudine romana: ea fuit veterum multorum adulatio, ut scriberent universi orbis terra-

Digitized by Google

salus patriæ, CÆSAR, invoco : cujus cælesti providentia virtutes[1], de quibus dicturus sum, benignissime foventur; vitia severissime vindicantur. Nam si prisci oratores ab Jove Optimo Maximo bene orsi sunt; si excellentissimi vates a numine aliquo principia traxerunt : mea[2] parvitas eo justius ad favorem tuum decurrerit, quo cætera divinitas[3] opinione colligitur, tua præsenti fide paterno avi-

rum regimen penes Romanos fuisse: sed magnam partem Orientis et Septemtrionis nunquam ab illis tentatam fuisse constat. Hæc ad *terram* spectant: verum de maris imperio quod tenuisse Romani dicuntur, ita Dionysius Halicarnasseus dixit: « Universi maris domina est Roma, non solum illius quod intra Herculis columnas habetur, sed et ipsius Oceani, qui est navigabilis. » At, potestne ullum dici maris dominium? Commune omnium pelagus potentiori alternis vicibus cedit. Vide Seld. et Grot. de mari libero; revoca etiam in mentem notissimum illud carmen, quod ætatis suæ decus, *le vers du siècle*, cum jactatione non minus candida et simplici quam ridicula passim prædicabat poeta Gallicus (*Lemierre*) :

Le trident de Neptune est le sceptre du monde.

1. *Cujus ..... virtutes.* Conf. tamen Seneca *de Benef.* III, 26.

2. *Mea parvitas.* Id est, *egomet qui, tenuitatis meæ mihi conscius, cum priscis oratoribus et excellentissimis vatibus me componere non ausim.* Lipsius, ne barbare cum barbaris balbutire videatur Noster, *parvitatem* eam e textu eliminandam et, expunctis duabus vocibus, scribendum conjicit : *ego justius ad favorem tuum decurrero.* Contra Lipsium Vorstius vocabulum illud pro barbara haberi posse negat, cum ob auctoritatem Ciceronis, qui voce *parvitas* usus sit, tum quia Velleius Paterc. lib. II, c. 3, itidem extenuandi sui causa scripserit : *Habuit in hoc quoque bello mediocritas nostra speciosi ministri locum;* et lib. II, c. 104 : *Spectator et pro captu mediocritatis meæ adjutor fui.* Tuentur lectionem vulgarem Pighius, Colerus, Gudius, Perizonius, Torrenius, et novissime Kappius. Quod si tantorum virorum diligentiæ addere novæ quidquam conjecturæ fas sit, haud dubitem pronuntiare, Valerium vix notam impuri sermonis effugere. Quod ad ipsam vocem *parvitas* attinet, M. Tullius ea utitur, sed alio plane sensu, in significatione quantitatis, non vilitatis seu humilitatis; deinde *mediocritatis* vox, qua Velleium uti videmus, aures minus offendit. Neque tamen idcirco contra omnium librorum veterum fidem quidquam mutandum censuerim; ludit enim Noster sæpius in novis, aut a se modificatis vocabulis.

3. *Cætera divinitas.* Cæteri, inquit, Dii tantum opinione colliguntur, id est, tantummodo homines opinantur cæteros esse Deos, qui eos nunquam viderint : Cæsares autem vident. Ergo cæterorum quidem Deorum fides est, sed incerta;

Digitized by Google

toque sideri[1] par videtur: quorum eximio fulgore[2] multum cærimoniis[3] nostris inclytæ claritatis accessit. Deos enim reliquos accepimus, Cæsares dedimus[4]; et quoniam initium a cultu deorum petere in animo est, de conditione ejus summatim disseram.

Cæsarum autem præsens et certa: quia Dii Cæsares oculis ipsis conspiciuntur. Ergo quia de Cæsaribus fides est certior et præsentior quam de cæteris Diis, tanto justius ego tuum numen invocavi, quam cæterorum Deorum numina ab oratoribus et poetis invocantur. *Oliver.*

1. *Sideri.* Divum Julium et Augustum Cæss. intelligit, quia impp. per apotheosin ipsorum credebantur *in sidera nova transire.*

2. *Fulgore.* Infra, lib. II, c. 1, n. 10: *Inde, inquam, cæli clarissima pars divi fulserunt Cæsares.*

3. *Cærimoniis* Id est: *universæ religioni cultuique divino.* Respicit auctor noster haud dubie ad *claritatem, sacris additam eximio fulgore novorum siderum, Julii Cæsaris* et *Augusti* ac *sacrorum*, quæ in ipsorum honorem sunt instituta, ut reliqua sacra romana ab horum novorum deorum sacris novum splendorem velut accepisse significet. Unde intelligitur, male in aliquot MSS. legi: *inclytæ alacritatis.*

4. *Dedimus.* Infra, lib. I, c. 7, n. 2, in fin. ait: *Ut aliud cælo decus daretur, aliud promitteretur.*

Digitized by Google

VALERII MAXIMI

FACTORUM DICTORUMQUE MEMORABILIUM

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

De Religione observata.

1. A populo Rom. — 2. L. Metello pont. max. — 3. Ti. Graccho et Coss. — 4. Sacerdotum collegiis. — 5. Q. Fabio dict. et C. Flaminio mag. equ. — 6. P. Crasso pont. max. — 7. AEmiliæ Vestalis discipula. — 8. M. Marcello v. Cos. — 9. L. Furio Bibaculo prætore. — 10. L. Alvanio. — 11. C. Fabio Dorsone. — 12. Q. Petilio Spurino præt. — 13. L. Tarquinio rege. — 14. M. Atilio Regulo. — 15. Senatu Romano.

De Religione neglecta.

16. A C. Terentio Varrone. — 17. Appio Cæco et gente Petitia. — 18. Milite romano et Brenno gallo. — 19. P. Turullio præfecto classis. — 20. Q. Fulvio Flacco cens. — 21. Q. Pleminio legato proprætore.

Externa exempla observatæ vel neglectæ religionis.

1. Pyrrhus Epirotarum rex. — 2. Masinissa Numidarum. — 3. Dionysius major Siculorum. — 4. Timasitheus Liparitanorum princeps. — 5. Alexandri regis milites. — 6. Persæ. — 7. Athenienses. — 8. Diomedon Atheniensium dux.

DE RELIGIONE OBSERVATA.

1. MAJORES (nostri)[1] statas solennesque cærimonias pontificum scientia; bene gerendarum rerum au-

1. *Majores* (*nostri*). Hic locus ex Cicerone de Arusp. resp. cap. 2. aliquid lucis accipit, cujus verba mutuatus et breviora reddidisse Valerius videtur. Variæ et obscuræ lectiones, unde ne sensus quidem commodus elici potest, exstant in vett. edd. et MSS., solique codd. Copes. et Medic. 2. recte hunc locum constituunt. Vox *nostri*, uncis inclusa, abest ab octo codd. Leid omnibusque Gud. ac Ultraj. item,

Digitized by Google

ctoritates[1] augurum observatione; Apollinis prædictiones vatum libris[2], portentorum depulsiones Hetrusca disciplina, explicari voluerunt. Prisco etiam instituto rebus divinis opera datur, quum aliquid commmendan-

que a cod. Copes. In cod. Barber. adscripta est loco glossematis. Solet eam Noster omittere, v. c. II, 1, 8; II, 2, 4 et 6; II, 8, 1; III, 7, 6; IV, 1, 5; VII, 4, 3. Addit tamen aliquando etiam, ut I, 1, 12; sed præsertim, ubi Romanos opponit exteris, ut II, 6, 1. — *Statas*...., quæ certis quibusdam diebus fieri solebant; *solennes*, a *solo* et *anno*, quæ singulis quibusque annis celebrata sunt. — *Cærimonias*. Ab oppido Cære dictæ. Alii a *Cerere* derivant. — *Pontificum*. Commune divis omnibus sacerdotum collegium. Eorum princeps erat *pontifex maximus*, reliqui in *majores* et *minores* distinguuntur. Pontifex maximus res omnes singulorum annorum litteris mandabat, efferebatque in album.

1. *Rerum auctoritates*. Quum e. g. imperator cum hoste congressurus taurum Marti immolaret. Ipsa sc. *auguria* et *auspicia* intelligit auctor; nam augures sunt *auctores rerum gerendarum et omittendarum*, ad quos tamquam ad adytum ibant consultum, quæ prædictio esset prodigiorum, et an felicem vel tristem exitum essent habitura. — *Augures* eludit Varro: non solum otiosos, inquiens, sed et sordidissimos fuisse Deos, si in jecinorum et viscerum sterquilinio sua occuluerint consilia, hominibus ab insanis sacerdotibus manifestanda. Et Cicero, ipse augur, miratur, aruspices non ridere, quum alter alteri fieret obviam (de N. D. I, 26). Cæterum aruspicina disciplina Etruscorum est.

2. *Libris*. Præcipue Sibyllinis. Curam omnium id genus librorum agebant primum *Duumviri*, deinde *Decemviri*, et tandem *Quindecimviri*. — *Portentorum*. Quod porro intenditur. — *Depulsiones*. Procurationes. Alii habent *depulsa* aut *depulsoria*: editt. vett. et codd. MSS. plerique *depulsis*. Hæc lectio nullo modo defendi potest, quum manifesto vocabulum hic non tertii aut sexti, sed quarti casus adesse debeat. Nonnulli reposuere *depulsas*, et Gronov. legi quoque posse *depulsus* monuit. Non male: quamquam vocabulum nusquam alibi exstet. Vorstius denique rescripsit *depulsiones*, eamdemque lectionem Torrenius et Kappius tuentur, quum certissimæ latinitatis vox sit, in scriptis ipsius Ciceronis obvia. Intelligit auctor ea, quæ fiebant malorum quæ portentis designari videbantur, *depellendorum* causa, pertinentque huc præcipue sacrificia. — *Hetrusci* (Aturim) e Cananitarum, a Josua depulsorum et in Italiam latorum colonia originem traxisse feruntur. Docti a Tagete, Romanos sacra et cærimonias docuerunt. Vide Cicer. or. c. Clodium. Idem l. I, et II, de Div. hac de re agit, dicens inter alia: « Etruriam interpretari, quid quibusque ostendatur monstris atque portentis. » Liv. I, 56. tradit, Hetruscos vates ad publica tantum prodigia

Digitized by Google

dum[1] est, precatione : quum exposcendum, voto : quum solvendum[2], gratulatione : quum inquirendum[3] vel extis vel sortibus, impetrito : quum solenni ritu peragendum, sacrificio. Quo etiam ostentorum[4] ac fulgurum denuntiationes procurantur.

Tantum autem studium antiquis non solum servandæ[5],

adhiberi. — Cicer. de Arusp. resp. cap. 2.

1. *Commendandum*. Sensu haud insolenti *commendare*, pro fidei tutelæque alicujus aliquid committere, servandum custodiendumque tradere.

2. *Solvendum*. Id est, satisfaciendum illi, quod voto promissum est. *Exsolvendum* Brandenb. et Medic. I. — *Gratulari*, quum ad Deos refertur, est gratias agere; quum ad homines, lætari, participem esse alterius gaudii de re fausta, bona quævis apprecari alicui. V. Terent. Heaut. V, 1. Ennius et Afranius ap. Nonium. Cic. ad fam. VI, 14.

3. *Inquirendum*, scilicet in iram Deorum, *extis*, si aut tristia, pallida, mutilata, aut læta, vigentia, integra essent. — *Sortes* erant *Virgilianæ*, quum viderent, quinam explicato ejus voluminе versus primum occurrerent, eosque interpretarentur; vel quum inscripta foliis arborum tabellisque diversorum eventuum elogia ad Deorum pulvinaria ita essent disposita, ut, quod petitioni conducere videretur, artificio quodam in spem sive metum sciscitantem inducerent; vel *ex tessellis talisve* jactatis, e quorum superficie de eventu judicabant; vel *Prænestinæ*, quum e sedecim figuris et vocibus prædictiones elicerent, e. g. acquisitio, amissio, lætitia, tristitia, fortuna major, minor, caput, cauda, etc. — *Impetritum*, quam vocem etiam Cic. lib. II, de Divinat. Plin. XVIII, 2, et Plaut. in Asinar. II, 1, habent, est vetustum augurale vocabulum, et denotat, quasi in petra fixum, stabile et securum, de quo Festus. Alii id habent pro *impetratum*, sicut fulguritum, artitum, dolitum, pro fulguratum, etc.

4. *Ostentorum*. Velut, si lapidibus pluisset, novemdiali sacrificio expurgabatur. Vide Ciceronem, lib. I de Div. — *Fulgurum*, locus fulguratus bidental dictus est, arisque ibi positis et reliquo sacrificiorum apparatuque quolibet anno eligiose cultus. Præterea observabant, num fulgur cum tonitru dextra lævave apparuisset. — *Procurare* opponitur τῷ *negligere*, et significat *expiare*. Unde conjici licet, *procurare monstra*, *prodigia*, *ostenta et ostentorum denuntiationes* nihil aliud esse, quam expiare monstra, et depellere aut avertere, quæ hæc denuntiare videntur. Dici quoque possit, *procurare monstra* loquutionem concisam esse pro, procurare sacrificia malorum, quæ denuntiari a monstris putantur, depellendorum causa. — Plinius, XXVIII, 2.

5. *Servandæ*, est lect. vulg. codd. scriptt. et impress. Torrenianor.

Digitized by Google

sed etiam amplificandæ religionis fuit, ut florentissima tum et opulentissima civitate, decem principum filii S. C. singulis Hetruriæ populis, percipiendæ sacrorum disciplinæ gratia, traderentur.

Cererique[1], quam more Græco venerari instituerant, sacerdotem a Velia, quum id oppidum nondum civitatis nomen accepisset, Calcitanam peterent, vel, ut alii dicunt, Calliphennam; ne deæ vetustis ritibus[2] perita deesset antistes. Cujus quum in urbe pulcherrimum templum haberent, Gracchano tumultu[3] moniti Sibyllinis libris,

Leid. VII, legitur *observandæ*, cui non inest tanta et tam clara antithesis resp. seq. voc *amplificandæ*. Ait quoque auct. infra, I, 1, 11: exemplum *servatæ* religionis, ac III, 8, 6: si patrius mos *servetur*. — Passim *e florentissima*; sed abest præpositio a quamplurimis MSS. et omnibus veteribus editionibus. —*Decem*. Fortasse *duodecim*, ex mente Lipsii, quum tot essent Etruriæ nationes. Nec tamen mutandum quidquam censent Torren. et Kapp. quum ob constantiam codd. et vett. edd. (in quibus omnibus *decem* legitur), tum quoque ob id, quod in sacris numerus denarius Romanis valde placuit: unde frequenter memorantur *decemviri sacrorum*, *decemviri libris Sibyllinis inspiciendis*. — Cicer. de Divinat. I, cap. 41.

1. *Cererique*. Torrenius in textu habet *Cereri quoque*; et sic vulgo legitur. Vindicant lect. nostram omnes fere MSS. cum vett. edd.; eamque nuper Kapp. merito sequutus est, quoniam *que* est *præterea*, et servit transitioni ad novum exemplum. — *More Græco*, nec alio, venerari eam licuit. Præcipue a matronis Ceres culta est. Vid. Liv. Hist. sec. belli Punici. Cautum etiam, ne quis novas introduceret religiones. — *Velia*, Helia s. Elea, oppidum Lucaniæ ad sinum Pæstanum. — Vide Cicer. pro Balbo, cap. 24. dicit, jam diu ante fœderatam fuisse civitatem; de hoc vero tempore ait: *ante civitatem Veliensibus datam*, id est, jus civium Romanorum. Intelligendus igitur Val. locus de *civitate romana*. — *Calliphennam*. Cic. *Calliphanam* appellat, et ita MS. Coleri. Nonnulli habent *Calephenam*, et paulo ante pro *Calcitanam* potius *Calcitariam* et *Calcitrariam*.

2. *Vetustis ritibus* antiquiores editt. cum codd. MSS. ap. Torren. citatis. Rupertus ex ingenio audacter reposuit: *ne Cereri perita deesset antistes*. Pighius adjectivo nomini *perita* substantivum casus secundi adjiciendum esse putans, mutavit sic: *ne deæ vetusti ritus perita deesset antistes*. Sed non opus est mutatione, immo sensus planissimus est, modo verba *vetustis ritibus* cum voce *deesset* construantur. — Anno urbis 356. Cicer. pro Balbo, c. 24.

3. *Tumultu*. Indigitat tempus, quo id factum, nempe A. U. 620.

Digitized by Google

ut vetustissimam Cererem placarent, Ennam, quoniam sacra ejus inde orta credebant, decemviros ad eam propitiandam miserunt. Item matri deum[1] sæpenumero imperatores nostri, compotes victoriarum, suscepta vota Pessinuntem profecti solverunt.

2. Metellus[2] vero pontifex max. Postumium consulem, eumdemque flaminem Martialem, ad bellum gerendum Africam petentem, ne a sacris discederet, multa indicta, urbem egredi passus non est; religionique summum impe-

Vide Lactant. II, 4, 29. In maxima, quæ hunc locum premit, lectionis varietate incertum est, an *Gracchano tumultu*, *Gracchano motu*, aut *græco ritu* scripserit auctor. Doctissimas Pighii, Vorstii aliorumque conjecturas noscere cupientes adeant omnino Torrenium. — *Libris*. De quibus infra. *Enna* oppidum Siciliæ prope Ætnam, cum nemore, umbilico Siciliæ et celeberrimo Cereris templo. Vide Cic. in Verr. Multi codd. MSS. habent *Hennam*, et hoc modo potius scribendum esse statuunt viri quidam eruditissimi. Vid. Drakenb. ad Sil. Ital. I, 93, et Duker. ad Flor. III, 19, 8. — *Decemviros*. Ita Pighius, quia tum Cic. in Verr. VI, eamdem historiam referens, *decemviros* appellat, tum ex Dionys. Halic. IV, apparet, *quindecimviros* quinquaginta demum annis post, nempe A. U. 670, ortos esse. Perizon. tamen Valerium errasse et *quindecimviros* scripsisse censet, quod Kapp. probat. Torren. *quindecimviros* invenit in viginti septem MSS. et sic est item in edd. vett.

1. *Matri deum*. Quæ fuit Cybele, cujus simulacrum, monente Apolline, e Pessinunte Phrygiæ Romam est translatum. Vide Livium, lib. XXIX, et Nostrum infra, VIII, 15, 3. Antequam autem Romam deportaretur, Romanos, Pessinuntem proficisci, ibique vota solvere solitos ex his ipsis Nostri apparet. — *Solverunt*, Leidd. sept. *persolverunt*. Potest vero simplex commode retineri, nam æque probum est, dum *vota solvere* ac *persolvere* promiscue occurrat apud optimæ notæ scriptores. Vid. Curt. VII, 11, 7. — An. U. 620. Cic. Verr. VI, c. 49; Id. de Arusp. resp. cap. 2; Lactant. II, 4, 29.

2. *Metellus*. Vide Tacit. III, 58; Cic. Phil. XI, 8. — *Flamen*, qui caput vinctum habuit filo, quasi *filamen*, teste Varrone. Creati sunt ad colendum aliquod numen a pontifice maximo, aut a dictatore in oppidis. Teste Dionys. Halic. II, vocati a Græcis στεφανηφόροι et pileos et infulas gestarunt. — Cod. Dan. Brand. 1, 2, et undecim codd. Torrenii *multa dicta*, quod videtur præferendum. Vid. Liv. XXV, 3; Tacit. Ann. III, 71. Leid. 2, et quædam edd. vett. addunt *inconsulto deo*, quod falsum opinatur Torren. — An. U. 511; Liv. XIX et XXXVII.

Digitized by Google

rium[1] cessit: quod tuto se Postumius Martio certamini commissurus non videbatur, cærimoniis Martis desertis.

3. Laudabile duodecim fascium[2] religiosum obsequium: laudabilior quatuor et viginti in consimili re obedientia. A Ti. enim Graccho ad collegium augurum literis ex provincia missis, quibus significabat, se, quum libros ad sacra populi pertinentes legeret, animadvertisse, vitio tabernaculum[3] captum, comitiis consularibus, quæ ipse fecisset; eaque re ab auguribus ad senatum relata, jussu ejus C. Figulus e Gallia, Scipio Nasica e Corsica Romam redierunt, et se consulatu abdicaverunt.

4. Consimili ratione[4] P. Clœlius Siculus, M. Cornelius Cethegus, et C. Claudius, propter exta parum curiose admota aris deorum immortalium, variis temporibus bellisque diversis flaminio abire jussi sunt, coactique etiam.

1. *Summum imperium.* abstr. p. concr. qui gerit s. i.

2. *Fascium.* Sic paulo post *fasces* pro coss. et procoss. Figulo et Scip. Nasica, qui a Graccho consules anni seq. creati postea procoss. in provincias iverant, A. U. 591. — An. U. 591; Cic. de Nat. Deor. II, 4; et de Divinat. II, 35; ad Quint. Fratr. II; Plut. Marcell. p. 218.

3. *Tabernaculum* h. l. illud est, quod consul, aut qui alius comitia habuit, ante comitia prope urbem cepit, in quibus auspicia observavit: illud autem justis cærimoniis exquirere et capere jus erat. De quo Plutarchus, in Marcello: « Si tabernaculum, ait, cepisset is, qui augurium capturus esset, ita, ut antequam auspicium ceperit, aliquid aliud egisset, quod ad augurium non pertineret; tum id tabernaculum *vitio*, id est non rite *captum* esse dicebatur, et si auspicia cepisset in eo, vana erant nihilque valebant. » — *Comitiis consularibus*, id est quibus consules in annum sequentem creabantur. Sic et *ædilitia*, *prætoria*, *tribunitia* comitia existebant, quibus creabantur ædiles, prætores et tribuni plebis.

4. *Consimili ratione.* Alii hic inserunt *post*, quod delendum: nam hoc contigit ante, quam quæ de Ti. Graccho retulit. — Conf. Plut. Metell. et Liv. l. XXVI. (Facta sunt hæc An. urbis. 543., 532.) — *Exta.* Cæsa victima et immolata, sacerdotes propria lance imposita debebant exta diligenter altaribus admovere, deinde quasi sacrata suscipere et sic vesci; qua in re rituum orientalium vestigium reperire licet. Quod si quis negligenter fecisset, sacerdotio privabatur. — *Flaminio*, id est munere, scilic. sacerdotio flaminis. — An. urbis

Digitized by Google

At Sulpicio inter sacrificandum apex[1] e capite prolapsus, eidem sacerdotium abstulit.

5. Occentusque[2] soricis auditus, Fabio Max. dictaturam, C. Flaminio magisterium equitum deponendi causam præbuit.

6. Adjiciendum his, quod P. Licinio pontifici max. virgo Vestalis[3], quia quadam nocte parum diligens æterni ignis custos fuisset, digna visa est, quæ flagro admoneretur.

7. Maximæ[4] vero virginis Æmiliæ discipulam, exstincto igne, tutam ab omni reprehensione Vestæ numen præstitit: qua adorante, quum carbasum[5] quam optimam habebat, foculo imposuisset, subito ignis emicuit.

543. Liv. XXVI; Plutarch. in Marcell. pag. 216.

1. *Apex.* Vid. Servius in II. Æn. et Plut. in Marcell. Erat apex in summo flaminis pileo virga lanata, hoc est in cujus extremitate modica lana erat alligata. Modo autem pro extremitate pilei, modo per synecd. pro ipso pileo sumitur. — An. U. 532, circiter. Plutarch. Marcell. pag. 218.

2. *Occentusque.* Vid. Plin. VIII, cap. 75. Concentu soricum dirimi auspicia, annales sunt testati. — An. U. 532. Plut. Marcell. p. 218.

3. *Vestalis.* Florus hæc habet: « Numa Pompilius sacrum imprimis Vestæ virginibus colendum dedit, ut ad simulacrum cælestium siderum custos imperii flamma vigilaret »: alii malunt, id factum, ut significarent, se ita perpetuo puras et inviolatas virgines esse debere, sicut inviolatus servabatur ignis. Confer Liv. in vit. Numæ. — Fortasse a Chaldæis Persisque *ignis* sacer, et ejus veneratio ad alias gentes transiit. Gebri adhuc ignem sacrum adorant. Piaculum vero erat ignem exstingui, qui Vestam repræsentabat. — *Admoneretur.* Rectius, quam *admoveretur* et longe usitatior loquendi formula. Vide Senec. de benefic. I; Tacit. Ann. V, 9; Suet. Calig. 20. Codd. MSS. tamen variant hic admodum. — A. U. 547. Liv. XXVIII, 11.

4. *Maxima virgo* erat, quæ vel senior natu collegio Vestalium præsidebat, vel quæ diutissime in eo sacerdotio fuerat versata, quod fuit triginta annorum. Primis X annis sacra edoctæ; sequentibus X fecerunt, postremis alias instruxere, quod fuit præcipue virginis maximæ. Maximarum quoque statuæ interdum ad ædem Vestæ erant conspicuæ. Vid. Suetonium in Domit.; Tacit. ann. in fin. lib. XI.; Dion. Halic. l. II, de hac Æmilia. — *Discipulam.* Multi codd. MSS. et editt. veteres habent *disciplinam*, quam lectionem Torren. et Kapp. probant.

5. *Carbasus*, ut Nonius docet, erat pallium e serico, vel tenui lino.

Digitized by Google

8. Non mirum igitur, si pro eo imperio augendo custodiendoque pertinax eorum indulgentia [1] deorum semper excubuit; quod tam scrupulosa [2] cura parvula quoque momenta religionis examinare videtur : quia nunquam remotos ab exactissimo cultu cærimoniarum oculos habuisse nostra civitas existimanda est [3]. In qua quum Marcellus quintum consulatum gerens templum Honori et Virtuti, Clastidio [4] prius, deinde Syracusis potitus, nuncupatis debitum votis consecrare vellet, a collegio pontificum impeditus est, negante, unam cellam duobus diis recte dicari; futurum enim, si quid prodigii in ea accidisset, ne dignosceretur, utri rem divinam fieri oporteret : nec duobus nisi certis diis [5] una sacrificari solere. Ea pontificum admonitione effectum est, ut Marcellus, separatis ædibus, Honoris ac Virtutis [6] simulacra statueret; neque aut collegio ponti-

quo fœminæ divites amiciebantur. — *Quam*. In aliquot MSS. et edd. vett. legitur *quem*. Perinde est; docent enim grammatici, tam masculini quam feminini generis vocem esse. — Dion. Halic. II, p. 128; Propert. IV, 11, 53.

1. *Pertinax indulgentia* est h. l. perpetuus favor. Sic Livius : « vicit omnia pertinax virtus. » Vulgo *pertinax deorum indulgentia*. Non pauci quoque MSS. *eorum deorum indulgentia*.

2. *Scrupulus* lapillus minutus est, quem fere non animadvertimus, sed qui calcatus sollicitudinem creat; unde scrupulum sollicitudinem et difficultatem dicimus. — *Videtur*. Aliquot codd. MSS. et edd. habent : *examinari videntur*; sensu plane eodem.

3. *Existimanda est*. Recte vidit Noster : Romanorum enim religio, etsi impurissima, efficax tamen fuit, ad coercendam plebis feritatem eamque a vitiis deterrendam; qua paullatim exstincta, per omnia atrocia Romani ruerunt facinora, reipublicæ pestem. — An. U. 545. Liv. XXVII, 25.

4. *Clastidium* oppidum Galliæ cisalpinæ. V. Liv. lib. XXVII. (Factum A. U. 545.) — *Vota* erant *conceptiva*, quæ animo concepta, verbis non sunt expressa; vel *nuncupativa*, voce declarata. Qui vota nuncupassent, ea sæpe, libellis inscripta, templi numinis, cui quid votum erat, porticibus affigebant. — *Cella*, ædes, sacellum.

5. *Certis diis*. Quæ numina societatem inter se habere credebantur, ut Castor et Pollux, Venus et Adonis, Apollo et Diana, etc., his tantum simul sacra facere licebat.

6. *Virtutis*. Liv. XXIX, 11, tradit, ædem Virtutis a *filio* Marcelli, non ab ipso Marcello, dedicatam

Digitized by Google

ficum auctoritas amplissimi viri, aut Marcello adjectio impensæ impedimento fuit, quo minus religionibus suus tenor, suaque observatio redderetur.

9. Obruitur[1] tot etiam illustribus consularibus L. Furius Bibaculus, exemplique locum vix post Marcellum invenit. Sed pii simul ac religiosi animi laude fraudandus non est : qui prætor a patre suo collegii Saliorum[2] magistro jussus, sex lictoribus præcedentibus, arma ancilia tulit : quamvis vacationem hujus officii honoris beneficio haberet. Omnia namque post religionem ponenda semper nostra civitas duxit : etiam in quibus summæ majestatis conspici decus voluit. Quapropter non dubitaverunt sacris imperia servire : ita se humanarum[3] rerum futura regimen existimantia, si divinæ potentiæ bene atque constanter fuissent famulata.

10. Quod animi judicium in privatorum quoque pectoribus versatum est. Urbe enim a Gallis capta, quum flamen Quirinalis virginesque Vestales sacra onere partito ferrent,

esse, quarto anno post patris necem. — An. U. 516. Lactant. div. inst. I, c. 21, 47.

1. *Obruitur*, i. e. *obscuratur*, eleganter. — *Consularibus*. Alii legunt: *tot et tam consulatibus*, quod quintum cos. fuerat Marcellus. Sed lectio antiquior recepta non caret commodo sensu : viros consulares, qui religionis observantes fuerint, adeo multos esse, ut vix Bibaculi mentio possit fieri.

2. *Saliorum*. De Saliis XII (patriciis) a Numa constitutis, Marti gradivo consecratis, totidem ancilia per urbem gestantibus, carminaque cum solenni saltatione canentibus, leg. Liv. I. Servius ad l. VIII. Æn. et Festus. — *Sex lictores* erant prætoris. — *Ancile* scuti genus e cælo delapsi, sicut Palladium Trojanum. Quod unicum principio ancile ne raperetur, quum in eo salus urbis consistere crederetur, Numa per Mamurium XI illi addidit. Vid. Dion. Halic. II, Antiq. Ovid. Fast. III. Erant διοπετῆ ὅπλα.

3. *Humanarum*. Exemplar Pulmannianum habet : « *ita se humanarum rerum velut curam gerere existimantia*, » quæ verba Pighio aliisque pulchriora et nitidiora videntur. Alii legunt : « *habitura regimen* : » sed codd. regii, quos consuluimus, minime variant. — *Existimantia*. Sensus : Imperia, i. e. *magistratus publici* (cf. statim *privatorum*) existimarunt, se tunc fore terrarum dominos, si diis servirent. — An. U. 363. Liv. V, 40, 5 ; Flor. I, 13.

Digitized by Google

easque pontem Sublicium[1] transgressas, et clivum, qui ducit ad Janiculum, descendere incipientes, L. Alvanius, plaustro conjugem et liberos vehens, adspexisset, propior publicæ religioni, quam privatæ caritati, suis, ut plaustro descenderent, imperavit: atque in id virgines et sacra imposita, omisso cœpto itinere, Cæretem[2] oppidum pervexit. Ubi cum summa veneratione recepta, grata memoria, ad hoc usque tempus hospitalem humanitatem testantur. Inde enim institutum est, sacra cærimonias vocari, quia Cæretani ea, infracto Reipublicæ statu perinde ac florente[3], coluerunt. Quorum[4] agreste illud et sordidum plaustrum tempestive capax, cujuslibet fulgentissimi triumphalis currus, vel æquaverit gloriam, vel antecesserit.

1. *Sublicium*. Festus ait, quorumdam opinione esse vocabulum Volscorum. Scaliger *sublicum* non secus atque *obliquum* dici existimat, ab inusitato *liquis*. Liquis autem, ut vetus *auctor de figuris* loquitur, est, quæ minuendi laboris causa et salva tectorum ratione angulorum secundum ipsam extremitatem subtenditur. Pons autem Sublicius et pons Sacer, et Herculis, et Æmilius a Lampridio, et ab Antonio pons Lepidi dictus, circiter pedes DC a Palatino distat. Fundamenta parum supra navalia in fluminis alveo apparent ex solido marmore: unde aliquando pons marmoratus dictus, omnium primus et antiquissimus, hodie nullus. — *Janiculum*. Forsan a Jano olim conditum oppidum (Vide Virg. Æn. VIII, 357, sqq.), dirutum deinde, sed denuo ab Anco Romæ additum, nunc a flavis arenis Mons aureus s. Montorius dicitur. — *Descendere*. Lipsius, Perizonius et Torrenius malint *escendere*, 1, quod auct. dicit, eas jam pontem Sublicium fuisse transgressas; 2, quis ille clivus inter Janiculum et Tiberim interjectus, quem descendere potuerint? 3, quia ipsa dictio *descendere clivum* vix satis est latina. In nonnullis codd. legitur: *adscendere*, teste Torrenio. — *L. Alvanius*. Codd. MSS. *Albinius*, *Albanus*, *Albinus*, *Alvarius*, *Alvatus*, etc. In nominibus propriis codd. sæpius parum sibi constare, notissimum est. — *Adspexisset*. Cod. MS. Perizon. et Vatic. sec. *conspexisset*. — *Religioni*. Id est, publicam religionem privatæ caritati præferebat. Cf. Florus, I, 13, 12.

2. *Cæretem*. Ita codd. MSS. plurimi. Nonnulli *Cære in oppid.* alii aliter.

3. *Florente*. Alii habent *florentes*. Male.

4. *Quorum*. Vulgo *quare*. Codd. MSS. nonnulli legunt *quarum*; sed Leid. 7, 8, et Ultraj. 2, *quorum* scil. *sacrorum*.

Digitized by Google

11. Eadem Reipublicæ tempestate C. Fabius[1] Dorso memorabile exemplum servatæ religionis dedit. Namque Gallis Capitolium[2] obsidentibus, ne statum Fabiæ gentis sacrificium interrumperetur, Gabino ritu cinctus, manibus humerisque sacra gerens, per medias hostium stationes, in Quirinalem collem pervenit : ubi, omnibus solenni more peractis, in Capitolium post divinam[3] venerationem victricium armorum perinde ac victor, rediit.

12. Magna conservandæ[4] religionis etiam P. Cornelio, et Bæbio Tamphilo Coss. apud majores nostros acta cura est. Siquidem in agro L. Petilii[5] scribæ sub Janiculo cultoribus terram altius versantibus, duabus arcis lapideis

1. *Fabius Dorso.* In MSS. plus quam triginta *Dorso suo.* Colerus mavult *Dorsuo;* sed nostram lectionem defendit Sigon. ad Liv. V, 46.

2. *Capitolium* (ἄκρα, κορυφὴ τῆς πόλεως), sic dictum esse ob inventum ibi caput, fabula est. Ingens fuit ejus et templorum Jovis, Junonis et Minervæ magnificentia, infinitum pondus æris atque auri illuc congestum, ita ut Virgilius (VIII, 347, sq.) recte canat : « *hinc ad .... Capitolia ducit Aurea nunc, olim sylvestribus horrida dumis.* — *Statum.* Sic et Livius l. V, narrat: sacrificium erat statum in Quirinali colle Fabiæ genti. Passim *statutum;* præferenda vero videtur lectio nostra. — *Fabiæ gentis.* Fabii ad ipsos aborigines antiquitate referuntur : plures fuere familiæ, Vibulani, Ambusti, Maximi, Pictores, Labeones. — *Gabino ritu.* Videlicet toga in tergum rejecta sub lacerto, ita ut ad dexteram partem laciniam traherent, et sub veste exteriore laciniæ manus dextra teneretur. Hoc factum est, quia, quum Gabini quondam sacra celebrarent, hostes supervenere; illi autem, ut essent expeditiores, rejecta per tergum vestis lacinia, hostem insequuti fuderunt. Hoc vestiendi genus deinde dixerunt cinctum seu procinctum Gabinum.

3. *Post divinam.* Multi codd. pro *post* legunt *propter.* Lips. et Pigh. post *venerationem* comma ponunt et verba *victricium* etc. cum sequentibus conjungunt. Nihil opus est. *Victricia arma* sunt *Galli victores* more Valerii, qui abstracta pro concretis amat. *Post divinam venerationem vict. arm.* i. e. postquam Galli victores, religione moti, Fabium, qui tam audacter et constanter deos colere sustinuerat, per medias stationes incolumem transire passi erant. — An. U. 263. Liv. V, 46; Flor. I, 13, 16.

4. *Conservandæ.* De quo Liv. de bell. Maced. l. XL, 29; Plut. in Numa; Plin. VIII, 13. Contigit An. U. 572. — *Tamphilo.* Multi corrupte *Pamphilo* et *Pamphilio.*

5. *L. Petilii.* Alii *L. Petillii*, quod Pighius maluit. Lapides utramque

Digitized by Google

repertis, quarum in altera scriptura indicabat corpus Numæ Pompilii, Pomponis filii, fuisse; in altera libri reconditi erant Latini septem de jure pontificum [1], totidemque Græci de disciplina sapientiæ : Latinos magna diligentia adservandos curaverunt : Græcos, quia aliqua ex parte ad solvendam religionem pertinere existimabantur, Q. Petilius prætor urbanus ex auctoritate senatus per victimarios [2], igne facto, in conspectu populi cremavit. Noluerunt enim prisci viri quidquam in hac asservari civitate, quo animi hominum a deorum cultu avocarentur.

13. Tarquinius [3] autem rex M. Tullium Duumvirum, quod librum secreta civilium sacrorum continentem, custodiæ suæ commissum, corruptus Petronio Sabino describendum dedisset, culeo insutum in mare abjici jussit : idque supplicii genus multo post [4] parricidis lege irrogatum est. Justissime quidem ; quia pari vindicta parentum ac deorum violatio expianda est.

scriptionem habent. *Petilii* clare exhibent aliquot e MSS. Torrenii.

1. *Pontificum*. Ni fallor, libri ab ipsis pontificibus in fraudem, et ad augendam ipsorum potentiam compositi.

2. *Victimarios*. Erant ministri, qui victimas ligabant, cultrum, aquam et molam parabant, aliaque ad immolandum pertinentia præstabant. — *Igne facto*. Sic libri Protagoræ ob eamdem causam ab Atheniensibus publice sunt combusti. Cic. de Nat. Deor. I, 23. — An. U. 572. Liv. XL, 29; Plin. XIII, 13; Plut. in Numa; Lact. I, 22.

3. *Tarquinius* Superbus. Dion Halicarn. l. c. *M. Atilium* vocat, traditque ex nobilium numero fuisse. — *Duumvirum*. Duo primum fuere, quibus librorum Sibyllinorum cura est demandata, patricii, deinde X, postea XV, ad Syllam usque, postremo L, quibus, licet aucto numero, decemvirorum tamen nomen permansit. — *Culeus* erat corium lupinum, in quo gallus, serpens et simia, quarum bestiarum altera alteram persequi solet, includebantur : deinde qui ejusmodi supplicium meruit, insutus huic culeo, et in proximum fluvium, seu in mare est projectus. Primus hoc supplicio est adfectus Romæ matricida Malleolus.

4. *Multo post*. Alii legunt : *non multo post*, alii *non* delendum judicant, inter quos Pighius, quod putat CCCC demum annis post reges expulsos, post bellum Cimbricum a Mario gestum, eam pœnam fuisse irrogatam. Sed alii malunt, in ipsis quoque XII tabulis, itaque *non* multo (LX circiter annis) post

Digitized by Google

14. Sed in his, quæ ad custodiam religionis attinent, nescio an[1] omnes M. Atilius Regulus præcesserit; qui ex victore speciosissimo, insidiis Hasdrubalis, et Xanthippi Lacedæmonii ducis ad miserabilem captivi fortunam deductus, ac missus ad S. P. Q. R. legatus, ut ex se[2] et uno, et sene, complures Pœnorum juvenes pensarentur, in contrarium dato consilio, Carthaginem repetiit; non ignarus[3], ad quam crudeles, quamque merito sibi infestos deos reverteretur : verum quia[4] his juraverat, si captivi eorum redditi non forent, ad eos se rediturum. Potuerunt profecto dii immortales efferatam mitigare sævitiam : cæterum quo clarior esset Atilii gloria, Carthaginienses moribus[5] suis uti passi sunt : tertio punico bello religiosissimi spiritus tam crudeliter vexati, urbis eorum interitu, justa exacturi piacula.

15. Quanto nostræ civitatis senatus venerabilior in deos! qui post cannensem cladem decrevit, ne matronæ

regum fugam eam pœnam esse constitutam, unde cum Aldo vocem *non* retinent.— Dion. Halic. 4; Zonaras.

1. *Nescio an.* Semel monuisse sufficerit, hanc formulam simpliciter adfirmare, et significare : *sine dubio.* Eodem sensu dicitur : *haud scio an.* — *Regulus.* Notissimam de *Regulo* narrationem legimus in Livio, Polybio, Cicerone de Off. III, nec non in or. c. Pisonem et in Paradoxis. Vid. etiam Fikenscheri libellus eruditione pleniss. de M. Att. Regulo. — A. U. 498. Polyb. I, 32; Diod. Sic. XXII, 12; Cic. Offic. XIII, 26; Flor. II, 2, 23 et alii.

2. *Ex se.* Periz. et Lips. delent *ex* quod tamen in omnibus MSS. et edd. vett. exstat. Valer. dicere vult: Carthaginienses postulasse, ut pro Regulo uno, eodemque sene, complures Pœnorum duces, iidemque juvenes redimerentur : id quod Regulus dissuasit.

3. *Non ignarus.* In edd. sat multis *non quod ignarus*, id est, non quod ignarus esset. — *Deos* nonnulli expungunt, alii *hostes* ejus loco ponunt, quod approbaverim : cur enim Dii fuerint infesti Regulo, qui jusjurandum tam religiose et sancte servavit? Cum eo conspirant etiam Ciceronis verba, e cujus scriptis plurima Noster desumsit. Lipsius legit *eos;* Perizonius, *dominos;* Torrenius, *Pœnos.*

4. *Quia.* Pighius expunxit *quia*, sed retinendum est auctoritate codicum MSS.

5. *Moribus.* Qui plerumque perfidi et immanes fuerant. — An. U. 503. Cic. Offic. III, 26; Gell: VI, 4.

Digitized by Google

ultra tricesimum[1] diem luctus suos extenderent, uti ab his sacra Cereris peragi possent : quia majore pæne romanarum virium[2] parte in exsecrabili ac diro solo jacente, nullius penates mœroris expertes erant. Itaque matres ac filiæ, conjugesque, et sorores nuper interfectorum, abstersis lacrimis, depositisque doloris insignibus, candidam induere vestem[3], et aris dare tura coactæ sunt. Qua quidem constantia obtinendæ religionis, magnus cælestibus[4] injectus est rubor ulterius adversus eam sæviendi gentem, quæ ne injuriarum quidem acerbitate ab eorum cultu absterreri potuerit.

DE RELIGIONE NEGLECTA.

16. Creditum est, Varronem[5] consulem apud Cannas cum Carthaginiensibus tam infeliciter dimicasse ob iram Junonis; quod quum ludos Circenses[6] ædilis faceret, in

1. *Tricesimum.* Quum alioquin per annum lugerent. — *Uti ab his ... possent.* Non enim fas erat *lugentibus*, sacrum anniversarium Cereris facere. Liv. XXII, 56; XXXIV, 6.

2. *Virium.* Non *virorum*, quod audacter Pighius posuit et otiosum erat : *vires* autem ponitur pro exercitu. Vid. Liv. XLII, 47; Justin. IV, 3, 5; Frontin. IV, 7, 6; et ipse Valerius Max. V, 3, 2. — *Solo.* Apud *Cannas* Apuliæ, ubi Romanorum amplius XL millia cæsa.

3. *Candidam induere vestem.* Nam alias in luctu et squalore esse eas oportuit. Cereri autem in candida veste sacra fiebant a matronis, teste Ovidio lib. X metamorph. — *Tura.* Antiquissimis temporibus *tura* in usu non fuere, postea forsan Numa res sacras ordinante tura tulerunt ad aras, credentes suffitu deos delectari : de quo Arnobius C. VII.

4. *Cælestibus.* Quam impotens et enormis Valerius in laudandis Romanis sit, vel hæc una periodus ostendit, ubi intempestive satis in deos suos invehitur, ut merito illi acclamari possit, quod vulgo dicitur : *ut videantur sapere, cœlum vituperant.* — An. U. 537. Liv. XXII, 56; Fest. in græc. sacr.

5. *Varronem.* Loco sordido erat natus; quippe Livius patrem ejus lanium fuisse refert, ipsum institorem mercis. Is juvenis, ex eo quæstus genere pecunia a patre relicta, animum ad spem liberioris fortunæ adjecit; forum ei placuit, et proclamando primum pro sordidis hominibus caussisque adversus rem famamque bonorum, paulatim in notitiam populi, deinde ad honores pervenit.

6. *Ludos Circenses.* Quorum Ro-

Digitized by Google

Jovis Opt. Max. templo eximia facie puerum histrionem ad excubias tenendas posuisset: quod factum[1] post aliquot annos memoria repetitum, sacrificiis expiatum est.

17. Hercules quoque detractæ religionis suæ, et gravem et manifestam pœnam exegisse traditur. Nam quum Potitii[2] sacrorum ejus ritum quem, pro dono genti eorum ab ipso assignatum, velut hereditarium obtinuerant, auctore Appio Censore, ad humile servorum ministerium transtulissent; omnes, qui erant numero super XXX puberes, intra annum exstincti sunt, nomenque Potitium in duodecim familias divisum interiit. Appius vero luminibus captus est.

18. Acer etiam sui numinis vindex Apollo[3] qui, Carthagine a Romanis oppressa, veste aurea nudatus, id

mani adeo erant cupidi, ut pane et Circensibus nil vehementius amarent. Instituti in honorem Jovis, Junonis et Minervæ. His imitati sunt ludos Olympicos. Præmissa pompa Circensis, deinde sponsiones pro victoria aurigarum quatuor colorum, veneti, quo nubilam hiemem, prasini, quo ver virens, russati, quo æstatem flammeam, albi, quo pruinosum autumnum signarent, atque naturæ ministeria spectaculorum composita imagine luderent. De quibus plura leg. infra. Vid. Cassiodor. III; Tertullian. de spectaculis, cap. 9. Bullenger, de Circensibus. — *Ædilium* officium ostendit Cicero in Verr. ult. Vid. Gell. III, 10.

1. *Quod factum*, etc. *Histrio* non ab Istria, ut Festus vult, sed teste Livio VII, 2, a verbo Tusco *hister*, i. e. ludio, est dictus. Vid. Cic. Parad. 3. Histriones personati in scena comœdias et tragœdias agebant voce et corporis gestu. Hi levis notæ macula sive infamia quadam erant aspersi. Quum igitur infamis conditionis puerum excubiis Jovis præfecisset Varro, hoc erat expiandum. — An. U. 533. Lact. Instit. div. II, 16.

2. *Potitii*. Familia inclyta. Vid. Liv. I, 7; X, 29, et 34; Fest. et Minuc. Fel. c. 24, ibique interprett. Macrob. Sat. III, 6; Dion. Halic. I, 5; Lact. II, 7; Serv. Æn. VIII, 179, 297; Aurel. Vict. in App. Cens.; Macrob. Sat. I, 6, III; Dion. Halic. I, p. 5. — A. U. 441.

3. *Apollo*. Quum Scipio Afric. Carthaginem militibus diripiendam concessisset, quidam Apollinis templum ingressus, ejus simulacrum aurea veste indutum spoliare tentavit; qua re indignatus Apollo, ut perhibent, id egit, ut sacrilegæ manus a corpore abscissæ reperirentur. Sic Appianus et Pausanias rem narrant. Contigit A. U. 607. — Cæterum hoc utrumque de Apolline exemplum in codd. Brand. abest; externa enim sunt, et forsan a librario addita.

Digitized by Google

egit, ut sacrilegæ manus inter fragmenta ejus abscissæ invenirentur. Brennus[1] Gallorum dux Delphis Apollinis templum ingressus, dei voluntate in se manus vertit.

19. Nec minus efficax ultor contemptæ religionis filius quoque ejus Æsculapius, qui consecratum templo suo lucum a Turullio[2] præfecto Antonii, ad naves ei faciendas, magna ex parte succisum dolens, inter ipsum nefarium ministerium devictis partibus Antonii, imperio Cæsaris destinatum morti Turullium, manifestis numinis sui viribus eum in lucum, quem violaverat, traxit : effecitque, ut ibi potissimum a militibus Cæsarianis occisus, eodem exitio, et eversis jam arboribus pœnas lueret, et adhuc superantibus[3] immunitatem consimilis injuriæ pareret : suamque venerationem, quam apud colentes maximam semper habuerat, deus multiplicavit[4].

20. Q. autem Fulvius Flaccus impune non tulit, quod

1. *Brennus*. De Brenno, postremo in furorem verso, evolve Just. lib. XXIX. — *Templi Delphici* divitiæ, quas inde æstimare licet, quod postea Phocæenses ad bellum sacrum plus quam decem talentorum myriades inde acceperint, tot tantisque donis cum Græcorum tum exterarum gentium e locis tam diversis quotannis auctæ, multum hostibus præbuerunt incitamenti ad rapiendum. — An. U. 607. Cic. de Div. I, 38; App. Punic. p. 57; Justin. 24.

2. *Turullio*. P. Turullius inter Cæsaris dict. percussores proscriptus, postea bello Actiaco partibus Antonii adhæsit, et ab eodem apud Leucadem, Ambraciæ promontorium, jam victo et gratiam sibimet ambiente proditus atque traditus Augusto est, cujus jussu in insula Co (ubi lucum Æsculapii, classis parandæ caussa, Turullius succiderat), velut in vindictam numinis est occisus.

3. *Superantibus*. Id est, superstitibus et adhuc exstantibus. — *Immunitatem* Mitalerius atque Vorstius legere malunt, et me quidem judice recte improbant *impunitatem* injuriæ, quam vocem alii habent. Injuriæ autem *immunitas* in eo consistit, quod Turullius, utpote exstinctus, arbores non amplius succidere poterat, quodque, ut loquitur noster, exitio suo immunitatem eam arboribus pepererat.

4. *Multiplicavit*. Non cum aliis *multiplicaret* legendum : nam non ad Turullium, sed ad Æsculapium hæc vox est referenda. — An. U. 723. Dion. hist. LII, p. 448; Lactant. II, 7.

Digitized by Google

in censura tegulas[1] marmoreas ex Junonis Laciniæ templo in ædem Fortunæ Equestris, quam Romæ faciebat, transtulit. Negatur enim post hoc factum mente constitisse: quin etiam per summam ægritudinem animi exspiravit, quum, ex duobus filiis in Illyrico militantibus, alterum decessisse, alterum graviter audisset affectum. Cujus casu[2] motus senatus, tegulas Locros reportandas curavit, decretique circumspectissima sanctitate impium opus censoris retexuit.

21. Tam me hercule quam Q. Pleminii[3], legati Sci-

1. *Tegulas.* His *tegulis* illud miraculi fuisse perhibetur, ut, si quis ferro in tegula templi ipsius nomen incideret, tam diu illa scriptura maneret, quam diu viveret, qui incidisset. Vid. Servius ad III Æneid. — *Lacinia Juno*, vel a Lacinio latrone dicta, qui extrema Italiæ infestaverat: quem Hercules quum occidisset, ad expiationem loci placandamque Junonem, quæ sibi irata dicebatur, ei templum dedicavit, et a latrone Junonem Laciniam appellavit: vel a Lacinio promontorio in terra Locrensium. Valerius innuere videtur, illud Junonis templum fuisse Locris. Livius autem lib. XXXIV, Crotonæ: alii ad Crotonam fuisse volunt. Vid. Strabo, VI; Theocrit. id. IV, v. 33, ibique schol. Si constat, Laciniæ Junonis celeberrimum templum non Locris, sed ad Crotonam fuisse, vix passuum millibus sex distans; sane lectio *loco* vel *illico* melior videtur, quam vulgo recepta: tegulas *Locros* reportandas curavit. Sed Gronovius suspicatur: Locros nominasse Valerium, quod eo esset commodissimus et frequentissimus appulsus navibus, quæ quid in omnem eam oram portarent, et similiter inde paratissima ad Junonis templum subvectio. — *Fortunæ Equestris.* Quæ insidens equo fingebatur. Erat autem et templum *Fortunæ Plebeiæ.* Vid. infra.

2. *Casu.* Immo sacrilegio motus fuit senatus, ut tegulæ reportarentur. — *Locri* urbs est magnæ Græciæ, quam coloniam fuisse Locrorum in Græcia constat. — *Sanctitate.* Rectius forsan legimus *sanctione.* Decreta enim ac leges sanctionibus quibusdam firmari ac muniri solebant; scil. vel pœnæ alicujus adjectione, vel adversarum aliarum legum derogatione. — *Retexuit.* Delevit ac emendavit. Translatio sumta a textoribus: nam qui texunt fila, in ordinem redigunt, qui vero retexunt, opus delent. — An. U. 579. Liv. XLII, 3; Lactant. II, 7.

3. *Q. Pleminii.* Pleminium Locris cum præsidio rom. præfecerat Scipio. At ille, quum multorum exemplo, qui avaritia ducti tot mala in provincias congesserunt, ut Romani ab hostibus vix discerni possent, plurima facinora in Locrenses edidisset, templum quoque Proserpi-

Digitized by Google

pionis, in thesauro Proserpinæ spoliando sceleratam avaritiam justa animadversione vindicavit. Quum enim eum vinctum Romam protrahi jussisset, ante caussæ dictionem in carcere teterrimo genere morbi consumptus est : pecuniam dea ejusdem senatus imperio, et quidem summam duplicando, recuperavit.

EXTERNA EXEMPLA OBSERVATÆ VEL NEGLECTÆ RELIGIONIS.

1. Quæ, quod ad Pleminii facinus pertinuit, bene a patribus conscriptis vindicata[1] est : quod ad violentas regis Pyrrhi[2] sordes attinuerat, se ipsam potenter atque efficaciter dea defendit. Coactis enim Locrensibus ex thesauro[3] ejus magnam illi pecuniam dare, quum onustus nefaria

næ diripuit. Quum etiam in tribunos omnibus suppliciis sæviisset, catenis vinctum Romam tractum fuisse ferunt. — *Teterrimo genere morbi*, nempe pediculari, ut nonnulli memorant, consumtus est. Alii legunt : *genere mortis*. Ludis enim votivis, quos Romæ Africanus iterum consul fecit, conati sunt quidam, quos Pleminius pecunia corruperat, aliquot locis urbem incendere, ut frangendi carceris aufugiendique haberet facultatem. Patefacto autem scelere, ex SC. in Tullianum s. inferiorem carcerem est detrusus, ubi prius in vinculis est mortuus, quam de eo populi judicium perferretur. Vid. Livium, XXVIII, 19 — 22; XXXI, 12; XXXIV, 44. An. U. 549.

1. *Vindicata*. Pigh. ex uno cod. *Quod quidem — vindicatum*. Frustra. *Quæ* pertinet ad *deam* Proserpinam, quam auctor a patribus vindicatam dicit.

2. *Pyrrhi*. Pyrrhus e Sicilia rediens, thesauros Proserpinæ Locris intactos adhuc spoliavit, atque pecunia in naves imposita, ipse terra est profectus. Classis autem postero die fœdissima tempestate lacerata fuit, et naves, quæ sacram pecuniam ferebant, in littora Locrensia sunt revectæ. Referunt etiam, nihil unquam postea prosperi Pyrrho evenisse. Pulsus enim Italia, temere nocte ingressus Argos, inhonesta morte occubuit. — *Sordes*, id est, avaritiam, quia nihil hominem reddit sordidiorem, quam avaritia.

3. *Thesauro*. Thesaurus interdum est ipse locus, in quo asservantur divitiæ. Sic et apum alvearia thesauri vocantur; nec non antrum s. caverna thesauri nomine venit, et Græci quoque conditoria θησαυροὺς appellant. Vid. Grotii nott. in Matth. II, 11. — An. Urb. 478. Liv. XXVIII, 18; Lactant. II, 7.

Digitized by Google

præda navigaret, vi subitæ tempestatis tota cum classe vicinis deæ litoribus illisus est: in quibus pecunia incolumis reperta, sanctissimi thesauri custodiæ restituta est.

2. At non similiter Masinissa[1] rex: cujus quum præfectus classis Melitam[2] appulisset, et æque ex fano Junonis dentes eburneos eximiæ magnitudinis sublatos, ad eum pro dono attulisset, ut comperit, unde advecti essent, quinqueremi reportandos Melitam, inque templo Junonis collocandos curavit, insculptos gentis suæ literis, significantibus, regem ignorantem eos accepisse; libenter deæ reddidisse. Factum Masinissæ animo[3], quam punico sanguini conveniens: quamquam quid attinet mores natione perpendi[4]? in media barbaria ortus, sacrilegium rescidit alienum.

3. Syracusis Dionysius[5] genitus, tot sacrilegia sua, quot jam recognoscimus, jocosis dictis prosequi volupta-

1. *Masinissa*, rex Numidarum constantissimæ in Romanos fidei. Vide Sallust. bell. Jug.

2. *Melitam*. Melita insula in Siculo mari, haud longe a Sicilia: eratque in Melita oppidum ejusdem nominis, nec procul inde in promontorio fanum Junonis antiquum, summa cum reverentia celebratum. Vide Ovid. Fast. III, 567. — *Et æque ex fano*, id est, similiter, ut Pyrrhus ex fano. Sic septemdecim codd. quibus Torrenius usus est, et alii. Val. hoc adverbio sæpius utitur. Vid. I, 5, 2; III, 2, ext. 8; III, 2, ext. 9; IV, 3, ext. 3; VIII, 1, 4; VIII, 15, initio; I, 8, 12.

3. *Animo*. Alii habent: *plus animo*. Gronov. pro animo ponendum censet *romano*; quod rectius opponitur *punico*, quam animus sanguini. Sed Lipsius legendum censet: *Masinissæ animo, quam punico*, etc. omissa voce *magis*, quod crebrum et pulchrum sit in oratione Latinis nonnullis, e. g. Tacito.

4. *Perpendi*. Sicut de Themistocle fama est, quem Seriphio cuidam, quum ille diceret patriam Themistocli dedisse nobilitatem, respondisse ferunt: nec tu si Atheniensis esses, clarus unquam extitisses, nec ego, si Seriphius essem, ignobilis. — Ex Cic. Verr. IV, 16.

5. *Dionysius*. Hunc, nempe *seniorem*, quod Syracusis genitum dicit, id respectu Masinissæ facit, quem in media barbarie ortum refert. Vult igitur, mirum esse, quum *Dionysius* Syracusis, in urbe græca eaque cultissima, ubi studia humanitatis florerent, natus fuit, religionis eum adeo negligentem fuisse.

Digitized by Google

tis loco duxit : fano enim Proserpinæ[1] spoliato Locris, quum per altum secundo vento classe veheretur, ridens amicis : « Videtisne, ait, quam bona navigatio ab ipsis immortalibus sacrilegis tribuatur? » Detracto etiam Jovi Olympio[2] magni ponderis aureo amiculo, quo eum tyrannus Hiero e manubiis Carthaginiensium ornaverat, injectoque ei laneo pallio, dixit, æstate grave amiculum aureum esse, hieme frigidum : laneum autem ad utrumque tempus anni aptius. Idem Epidauri Æsculapio barbam auream demi jussit : quod affirmaret, non convenire, patrem Apollinem imberbem, ipsum barbatum conspici. Idem mensas argenteas[3] atque aureas e fanis sustulit : quodque in his more Græciæ scriptum erat, bonorum deorum eas esse, uti se bonitate eorum prædicavit. Idem victorias aureas[4] et pa-

1. *Proserpinæ*. Proserpina simul cum Cerere in Eleusinis sacris culta. In memoriam raptus Proserpinæ *Thesmophoria* maximo luctu mense Pyanepsione celebrata, quem mensem ideo σπόριμον appellavit Plut. — Ex Cic. de Nat. deor. III, 34; Ælian. hist. I; Lactant. II, 14, 19.

2. *Jovi Olympio*. De hoc Jovis templo Cicero in Verrinis : alia, inquit, urbs est, haud procul a Syracusis, cui nomen est Acarnania, in qua Olympii Jovis antiquissimum fanum est. — *Hiero*. Cicero l. c. ex quo hæc forte excerpsit Valerius, *Gelonem* nominat. Habentque *Gelonem* nonnulli codd. teste Pighio; plurimi refragantur. Quare non ausim hoc Ciceronis auctoritate motus immutare; quamvis sciam, Hieronem toto fere seculo Dionysio posteriorem esse, et donaria devictis Carthaginiensibus dedicata a Gelone, interque ea Jovem ingentis magnitudinis, commemorari a Pausania lib. VI Eliac. p. 499; itemque a Diod. Sic. lib. XI, p. 20, maxima deorum templa a Gelone ex manubiis Carthaginiensium exstructa prædicari. Sed in tanto codd. consensu manum potius abstineo, quum videam auctorem sæpius a vero aberrasse. Nisi ipse de Hierone intellexerit, qui Geloni successit, de quo Diodor. Sic. lib. XI, p. 37, et cujus etiam meminit Pindarus Olymp. od. VI. Torren.

3. *Argenteas*. Mos fuit apud antiquos ut *mensæ argenteæ* in deorum templis consecrarentur; in his autem inscribebatur titulus : τῶν ἀγαθῶν seu χρηςῶν θεῶν. Cic. l. c. hæc habet verba : « in quibus — more veteris Græciæ inscriptum esset : *bonorum deorum*. » Exinde apparet, Valerium verba scriptorum, quos excerpsit, interdum nonnihil immutasse.

4. *Victorias aureas*. Et hunc

Digitized by Google

teras, et coronas, quæ simulacrorum porrectis manibus sustinebantur, tollebat, et eas se accipere, non auferre, dicebat : perquam stultum esse argumentando, a quibus bona precamur, ab his porrigentibus nolle sumere. Qui tametsi debita supplicia non exsolvit[1], dedecore tamen filii, mortuus pœnas rependit, quas vivus effugerat. Lento enim gradu ad vindictam sui divina procedit ira; tarditatemque supplicii gravitate compensat[2].

4. In quam ne incideret Timasitheus[3], Liparitanorum princeps, consilio sibi pariter, atque universæ patriæ, utili providit exemplo. Excepta namque in freto a civibus suis piraticam exercentibus magni ponderis aurea cratera,

morem fuisse constat, ut imperatores parta ex hostibus victoria statuas quasdam et imagines deæ *Victoriæ* consecrarent, quod Themistoclem fecisse Quintilianus testatur Institut. orat. IX. Sed Vorstius vult, victoriolas illas, uti loquitur Cicero, non ipsas Victoriæ statuas fuisse, sed aliquod parvum simulacrum, quod manibus statuarum sustineri solitum fuerit. Earum autem forma in antiquis numis frequens. — *Pateras*. Vide Isidor. XX, 5.

1. *Exsolvit*. Ex mente Ciceron. de N. D. III. Justinus quidem crudeliter a suis necatum memorat; sed plus credendum Ciceroni. — *Dedecore*. De quo Justinus, XX. Hic demum Corinthi sordidissimo vitæ genere victum petiit, ac postremo pueros in triviis docuit, unde in proverbium abiit Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ. Vide Ælian. VI, 12, IX, 8.

2. *Compensat*. In multis codd. MSS. *pensat*. — Vid. Just. XX, in fin. et XXI, 5.

3. *Timasitheus*. Factum est illud, quum Camillus in obsidione Veiorum decimam prædæ partem vovisset Apollini, et populus roman. crateram fieri juberet auream, quam miserunt Delphos. Legatos cum præsidio navium Timasitheus est prosequutus, fecitque, ut sospites reverterentur; unde ex SC. amicitia cum eo est facta, donaque illi publice data. — *Liparitanorum*. Lipare insula, una ex Æoliis.

Quæ nunc usque ad exemplum de Dejotaro rege cap. V, sequuntur, Aldus primus apposuit : in plerisque codd. MSS. desunt. Hæc concisiora videntur ex epitome quadam Valerii restituta. Qua de re lege, si placet, Vorstii notam. — *Pariter*. Passim *aliter*. Sed *pariter* rectum, quod etiam Pigh. in MSS. invenit. Nam Timasitheus *sibi* hoc facto Romanorum benevolentiam et amicitiam conciliavit, ita ut hospitium cum eo facerent et donis ipsum ornarent, non solum tunc, sed etiam erga posteros ejus sese hujus beneficii memores ostenderent, ut docet Diod. Sic. XIV, p.

Digitized by Google

incitatoque[1] ad eam partiendam populo, ut comperit a Romanis Pythio Apollini decimarum nomine dicatam, manibus venundantium ereptam deo Delphos perferendam curavit.

5. Milesia Ceres, Mileto ab Alexandro capta, milites, qui templum spoliaturi irruperant, flamma objecta privavit oculis[2].

6. Persæ[3], mille navium numero Delum compulsi, templo Apollinis religiosas potius manus quam rapaces adhibuerunt.

7. Athenienses Protagoram[4] philosophum pepulerunt, quia scribere ausus fuerat, primum ignorare se, an dii essent : deinde si sint, quales sint. Iidem Socratem damnaverunt, quod novam religionem introducere videbatur. Iidem Phidiam[5] tulerunt, quamdiu is marmore potius quam ebore Minervam fieri debere dicebat, quod diutius nitor esset mansurus ; sed ut adjecit, et vilius, tacere[6] jusserunt.

307, et simul *patriæ* præbuit *exemplum*, quod cum magno fructu sequerentur.

1. *Incitatoque*, etc. Codd. MSS. plerique cum vett. edd. ita constituunt : *quam Romani Pythio Apollini decimarum nomine dicaverant, incitato ad eam partiendam populo, ut comperit, eam Delphos perferendam curavit;* omissis : *manibus venundantium ereptam*, quæ vero stylo Valerii satis conveniunt, si *venundantium*, in animo habentium venundare, exponas, de quo loquendi genere vid. Periz. ad Sanct. Min. I, 13, 4, et XV, 6. *Venundantes* sunt Liparitani. — An. U. 359. Liv. V, 28.

2. *Flamma... oculis.* Naturalis quidem rei eventus : sed verisimile tamen, div. providentiam cavisse, ne religio, etsi falsa, dum meliori carerent, haberetur ludibrio. — Lactant. hist. II, 7.

3. *Persæ*, etc. In Xerxis expeditione. *Delos* Apollinis et Dianæ patria : templum ibi oraculis inclaruit. *Persæ* quidem deum sub imaginibus et in templis coli noluerunt; in hoc tamen templo donaria auxerunt. — Herodot. VI.

4. *Protagoram.* Protagoras de diis dubius erat : *Diagoras* ἄθεος dictus.

5. *Phidiam.* Phidias in diis quam hominibus effingendis artifex melior. Quinctilian. XII. In ebore citra æmulum; quod testatæ sunt Minerva Athenis et Jupiter Olympius. Conf. Plin. Hist. nat. XXXIV, 8; Ovid. ex Pont. IV, 1, 31.

6. *Tacere.* Quia in diis colendis

Digitized by Google

8. Diomedon, unus ex decem ducibus, qui Arginusæ eadem pugna Atheniensibus victoriam, sibi vero damnationem pepererunt, quum jam ad immeritum[1] supplicium duceretur, nihil aliud loquutus est, quam ut vota pro incolumitate exercitus ab ipso nuncupata solverentur.

CAPUT II.

De Religione simulata a Romanis.

1. Numa Pompilio rege. — 2. P. Scipione Africano majore. — 3. L. Cornelio Sulla. — 4. Q. Sertorio.

De Religione simulata ab externis.

1. Minoë Cretensium rege. — 2. Pisistrato Atheniensi. — 3. Lycurgo Spartano. — 4. Zaleuco Locrensi.

DE RELIGIONE SIMULATA A ROMANIS.

1. Numa Pompilius[2], ut populum romanum sacris obligaret, volebat videri sibi cum dea Egeria congressus esse

parcere se sumptibus Athenienses videri nolebant. Cæterum Minervæ simulacrum eburneum quum largo auro esset ornatum, plures aureum illud appellant. — Cic. de Natura deor. I, 23; Ælian. Var. hist. I, 16, 2, 13; Serv. ad Virg. Æn. VIII, 187, et alii.

1. *Immeritum.* Aldus perperam: *quum jam ad meritum.* Pighius: *quum jam non ad meritum.* Ipse Noster III, 8, ext. 3; IX, 8, ext. 2, Atheniensem civitatem iniquissimo ac truculentissimo errore instinctam de his prætoribus sententiam dixisse ait. Vera ergo lectio: *quum jam ad immeritum*, sive potius: *quum ad immeritum*, omisso *jam*. — Vid. Ælian. Var. hist. III. — *Solverentur.* Servatæ ad mortem usque religionis exemplum. Quum injuste cum collegis prætoribus damnatus raperetur ad supplicium, nil tamen illi fuit antiquius, nisi ut vota persolverentur.

2. *Pompilius.* Fere omnes legislatores divinam quamdam inspirationem s. revelationem sunt professi, quo libentius, qui sibi æqualibus hominibus forsan non parnissent, diis obsequium præstarent et legum divinarum auctoritas constaret: quod fuit Minois et aliorum, quod fuit et senatus rom. artificium. An. U. 39; circiter. Liv. II, 19. Dionys. et alii. De *Egeria* nympha, ex qua rerum divinarum scientiam hausisse se aiebat Numa, vid. Plut. 62, A.

Digitized by Google

nocturnos, ejusque monitu se, quæ accepta diis immortalibus sacra forent, instituere.

2. Scipio[1] Africanus non ante ad negotia publica vel privata ibat, quam in cella Jovis Capitolini moratus esset, et ideo Jove genitus credebatur.

3. L. Sulla[2], quoties prælium committere destinabat, parvum Apollinis signum Delphis sublatum, in conspectu militum complexus, orabat, uti promissa maturaret.

4. Qu. Sertorius[3] per asperos Lusitaniæ colles cervam albam trahebat, ab ea se, quænam aut agenda, aut vitanda essent, prædicans admoneri.

DE RELIGIONE SIMULATA AB EXTERNIS.

1. Minos[4] Cretensium rex nono quoque anno in quoddam præaltum, et vetusta religione consecratum specus secedere solebat: et in eo moratus, tamquam a Jove, quo se ortum ferebat, traditas sibi leges prærogabat[5].

2. Pisistratus[6] in recuperanda tyrannide, quam ami-

1. *Scipio.* Jove genitus sub specie serpentis credebatur, sicut Alexander M. se Ammonis filium, ab eo sub serpentis specie genitum, jactabat. Cæterum διογενὴς denotat etiam nobilem, inclytum deoque amatum, quæ vox honorifica fabulis interdum ansam præbuisse videtur. — An. U. 542. Liv. XXVI, 19; Quint. II, 4; Aur. Vict. de Scip.; Gell. VII, 1; Plut. in Æmil.

2. *L. Sulla*, etc. Hac re militum animi accendebantur, deos propitios esse secum credentium. — An. U. 671. Plut. Front. I, 11, 13; Gell. XV, 22; Oros. XXII, 5.

3. *Q. Sertorius*, etc. De Lusitania vid. præter vett. geographos Plin. IV, 21. *Trahere* Curtio etiam aliisque idem, quod secum ducere. *Sertorius* sine dubio se a Diana per cervam moneri voluit. — An. U. 673. Plut. Front.

4. *Minos.* Cretensium rex, Xanthi rectius, quam Jovis et Europæ filius, quem ob justitiæ laudem cum coævis fere, *Æaco* Myrmidonum rege ejusque fratre *Rhadamantho*, inferorum judicem habuit superstitio.

5. *Prærogabat.* Ita Aldus atque alii ediderunt. At cod. Brandeb. habet *prorogabat*, quod probat Perizon. *Prorogabat* est: in proximos quosque novem annos decreto continuabat. Passim in MSS. *perrogabat*, quod non damnat Torren. — Plato in Min.; Marshami Chronic. p. 277, et 613.

6. *Pisistratus.* Tyrannide adversus

Digitized by Google

serat, simulatione reducentis se in arcem Minervæ est usus: quum per ostentationem ignotæ mulieris, quæ Phya vocabatur, formatæ ad habitum deæ, Athenienses deciperet.

3. Lycurgus consilio Apollinis gravissime Lacedæmoniorum civitati leges compositas ferre se persuasit[1].

4. Zaleucus sub nomine Minervæ apud Locrenses[2] prudentissimus habitus est.

CAPUT III.

DE PEREGRINA RELIGIONE REJECTA.

1. A senatu Romano. — 2. A C. Cornelio prætore. — 3. A L. AEmilio Paullo Cos.

1. Bacchanalium[3] sacrorum mos novus institutus, quum ad perniciosam vesaniam iretur, sublatus est.

Lutatius, qui primum punicum bellum confecit, a senatu prohibitus est, sortes[4] Fortunæ Prænestinæ adire;

Solonis auctoritatem occupata, ejectus est Athenis ab infesta Megadis factione, ita ut per annos V, deinde denuo XI annos patria careret. Tandem ipse Megacles eum restituit. Ipse Pisistratus, vir doctus, artes inter Athenienses maxime excoluit. Præcipue etiam in Homeri carmina meritis eminet. — Herod. I, 60; Polyæn. I, 21; Athen. XIII.

1. Herodot. I, 65; Plut. Strab. X; Justin. III, 3.

2. *Locrenses Epizephyrios*, quibus leges dedit. Thaletis auditores perhibent quidam *Lycurgum* et *Zaleucum*. Arist. Polit. II, 10; Suidas et Cicer. de leg. II; Ælian. Var. Hist. II, 37, III, 17; Symmach. X, ep. 18; Valer. Maxim. VI, 5: ext. 3.

3. *Bacchanalium*, etc. In MSS. cum superioribus sine ullo tituli novi vestigio cohærent. — *Sublatus est*. Postumii jussu, quid enim *Bacchanalibus* turpius? De quibus inter alios Livius, XXXIX; Ovidius, Fast. III, et ipse Noster, VI. Habita Bacchanalia apud Romanos XV Kal. april. Deinde non plane quidem, sed sic tamen sublata, ut sceleribus et conjurationibus ansa præcideretur. — An. U. 567. Liv. XXXIX, 16; Cic. de Leg. II, 15.

4. *Sortes* (s. oracula in templo Fortunæ) præ cæteris nobilissimæ. Post plura enim prodigia, quibus maxime intentos Romanos videmus, v. c. silicem a Numerio Suffio cæsum, ex quo sortes, nimirum insculptæ priscarum litterarum (si quid fuit, lusus naturæ) notæ, eru-

Digitized by Google

auspiciis enim patriis[1], non alienigenis, rempublicam administrari oportere judicabant.

2. C. Cornelius Hispallus, prætor peregrinus, M. Popilio Lænate, Cn. Calpurnio Coss. edicto Chaldæos[2] intra decimum diem abire ex Urbe atque Italia jussit: levibus et ineptis ingeniis, fallaci siderum interpretatione, quæstuosam mendaciis suis caliginem injicientes. Idem, qui Sabazii[3] Jovis cultu simulato mores romanos inficere conati sunt, domos suas repetere coegit.

3. L. Æmilius Paullus consul, quum senatus Isidis[4] et Serapis fana diruenda censuisset, eaque nemo opificum attingere auderet, posita prætexta securim arripuit, templique ejus foribus inflixit.

pisse dicuntur, — deinde mel, quod ex olea fluxit, — aruspices dixerunt, summa nobilitate has sortes futuras, eorumque jussu ex olea ista arca est facta, eaque conditæ sortes. Disposuerat eas in excavatam columnam inventor, unde quotannis Kal. jan. magna celebritate exemptæ, eaque, qua eductæ erant, serie junctæ integra responsa absolvebant, quæ oraculi vim habere credita sunt. Sic Peucer, de divinat.

1. *Patriis.* Pigh. et Coler. perperam *patris.* Auspicia *patria*, i. e. *quæ Romæ sunt.* — An. U. 511.

2. *Chaldæos.* Chaldæi iidem, qui astrologi et mathematici: nam non tam gentis, quam artis nomen est, ut celeberr. Kapp. monstrat. Vid. Cic. de Div. I et II. Berosus eam artem, fata ex commentitiis cæli signis eruendi, primus in Græciam intulisse fertur, quæ postea tantam in ipsa egregia ingenia tyrannidem exercuit. Vide Picum Mirand. contra astrologiam. E peregrino deorum cultu ea tantum, quī rei romanæ præerant, præcipue adsciverunt, quæ facerent ad plebem facilius flectendam. — An. U. 614.

3. *Sabazii.* Nomen commune Jovis et Bacchi, de quo non constat, num rectius a σαβάζειν s. σεβάζειν, aut a Sabaoth deducatur; — cultum a posteris receptum declarant inscriptiones. — *Simulato.* Alii *sublato*, quod minus placet.

4. *Isidis.* Isidi, licet sine dubio Ceres sit, sub utroque tamen nomine longe diversus cultus est institutus. Vid. Herodotum, Diodorum, et Plutarchum. — Varro Serapidem et Isidem habet cælum et terram. Vid. Augustin. de Civ. D. XVIII, 5; Tertull. apol. VI. — *Serapis.* Quidam *Serapidis.* — *Prætexta* h. l. magistratuum toga est, cui purpura prætexebatur: præterea ea induti adolescentes romani, ante togam virilem sumptam. — *Arripuit.* Sic quoque Dionys. apud Ælian. var. hist. I, 20. Et Cæsar fores ærarii coram se exscindi jussit.

Digitized by Google

CAPUT IV.

De Auspiciis quæ cepere Romani.

1. Attius Navius Augur. — 2. Tib. Gracchus, Tib. F. trib. pleb. — 3. P. Claudius Pulcher, et L. Junius Pullus Coss. — 4. L. Metellus Pont. Max. — 5. M. Tullius Cicero. — 6. M. Jun. Brutus procos.

De auspiciis quæ cepere Externi.

1. Alexander Magnus. — 2. Dejotarus rex.

DE AUSPICIIS QUÆ CEPERE ROMANI.

1. L. Tarquinius rex centuriis[1] equitum, quas Romulus auspicato conscripserat, alias adjicere cupiens, quum ab Attio Navio augure prohiberetur, offensus interrogavit, possetne fieri, quod ipse mente conceperat? Posse[2] fieri dicente, jussit novacula cotem discindi. Qua Attius allata, administrato incredibili facto, effectum suæ professionis[3] oculis regis subjecit.

2. Tib. Gracchus, quum ad res novas[4] pararetur, au-

1. *Centuriis.* Quarum tres erant: *Tatienses, Rhamnenses,* et *Luceres,* (ab iis, qui ab Ardea rege Lucero Romulo adversus Tatium auxilio venerant, dictæ.) — *Attio Navio.* De eo ejusque novacula vid. Liv. I, 36, qui refert: « ex ea re auguriis sacerdotioque augurum tantus honor accessit, ut nihil belli domique postea nisi auspicato gereretur. » Variatur admodum hujus auguris licet celeberrimi nomen apud auctores; sed quam dedimus lectionem etiam optimi editores Flori et Livii præferunt. — *Possetne.* Octo codd. *an id fieri posset quod animo cogitaret.* Nostra lectio autem magis congruit verbis Livii: *fierine possit quod nunc ego mente concipio,* et Flori: *fierine posset, quod ipse mente conceperat.* — Cic. de Leg. II, 12, 13.

2. *Posse fieri.* Alias: *Eo, augurio capto, posse fieri dicente.* Sic fere Liv. Cic. et Flor.

3. *Professionis.* Pro *professionis* codd. Torren. exhibent *perfectionis.* — An. U. 140, circiter. Liv. I, 36; Cic. Liv. I, 17; Fest. in Nav. Flor. I, 5.

4. *Res novas.* Rebus novis significant Veteres formæ imperii immutationem seu regni adfectationem: h. l. iis denotatur præcipue lata lex agraria, qua exigebatur (per aliquot secula) usque dum Cicero rei finem imponeret, ut agri a populo rom. acquisiti, qui fere a patriciis paucisque nobilibus tenebantur, æqua-

Digitized by Google

spicia domi prima luce petiit : quæ illi perquam tristia responderunt. Nam janua egressus, ita pedem offendit, ut digitus ei decuteretur[1]: tres deinde corvi, in eum adversum occinentes, partem tegulæ decussam ante ipsum propulerunt. Quibus omnibus contemptis, a Scipione Nasica pontifice maximo decussus Capitolio, fragmento subsellii ictus procubuit.

3. P. Claudius bello punico primo, quum prælium navale committere vellet, auspiciaque more majorum petiisset, et pullarius[2] non exire cavea pullos nuntiasset, abjici eos in mare jussit, dicens: « Quia esse nolunt, bibant[3]. » Et L. Junius, P. Claudii collega, neglectis auspiciis, classem tempestate amisit. Quorum ille populi judicio concidit, damnationisque hic ignominiam voluntaria morte prævenit.

liter inter cives dividerentur. Si quis autem hac ratione plebi faveret, semper in suspicionem est vocatus, quasi regni potiundi esset cupidus. — *Pararetur* pro *se pararet*. Duriuscule, præsertim quum omnia suo consilio egerit Tib. Gracchus, nec alium auctorem habuerit.

1. *Decuteretur*. Videtur auctor ludere voluisse in voce *decutere;* neque enim succurrit, qui fieri poterat, ut tali offensione digitum pedis amitteret. — An. U. 620. Plut. in Gracch.; Obseq. LXXXVI (25).

2. *Pullarius*. Qui pullis sacris præerat, et quotiescumque de re quadam inchoanda deorum placita primo diluculo exploratum ibat, imperato de more silentio, pultem illis aut offam, cavea reclusa, objecit. Quod si cavea non prosilirent, aut escam non attingerent, vel alarum planctu dissiparent, vel avolarent, eventus tristes præ se ferebant, et pullarius, ut ab incepto desisterent, hortabatur. Quod si contra avidi et certatim prorumpent et depascerentur, prospera a diis omnia spondebat. Secundum Ciceronem l. cit. Claudius a populo condemnatus est, Junius necem sibi ipse conscivit.

3. *Quia esse*, etc. Quod quidam codices legunt : *Quia exire nolunt, bibant*, spurium est, et natum in cerebris librariorum, qui putabant pullos non ad alimenta capienda, sed ad auspicia ferenda, cavea exire debuisse, idque patere ex præcedentibus. Dicitur quidem paullo ante: *pullos non exire cavea*, sed subintelligendum est : *ad edendum*. Si *exire* vera lectio esset, periret oppositio : *esse* seu *edere* et *bibere*, quæ acumen sententiæ continet. — An. U. 504. Polyb. I; Cic. Divin. I, 16 et II, 33, de Nat. deor. II, 3; Sueton. Tib. II; Serv. ad Virg. Æn. VI; Liv. XIX; Eutrop. II, 15; Minuc. Fel. c. VII.

Digitized by Google

4. Quum Metellus pontifex maximus Tusculanum peteret, corvi duo in os ejus adversum veluti iter impedientes advolaverunt : vixque extuderunt[1], ut domum rediret. Insequenti nocte ædes Vestæ arsit : quo incendio, Metellus inter ipsos ignes raptum Palladium[2] incolume servavit.

5. M. Ciceroni[3] mors imminens auspicio prædicta est; quum enim in villa Caietana esset, corvus in conspectu ejus horologii[4] ferrum loco motum excussit, et protinus ad ipsum tetendit, ac laciniam togæ eo usque morsu tenuit, donec servus ad occidendum eum milites venisse nuntiaret.

6. M. Brutus quum reliquias exercitus sui adversus Cæsarem et Antonium eduxisset, duæ aquilæ ex diversis castris advolaverunt, et edita inter se pugna, ea, quæ a parte Bruti fuerat, male mulcata[5] fugit.

DE AUSPICIIS QUÆ CEPERE EXTERNI.

1. Quum rex Alexander urbem in Ægypto constituere

1. *Extuderunt*. I. e. extorserunt, obtinuerunt. Male Aldus, *extulerunt*.

2. *Palladium*, i. e. simulacrum Palladis, quod Æneas, post Trojæ excidium, a Diomede acceptum asportasse in Italiam dicitur. Alii alia de eo tradunt. Vid. Servii et Donati notas ad Æneid. II, 166. Illud simulacrum in Vestæ templo asservatum, nemini ostendebatur. Teste Strabone, VI, complures civitates se verum habere Palladium sunt gloriatæ. *Metellus* servavit simulacrum ab ignibus intactum, cum strage tamen ocalorum suorum. — An. U. 512. Livius, XVIII; Dion. III; Ovid. Fast. VI, 437, sqq.

3. *Ciceroni*. Quum ab Antonio proscriptus in Caietana villa, quæ et Formianum dicitur, delitesceret, missi sunt Popilius et Herennius, qui eum occiderent. In lectica fugituro caput præcisum, quum esset annorum LXIV. — An. U. 710. Vide Plut. et Appian. bell. civ. V.

4. *Horologii*. Cujus inventor habetur Berosus Chaldæus; post eum Aristarchus Samius, Eudoxus, Apollonius, Scopas et alii huic rei operam dederunt. Gnomonicen invenit Anaximenes Milesius. Usi sunt Veteres præcipue clepsydris. Vid. Polyd. Vergil. de rer. inv. — *Lacinia* est pendula pars togæ. — An. U. 710. Plut. Appian. civ. IV.

5. *Male mulcata*. I. e. graviter afflicta ab adversario. — A. U. 711. Plut. Dion. XLVII; App. p. 341.

Digitized by Google

vellet[1], architectus Dinocrates, quum cretam non haberet, polentaque futuræ urbis lineamenta duxisset, ingens avium multitudo proximo lacu emersa polentam depasta est : quod sacerdotes Ægyptiorum interpretati sunt, advenarum frequentiæ alimentis suffecturam urbem.

2. Dejotaro[2] vero regi omnia fere auspicato gerenti salutaris aquilæ conspectus fuit: qua visa, abstinuit se ab ejus tecti usu, quod, nocte insequenti, ruina solo æquatum est.

CAPUT V.

De ominibus quæ accepere Romani.

1. Patres conscripti. — 2. M. Furius Camillus dictator. — 3. L. AEmilius Paullus cos. — 4. Cæcilia Metelli. — 5. C. Marius exsul. — 6. Cn. Pompeius Magnus procos. — 7. M. Brutus procos. — 8. C. Cassius procos. — 9. Q. Petilius cos.

De ominibus quæ accepere Externi.

1. Prienenses. — 2. Apolloniatæ.

DE OMINIBUS[3] QUÆ ACCEPERE ROMANI.

1. Ominum etiam observatio aliquo contactu religionis innexa est : quoniam non fortuito motu, sed divina providentia constare creditur.

Quæ effecit, ut Urbe a Gallis disjecta[4], deliberantibus

1. *Urbem.... vellet. Alexandriam* in Ægypto, quæ antea fuit Rhacotis. Vid. Curt. IV, 8. — *Polenta* pultis genus e farre. — An. U. 420. Plut. p. 679; Curt. IV, 8; Ammian. XXII, 16; Scholiast. Euripid. ad Androm. 17.

2. *Dejotaro.* Dejotarum regem Siciliæ alii nominant: equidem illum Gallogræciæ tetrarcham, qui rex quoque dictus est, pro quo Cic. dixit, habere mallem. V. Cic. Div. I et II, VIII et XV. A. U. 700, circiter.

3. *De ominibus.* Et hæc mira superstitio, quasi servitutis genus, Romanos devinctos pressit. *Omen* est plerumque, quum vox ex alicujus ore excepta, licet ad alium propositum sit dicta, ad alterius eventum ab excipiente eam applicatur. Neque tamen ab ore duntaxat capitur : nam et factum quoddam pro omine sæpe animadversum legimus, exemplo citato, equorum lapsum, leporum occursum etc.

4. *Urbe.... disjecta. Veii*, urbs Etruriæ, quam Camillus antea decem annorum obsidione ceperat. Aldus edidit *deleta*, id quod Perizon. probat; sed retinenda est lectio

Digitized by Google

P. C. utrum Veios migrarent, an sua mœnia restituerent; forte eo tempore e præsidio[1] cohortibus redeuntibus, centurio in comitio exclamaret: « Signifer, statue signum: hic optime manebimus. » Ea enim voce audita, senatus se accipere omen[2] respondit, e vestigioque Veios transeundi consilium omisit. Quam paucis verbis de domicilio futuri summi imperii confirmata est conditio! credo indignum diis existimantibus, prosperrimis auspiciis[3] Romanum nomen ortum, Veientanæ urbis appellatione mutari, inclytæque victoriæ decus modo abjectæ urbis ruinis infundi.

2. Hujus tam præclari operis[4] auctor Camillus, quum esset precatus, ut si cui deorum nimia felicitas populi Romani videretur, ejus invidia suo aliquo incommodo satiaretur, subito lapsu decidit: quod omen ad damnatio-

codd. MSS.; nam urbs non prorsus deleta erat, sed tantum *disjecta*, i. e. incendiis passim vastata et ruinis disturbata.

1. *E præsidio.* Præsidium h. l. est locus, ubi præsidia posita fuerant. — *Comitio.* Comitium erat locus publicus Romæ ante curiam, in quo ad suffragia ferenda populus coire solebat.

2. *Accipere omen.* Erat formula, qua utebantur Romani, bono omine oblato. Infra: *arripuit omen.*

3. *Prosperrimis auspiciis.* Scil. Romuli ac Remi, quorum alter VI, alter XII vultures viderat. Torren. in textu habet: *prosperis*, fidem edd. vett. sequutus, neglecta auctoritate MSS. in quibus *prosperrimis* invenisse testatur. Kappius recte opinatur, credibilius esse, *prosperrimis* mutatum esse a librariis in *prosperis*, quam contra. — *Infundi.* Obscuravit sane Valerius orationem suam declamatoriis cincinnis. Sensus verborum est: *et urbis romanæ incolas, qui tam inclytam victoriam ex Veientibus retulerant, cum his, quos nuperrime superaverant, conjungi;* sive brevius: *Dii indignum existimabant, ut victores Romani relictis suis sedibus in urbem devictam demigrarent.* — An. U. 363. Livius, V, 55; Plut. in Camillo.

4. *Præclari operis.* Ut in urbe manerent. — *Invidia.* Præcipue ob captam urbem Veientium, quam totius Etruriæ opulentissimam fuisse ferunt. Quæ quum felicitas videretur nimia, veritus est, ne cui deorum faceret invidiam. Hic communis erat Veterum de divinonumine, quod, quas ipsum nutu gubernasset, rebus prosperis invideret, cogitandi modus. Ideo in patriam et gentem nemo magis pius videri poterat, quam qui precaretur, deos malum, quod illis forte minitaretur, in ipsum vertere velle. — *Subito lapsu decidit.* In terram, quum se ad dextram volvere ac circumvertere vellet; ex more Romanorum. V. Plin. XXVIII, 2.

Digitized by Google

nem, qua postea oppressus est, pertinuisse visum est. Merito autem de laude inter se victoria et pia precatio amplissimi viri certaverunt : æque enim virtutis est, et bona patriæ auxisse, et mala in se transferre voluisse.

3. Quid illud, quod L. Paullo consuli evenit, quam memorabile! quum ei sorte evenisset, ut bellum cum rege Perse[1] gereret, et domum e curia regressus, filiolam suam nomine Tertiam, quæ tum erat admodum parvula, osculatus, tristem animadverteret : interrogavit, quid ita eo vultu esset. Quæ respondit, Persam periisse. Decesserat[2] autem catellus, quem puella in deliciis habuerat, nomine Persa. Arripuit igitur omen Paullus, exque fortuito dicto, quasi spem certam clarissimi triumphi animo præsumsit.

4. At Cæcilia Metelli[3], dum sororis filiæ, adultæ ætatis virgini, more prisco, nocte concubia, nuptialia petit, omen ipsa fecit. Nam quum in sacello quodam, ejus rei gratia, aliquamdiu persedisset, nec ulla vox proposito congruens esset audita; fessa longa standi mora puella, rogavit materteram, ut sibi paullisper locum residendi accommodaret. Cui illa : « Ego vero, inquit, libenter tibi mea sede[4] cedo. » Quod dictum, ab indulgentia profectum,

— An. U. 357. Liv. V, 21; Plut.

1. *Perse*. Perses s. Perseus, ultimus regum Macedon., victus apud Pydnam, Æmilii Paulli triumphum ornavit.

2. *Decesserat*. Inusitate. Nam *decedere* pro *mori* tantummodo de hominibus, non de canibus solet usurpari. Hoc est illud, quod Scaligerum in Catalectis permovit, ut de Valerio nostro diceret, *esse ineptum verborum affectatorem*. Colerus pro *loquutionis flagitio* declarat loquendi rationem Valerii, quod *decessisse catellum, quem puella in deliciis habuerat*, dixisset. — An. U. 585. Cic. Divin. I, 46; Plutarch. in Paul.

3. *Metelli*. Scil. uxor, quæ vox in quibusd. codd. e glossa additur, sed præter necessitatem, quum v. c. *Terentia Ciceronis, Metella Crassi* etc. frequenter occurrat ap. Vett. — *Concubia*, s. intempesta. Dies apud Romanos a media nocte incepit. Ejus partes erant : mediæ noctis inclinatio, gallicinium, conticinium, diluculum, mane, vespera, prima fax, concubia et intempesta nox, ita dicta, quod non sit idoneum tempus rebus gerendis. Vid. Gell. III, 2; Macrob. Saturn. I, 3.

4. *Mea sede*. Codd. MSS. passim

Digitized by Google

ad certi ominis processit eventum, quoniam Metellus, non in multo post, mortua Cæcilia, virginem, de qua loquor, in matrimonium duxit[1].

5. C. autem Mario[2] observatio ominis procul dubio saluti fuit, quo tempore hostis a senatu judicatus, in domum Fanniæ Minturnis custodiæ causa deductus est. Animadvertit enim asellum, quum ei pabulum objiceretur, neglecto eo, ad aquam procurrentem. Quo spectaculo, deorum providentia, quod sequeretur, oblatum ratus, alioquin etiam interpretandarum religionum peritissimus, a multitudine, quæ ad opem illi ferendam confluxerat, impetravit, ut ad mare perduceretur: ac protinus naviculam conscendit; eaque in Africam pervectus, arma Sullæ victricia effugit.

6. Pompeius vero Magnus[3] in acie pharsalica victus a Cæsare, fuga quærens salutem, cursu in insulam Cy-

meam sedem. Utrumque latine dicitur.

1. *Matrimonium duxit*. Quod fuit licitum ante Claudii tempora, qui Agrippinam uxorem duxit, quum ea de re in gratiam principis SCtum factum esset. Istos thoros nefandos et facem flebilem vocat Sen. — A. U. 622, diruiter. Cic. Div. I, 46.

2. *C.... Mario*. Quum Sulpitius trib. pl. auctore *Mario* perniciosas leges promulgasset, ut exsules revocarentur, ut novi cives libertinique distribuerentur in tribus, ut Mario bellum Mithridaticum demandaretur, et adversantibus consulibus vim intulisset; Sulla deinde cos. in urbem cum exercitu venit, adversus Marianos partes in ipsa urbe pugnavit, easque expulit. Marius igitur cum aliis a senatu hostis judicatus, *Minturnas*, — urbem Latii et coloniam, — delatus, in paludibus latuit. Indicatus deinde a quodam pastore, capitur et Minturnas defertur, et in domum *Fanniæ* (non mulieris, sed viri) publice custodiendus traditur. Quem servus publicus, ad eum occidendum missus, majestate et misericordia tanti viri motus, occidere non sustinuit, sed, abjecto ferro, clamitavit fugiens: « *Non possum interficere Marium!* » Ipsi Minturnenses Marium intactum dimiserunt. Quo facto, quum in Africam se contulisset, novas ibi comparavit vires. — An. U. 665. Plut.

3. *Pompeius... Magnus*. Cujus magnitudinem evehit præcipue Cic. or. IV, in Catil. — *Pharsalica*, apud Pharsaliam seu Pharsalum, urbem Emathiæ seu Thessaliæ. — *Cursu*. Cursus pro itinere maritimo et currere pro navigare frequens apud auctores. Vid. Nepot. Miltiad.

Digitized by Google

prum, ut aliquid in ea virium contraheret, classem direxit: appellensque[1] ad oppidum Paphum, conspexit in litore speciosum ædificium: gubernatoremque interrogavit, quod ei nomen esset: qui respondit Κακοβασιλέα vocari: quæ vox spem ejus, quantulacumque restabat, comminuit. Neque id dissimulanter tulit: avertit enim oculos ab illis tectis, ac dolorem, quem ex diro omine conceperat, gemitu patefecit.

7. M. etiam Bruti dignus, admisso parricidio[2], eventus omine designatus est. Siquidem post illud nefarium opus natalem suum celebrans, quum græcum versum expromere[3] vellet, ad illud potissimum Homericum referendum animo tetendit:

Ἀλλά με μοῖρ' ὀλοὴ καὶ Λητοῦς ἔκτανεν υἱός[4].

Qui deus Philippensi acie, a Cæsare et Antonio signo datus, in eum tela convertit.

8. Consentaneo vocis[5] jactu C. Cassii aurem fortuna

1. *Appellensque.* Appellere recte homo dicitur; navis et classis non item. — *Paphos* Cypri oppidum, unde Venus Paphia et Cypria dicta.

2. *Parricidio.* Cæde nimirum Cæsaris.

3. *Expromere.* Ominis scil. captandi causa. Solenne enim fuit Græcis et Romanis, ut primos versus Homeri, Virgilii, aut alius cujusdam poetæ, qui ipsis evoluto lib. occurrissent, oraculi loco adsumerent et ex iis omen sibi promitterent. Unde sortes *Homericæ*, *Virgilianæ*, etc. Sic Socratem, Brutum et Opilionem Macrinum sortes *Homericas;* Hadrianum et Severum Alexandrum *Virgilianas*, sic alios alias consuluisse legimus. Cf. supra c. I, not. 15. — An. U. 710. Plut. p. 344; Iliad. II, v. 849; Macrob. Sat. III, 6; Dion. Hal. I, 5.

4. Υἱός. *Latonæ* filius *Apollo* est, ἑκηβόλος, ob radios solis, quam longissime tendentes, et enecans, quod nimius calor homines perdere potest. Versu, quo Patroclus ad Hectorem loquens inducitur, *Brutus* utitur. Accidit forte, ut commissuri prælium adversus Brutum Octavianus et Antonius signum Apollinis proponerent. Nam mos erat, deum quemdam in pugnæ signum proponendi, ut Marius Martis, Sulla Apollinis, Cæsar Veneris simulacrum proposuere. Sic igitur, quum post pugnam Brutus de fausto rei exitu desperaret, et ipse mortem sibi consciscere, quodammodo ominis veritas conspicua fuit credulis.

5. *Vocis jactu ....., pervellit.* Denotat h. l. enuntiationem, s. orationem: *jacere* interdum, vel solum,

Digitized by Google

pervellit : quem[1] orantibus Rhodiis, ne ab eo cunctis deorum simulacris spoliarentnr, Solem a se relinqui respondere voluit : ut rapacissimi victoris[2] insolentiam dicti tumore protraheret, abjectumque macedonica pugna, non effigiem Solis, quam tantummodo supplicibus cesserat, sed ipsum Solem revera relinquere cogeret.

9. Annotatu dignum illud quoque omen, sub quo Petilius consul in Liguria[3] bellum gerens occidit. Nam quum montem, cui Leto cognomen erat, oppugnaret, interque adhortationem militum dixisset : « Hodie ego Letum utique capiam ; » inconsideratius præliando, fortuitum jactum vocis leto suo confirmavit.

DE OMINIBUS QUÆ ACCEPERE EXTERNI.

1. Adjici nostris duo ejusdem generis alienigena[4] exempla non absurde possunt. Samii Prienensibus[5] auxilium

significat verborum jactantiam : *aurem pervellere*, i. e. memorem facere, quod auris dicata erat memoriæ. Servo mandatorum immemori auris vellicabatur. Hæc igitur, argute dicta, nihil aliud sibi volunt, quam : *Similiter Cassio vox quædam ominata fuit.*

1. Nonnulli malunt cum Vorstio legere *qui* pro *quem*, ut conveniat τῷ *voluit*. — *Rhodum* insulam prius Ophiusam dictam, a serpentibus hausisse nomen, quos Phorbas interemerit, testes sunt Diodor. V, Hyginus II, et Bochartus de Phœnic. col. p. 398.

2. *Victoris*. Cassius enim Rhodios prælio navali vicit et non tantum pecunia, armis et navibus, verum etiam statuis et donariis spoliavit. — *Dicti tumore protraheret*, i. e. superbo illo responso patefaceret insolentiam Cassii. — *Solis* a. *Colossi* Charetis, quem secum auferre propter magnitudinem Cassius non poterat. Vid. Dion. Hist. rom. XLVII. — *Macedonica* pugna eadem est, quæ Philippica. — *Relinquere*. Nam victus caput a liberto sibi abscidi jussit. — An. U. 710. Dion. XLVII, 346; Appian. p. 321, 324; Oros. V, 18.

3. *Liguria*. Ligures, adhærentes Alpium jugis, inter Varum et Macram fluvios, dumis implicitos sylvestribus, olim major erat labor invenire, quam vincere. — Pro *occidit*, vett. edd. cum plerisque codd. MSS. habent *occiderit*. Minus recte. — An. U. 577. Liv. XLI, 18; Frontin. Strateg. IV, 2.

4. *Alienigena*. Alibi *externa* vocat.

5. *Prienensibus*. Priene, Ioniæ oppidum, Biantis patria. *Caras*. — Caræ, piratæ insulani, a Minoe victi, num a Prienensibus in auxilium

Digitized by Google

adversus Caras implorantibus, arrogantia instincti, pro classe et exercitu cymbulam eis derisus gratia miserunt. Quam illi velut divinitus datum præsidium interpretati, libenter receptam, vera fatorum prædictione victoriæ ducem habuerunt.

2. Ne Apolloniatæ[1] quidem pœnitentiam egerunt, quod, quum bello Illyrico pressi, Epidamnios, ut sibi opem ferrent, orassent, atque illi flumen vicinum mœnibus suis nomine Æantem in adjutorium eorum sese mittere dixissent, « Accipimus, quod datur, » responderunt: eique primum in acie locum, perinde ac duci, assignaverunt. Ex insperato enim superatis hostibus, successum suum omini acceptum referentes, et tunc[2] Æanti ut Deo immolaverunt, et deinceps omnibus præliis duce uti constituerunt.

sint vocati, dubitarunt plures, qui legere malebant: *Cæras*. Frustra. Non enim hic sermo est de Syriæ populo. — *Instinctu*. Codex Pulm. *arrogantii instinctu*, quod Pigh. et Guyet. probant. Alii omnes: *arrogantia instinctu*. — *Cymbulam* rectius legimus, pro *Sibyllam*. Licet enim lectio posterior mihi non videatur inepta, *cymbulam* tamen ponere, majori nititur codd. auctoritate. Unde autem omen? Κύμβη Græcis est quoque *caput, fiducia, summa rerum*. κυβὴ est *caput*. Hac forsan interpretatione usi Prienenses, quum sibi lintriculus a Samiis esset missus, cymbam victoriæ ducem quodammodo habere poterant, non sic tamen, ut Spartani Tyrtæum. — Erant autem Samiis in usu cymbæ biremes, a Polycrate tyranno primum inventæ, forma fere rotunda atque concava, quas *Samænas* appellabant, ex quo genere missam unam fuisse verisimile videtur Pighio.

1. *Apolloniatæ*. Apollonia hæc Epiri. Cæterum et Cretæ, Thraciæ, Syriæ fuere oppida nomine Apolloniæ. — *Epidamnum*, Dalmatiæ aut Macedoniæ oppidum et coloniam, a Romanis sive Corcyrensibus nomen Dyrrachii accepisse, plures testantur. — *Ne pœnitentiam quidem egerunt*. Id est, *Ne* [eos] *quidem pœnituit*. Sic sæpe et Noster, et alii. — *Æantem* flumen fuisse idem, quod alii etiam *Anam s. Aoum* vocarint, utramque urbem præterfluens, nonnulli opinantur. Ex hoc posteriori nomine (ἀὼ enim pro salute sive medela est) Apolloniatæ fortasse nomen accepere. Aut, quia Veteres superstitio tenuit, fluviis ejusdem nominis deos præesse, ut v. c. Tiberi Deus Tiberinus; Apolloniatæ, fluminis sui, tamquam Dei, imaginem, quam forsan miserunt Epidamnii, victoriæ ducem sibi constituere

2. *Et tunc*. Pighius maluit *ex tunc*, quem alii sequuti sunt. Ve-

Digitized by Google

CAPUT VI.

De prodigiis quæ evenere Romanis.

1. Serv. Tullio regi. — 2. L. Marcio centurioni. — 3. Populo rom. ac Veientibus. — 4. L. Sullæ procos. — 5. Populo romano diversis temporibus. — 6. C. Flaminio cos. — 7. C. Hostilio Mancino cos. — 8. Tib. Graccho procos. — 9. M. Cl. Marcello cos. V. — 10. Cn. Octavio cos. — 11. M. Licinio Crasso procos. — 12. Cn. Pompeio Magno procos. — 13. C. Julio Cæsari dict.

De prodigiis quæ evenere Externis.

1. Xerxi Persarum regi. — 2. Midæ Phrygum regi infanti. — 3. Platoni philosopho infanti.

DE PRODIGIIS QUÆ EVENERE ROMANIS.

Prodigiorum[1] quoque, quæ aut secunda, aut adversa acciderunt, debita proposito nostro relatio est.

1. Serv. Tullio etiam tum puerulo dormienti circa caput flammam[2] emicuisse, domestici oculi annotaverunt. Quod prodigium Prisci Tarquinii regis uxor Tanaquil admirata, Servium[3] serva natum in modum filii educavit, et ad regium fastigium evexit.

2. Æque felicis[4] eventus illa flamma, quæ ex L. Marcii ducis duorum exercituum, quos interitus P. et C. Scipio-

rum vel voculæ sequentes *et deinceps* argumento esse possunt, quod legendum sit *et tunc*. — Strabo, VII; Plin. III, 23.

1. *Prodigiorum*, etc. Et hæc legentes, doleamus profecto, illustris populi rationem adeo prolabi potuisse, ut ex neglecta rerum naturalium accuratiori pervestigatione, inscitia, aut frivolo ingenii et imaginationis lusu, vel inanem spem aluerit, vel vano futuri metu præsentia vitæ mala auxerit.

2. *Flammam*. Forte fuit electrica seu phosphorescens flamma cujus non erat notitia Veteribus. Simili flamma Iuli caput circumdat Virg. Æn. II, et Lavinia VII. — *Emicuisse*. Quæ evigilante puero evanuit, teste Dionys. An. rom. IV.

3. *Servium*. A serva traxisse nomen, vult Dionys. Halic. IV. Livius autem non tam servam, quam captivam corniculanam fuisse tradit ejus matrem, cujus partum in regis palatio editum Tarquinius educandum curavit. Interim et captiva serva dicitur. — An. U. 150, circiter. Liv. I, 39; Dionys. III; Serv. ad Virg. Æn. II, 683.

4. *Æque felicis*, etc. An. U. 541. Liv. XXV, 39. Infra VIII 15, 11.

Digitized by Google

num in Hispania debilitaverat, capite concionantis eluxit: namque ejus adspectu pavidi adhuc milites, pristinam recuperare fortitudinem admoniti, octo et triginta millibus hostium cæsis, magnoque numero in potestatem redacto bina castra punicis opibus referta ceperunt.

3. Item quum bello acri et diutino[1] Veientes, a Romanis intra mœnia compulsi, capi non possent, eaque mora non minus obsidentibus, quam obsessis, intolerabilis videretur, exoptatæ victoriæ iter miro prodigio dii immortales patefecerunt. Subito enim Albanus lacus, neque cælestibus imbribus auctus, neque inundatione ullius amnis adjutus, solitum stagni modum excessit : cujus rei explorandæ gratia legati, ad delphicum oraculum[2] missi, retulerunt, « præcipi sortibus, ut aquam lacus ejus emissam per agros diffunderent : sic enim Veios in potestatem populi romani futuros[3]. » Quod priusquam legati renuntiarent, aruspex[4] Veientium a milite nostro (quia domestici interpretes deerant) raptus et in castra perlatus futurum dixerat.

1. *Bello acri et diutino.* Decem annos circumsessa urbs Veii.

2. *Delphicum oraculum.* Memorare hoc l. libet, hoc *oraculum* non quovis tempore, sed statis definitisque diebus tantum percuntaturis patuisse; ferunt annuatim sex menses continuos apud Lycios, totidemque in Delo sciscitari licuisse : in aliis oraculis vel idibus vel calendis, vel crescente vel deficiente luna, modo mane, modo vesperi. Nec mirum, *oracula* quovis anno aliquandiu quievisse. Poterant tunc per aliquot mensium intervallum sacerdotes, quorum forsan per totum terrarum cognitum orbem clandestina fuit conjunctio, subinde res novas, e quibus deinceps oracula conficerent, ex omni regione aucupari. Hæc rerum cujuscumque loci notitia, per sacerdotes quosdam collecta, sine dubio in locis ubi oracula edebantur, confluxit. — *Sortibus.* Sortes sæpe idem, quod oraculum. Livius tamen conjungit synonyma : *sortes*, inquiens, *oraculi delphici.*

3. *Futuros.* Vulgo *venturos*, eamque lectionem in textum recepit Torren. Elegantior tamen multor. codd. lect. *futuros*, quam Gronov. Vorstius, Coler. aliique complures tuentur.

4. *Aruspex ..... in castra perlatus.* Livio teste etiam Romam missus ad senatum. Cicero de Div. I, 44, nobilem eum vocat, et ad Romanos profugisse scribit. — An. U. 356. Liv. V, 15 et 16; Plut. Camill.

Digitized by Google

Ergo senatus duplici prædictione monitus, eodem pæne tempore et religioni paruit, et hostium urbe potitus est.

4. Nec parum prosperi successus est, quod sequitur. L. Sulla Cos. sociali bello[1], quum in agro nolano ante prætorium immolaret, subito ab ima parte aræ prolapsam anguem prospexit. Qua visa, Postumii aruspicis hortatu continuo exercitum in expeditionem eduxit, ac fortissima Samnitum[2] castra cepit. Quæ victoria futuræ ejus amplissimæ potentiæ gradus et fundamentum exstitit.

5. Præcipuæ admirationis etiam illa prodigia[3], quæ P. Volumnio, Ser. Sulpicio Coss. in urbe nostra inter initia motusque bellorum acciderunt. Bos namque, mugitu suo in sermonem humanum converso, novitate monstri audientium animos exterruit. Carnis quoque[4] in modum nimbi dissipatæ partes ceciderunt : quarum majorem numerum præpetes[5] diripuerunt aves, reliquum humi per aliquot dies neque odore tetro, neque deformi adspectu mutatum jacuit.

1. *Sociali bello.* Hujus causa fuerat Drusi tribuni pl. pollicitatio, socii latini nominis, si partes senatus contra equestrem ordinem tuerentur, fore, ut in civitatem acciperentur; sed morte ejus irrita facta. Vid. Flor. III, 18. — *Agro nolano.* Nola Campaniæ urbs. — *Prætorium* inde dictum, quod belli duces ac imperatores interdum *prætores* vocati sunt. Vid. Corn. Milt. Forma fuisse videtur rotunda testudinata. Ejus area plerumque erat quaternum versuum. Versum autem dicunt centum pedes, quoquoversus quadratum. Commodo loco positum non longe a porta prætoria, ut et hostem et suos milites observare posset imperator. Parte dextra fuit augurale s. auguratorium, ubi sacrificare et auspicari imperator solebat, et ante prætorium ara statuebatur; tribunal læva appositum. — *Anguem prospexit.* Anguium allapsus multis Veterum fuit omen, e. gr. Augusto. Vide Dion. XLVII.

2. *Samnitum.* Samnites inter Picenum, Campaniam et Apuliam. Flor. I, 16. — A. U. 664. Cic. div. I, 33.

3. *Prodigia.* Fuere aut plane falsæ narrationes hominum, vana deceptorum specie, aut φαινόμενα, quæ explicare Veteres, rerum naturalium parum gnari, non poterant.

4. *Carnis quoque.* Aliquot codd. *carnes quoque.* — *Nimbi.* Nimbus, ventus cum pluvia : est etiam densitas nubis in tempestate obscura.

5. *Præpetes* aves dictæ, quæ volatu futura significare credebantur, et quæ auguria faciebant, (vide Gellium, VI, 6) sublimius

Digitized by Google

Ejusdem generis monstra alio tumultu credita[1] sunt: puerum infantem[2] semestrem in foro boario triumphum proclamasse; alium cum elephantino capite[3] natum; in Piceno[4] lapidibus pluisse; in Gallia lupum vigili e vagina gladium abstulisse; in Sardinia[5] scuta duo sanguinem sudasse; apud Antium metentibus[6] cruentas spicas in cor-

et propere prævolantes. Antiqui *præpetere* dixerunt pro *anteire*: προπετὴς, prævolans; τανυπτέρυγες, aves expansis alis, quas potissimum augures spectabant. *Oscines* autem sunt, quæ non volatu tantum, sed et garritu cantuve futura prænuntiare visa sunt. — An. U. 292. Liv. III, 10; Dion. X, 7; Plin. II, 56.

1. *Credita*. Pro *credita* in codd. MSS. passim legitur *præbita*, *condita*, *prædita*, *prædicta*. Vorst. mavult *prodita*. Sed proba est nostra lectio. Sensus: tempore belli cujusdam similia monstra accidisse visa sunt.

2. *Puerum infantem*. Pigh. vocem *puerum*, quum sit superflua, e scholiis in contextum Valerianum irrepsisse autumat; attamen exstat in codd. Med. omn. Copes. sex Leid. et multis aliis. Ac sane potuit ita auctor sexum designare voluisse. — *Foro boario*. Lacu Velabro exsiccato atque repleto, in ejus parte, quæ a Jano quadrifonte in Aventinum vergit, *forum boarium* fuit institutum. Sunt, qui velint, id nomen obtinuisse ab æreo tauri simulacro, ibi statuto, ubi Romulus sulcum urbis condendæ designare cœpit: alii ob taurum interfecto Caco bobusque Herculis recuperatis immolatum: Sextus autem Pompeius, Varro atque Livius boarium dictum putant, quod ibi boves venundarentur. — *Proclamasse*. Sensus: puer infans isque semestris clamavit, triumphum fore. Lectionis varietas a Torren. notata: *loquutum triumphum protulisse*; itemque *triumphum loquutum*, sensum non turbat. At restat nonnihil turbulenti in eo, quod Valerius de foro *boario* loquatur: Liv. autem, quem Noster ad verbum exscripsit, in *olitorio* foro id accidisse dicat. Forsan fuit hæc ipsius Valerii in exscribendo oscitantia. — A. U. 536. Liv. XXI, 62.

3. *Elephantino capite*. Lusus fortasse naturæ.

4. *Piceno*. Umbris atque Sabinis continuantur Picentes. Plin. III, 12. Strabo, V. Hic sitæ olim urbes Ancona, Numana, Potentia. Vid. Cluver. II, 11, et IV, 6. — *Lapidibus*. Forsan grandine. Omnes fere codd. MSS. c. edd. vett. habent *lapides*; neque tamen nostra lectio minus latina est, eamdemque Torren. retinuit. — A. U. 544. Liv. XXII, 1.

5. *In Sardinia*. Alii *in Sicilia*. — *Sanguinem*. Fuit fortasse ferrugo detrita.

6. *Metentibus*. Vulgo: *Etiam metentib. ap. Ant.* Sic Torren. quoque legit, sed minus recte, quum vocula *etiam* manifeste abundet, ac in recensendis prodigiis nomen loci, ubi factum est prodigium, semper

Digitized by Google

bem decidisse; Cærites[1] aquas sanguine mixtas fluxisse. Bello etiam punico secundo constitit, Cn. Domitii bovem dixisse, *Cave tibi Roma.*

6. C. autem Flaminius inauspicato consul creatus, quum apud lacum Trasimenum[2], cum Hannibale conflicturus, *convelli signa* jussisset, lapso equo, super caput ejus humi prostratus est: nihilque eo prodigio inhibitus, signiferis negantibus, *signa moveri sua sede posse*, malum[3], ni ea continuo effodissent, minatus est. Verum hujus temeritatis utinam sua tantum, non etiam populi romani maxima clade pœnas pependisset! In ea namque acie quindecim millia Romanorum cæsa, sex millia capta, decem millia[4] fugata sunt. Consulis obtruncati corpus ad funerandum[5] ab Hannibale quæsitum est: qui quantum in ipso fuerat, romanum sepelierat[6] imperium.

7. Flaminii autem præcipitem audaciam C. Hostilius Mancinus vesana perseverantia subsequitur: cui consuli

ab initio positum reperiatur. Similiter Livius et Obseq. scripsere. — *Corbem.* Vas vimineum.

1. *Cærites.* Cære urbs Tusciæ maritimæ, unde cærimoniæ. Aquæ forsan rubris particulis, v. c. ochra, fuere infectæ. — An. Urbis 536. Livius, XXI, 62; XXII, 1; XXIII, 10; Plutarch. Fab.

2. *Lacum Trasimenum.* Lacus Tusciæ, nunc *lago di Perugia.* — *Convelli signa.* Figebantur signa in castris: et quum eundum esset in prælium, captis auguriis, eadem evellebantur rursus e terra. Servius narrat, hoc ipsum inter auguria esse relatum, si avellentem signa facile sequerentur. Sic Crassus, movens in Parthos, avellere signa vix potuit.

3. *Malum.* Pro pœna sæpius reperire licet, v. c. apud Plautum, Terentium, etc. Deinde est sæpe execrationis formula.

4. *Decem millia.* De *cæsis* et *captis* consentiunt MSS. sed *fugatorum* numerum altero tanto reddunt majorem; habent enim *vigiuti millia* plurimi, ut est in antt. edd. Sed Liv. loco citato ait, *decem millia sparsa fuga fuisse per omnem Etruriam.* Et sic quum habeat codex Copes. cum quibusdam aliis, recte a Pigh. restitutum videtur.

5. *Ad funerandum.* Ut sepulturæ corpus mandaret: voce *funerare* etiam Horatius aliique sunt usi.

6. *Sepelierat.* Indicativ. pro conjunctivo. Vel potius: qui, quantum efficere poterat, temeritate sua funus exitumque attulerat reipublicæ romanæ. — A. U. 536. Liv. XXII, 3, et 7; Plut. Fab.

Digitized by Google

in Hispaniam ituro hæc prodigia acciderunt. Quum Lavinii[1] sacrificium facere vellet, pulli cavea emissi in proximam silvam fugerunt, summaque diligentia quæsiti reperiri nequiverunt. Quumque ab Herculis[2] portu, quo pedibus pervenerat, navem conscenderet, talis vox sine ullo auctore ad aures ejus pervenit, *Mancine, mane.* Qua territus, quum itinere converso Genuam[3] petisset, et ibi scapham esset ingressus, anguis eximiæ magnitudinis visus e conspectu abiit. Ergo numerum prodigiorum numero calamitatum æquavit, infelici pugna, turpi fœdere, deditione funesta.

8. Minus miram in homine parum considerato temeritatem Ti. Gracchi gravissimi civis tristis exitus, et prodigio denuntiatus, nec evitatus consilio, facit. Proconsul

1. *Lavinii.* Lavinium propius est mari inter Ostiam, Ardeam et Veliternum: hæc civitas ab Ænea condita, ac discernenda a *Lanuvio*, quod oppidum Latii, ubi Junonis Sospitæ erat fanum, propius erat ad viam Appiam situm, inter Albanum, Ariciam et Ardeam (nunc civitas Indovina). Prius oppidum hoc loco intelligas; nam si, quod narrat Valerius, cum Julii Obseq. relatione compares, patebit, in silvam Laurentinam pullos avolasse, quæ prope Lavinium erat. — *Pulli* si a pullario cavea emissi ex proposita offa non pascerentur, sed illico *avolarent*, malum id omen habebant: bonum autem, si quid inde caperent, præsertim si pascentibus aliquid ex ore cecidisset, quod primo *terripavium*, mox *terripudium*, tandem *tripudium* dixere. Liv. X, 40, habet, tripudium solistimum.

2. *Herculis* scilicet *Monœci* portus in Liguria. Sic dictus Hercules, quod in ejus templo nunquam alius, præter eum, deus colebatur, quod in aliorum templis est sæpe factum. — *Mane.* Si quid audivit Mancinus, nec sola imaginatione deceptus fuit, hæc vox sine dubio, expeditionem recusantium suasu, ab uno comitum ex occulto emissa est. Invitis autem militibus, quid mirum, eum infeliciter pugnasse? Quis præterea enumeret augurum, ariolorum, etc. fraudes?

3. *Genuam.* Pro *Genuam* nonnulli codd. MSS. habent *Fanuam*, plurimi *Fanuum*. Vitium ex scriptura ortum. — *Scapham.* Scaphæ, teste Nonio, naviculæ sunt, quæ majores naves sequebantur. His jam Græci sunt usi, ut e Philippi sermone quodam, qui in proverbium abiit, constat. Sunt autem, qui ab Illyriis inventas tradant: Antiquis etiam navis venter scapha nominabatur. — An. Urbis 616. Livius, LV; Jul. Obseq. cap. LXXXIII.

Digitized by Google

enim quum in Lucanis[1] sacrificasset, angues duo ex occulto prolapsi, repente hostiæ, quam immolaverat, adeso jecinore, in easdem latebras se retulerunt. Ob id deinde factum instaurato sacrificio, idem prodigii evenit. Tertia quoque cæsa victima, diligentiusque asservatis extis, neque allapsus serpentum arceri, neque fuga impediri potuit. *Quod* quamvis aruspices *ad salutem Imperatoris pertinere* dixissent, Gracchus tamen non cavit, ne perfidi hospitis sui Flavii insidiis in eum locum deductus, in quo Pœnorum dux Mago cum armata manu delituerat, inermis occideretur.

9. Et consulatus collegium, et erroris societas, et par genus mortis, a Ti. Graccho ad Marcelli[2] memoriam me trahit. Is captarum Syracusarum, et Hannibalis ante Nolana mœnia a se primum fugere coacti, gloria inflammatus, quum summo studio niteretur, ut Pœnorum exercitum aut in Italia prosterneret, aut Italia pelleret, sollennique sacrificio voluntates deorum exploraret; quæ prima hostia[3] ante foculum decidit, ejus jecur sine capite inventum

1. *Lucanis.* Lucani finitimi quondam Picentinis, Brutiis Apulisque, a Samnitibus originem traxisse videntur, qui expulsis Œnotriis eorum agrum incoluere. Vide Virgilium Æneid. lib. I, v. 536. — *Duo.* Lectionem *duæ* codd. Brand. probat Lipsius, qui genus femininum in hac voce magis amari ait. Augures omen sic forsan sunt interpretati: anguis, subdolum animal, significare poterat, hostes fore callidos; jecur adesum, tamquam membrum vitale, mortem procos. prædicere; quod in latebras se contulerint angues, indigitare poterat, fore ut in insidiis hostes delitescerent. Sed quis est, qui ejusmodi rerum naturalium explicationem non frivolam ac superstitiosam esse intelligat? Cæterum et Antiqui, quum res sacra non ex voto eveniret, sæpius eam, interdum et alio loco, iterabant. — An. Urbis 541. Livius, XXV, 16.

2. *Marcelli.* Hic primus fuit, qui ad Nolam Hannibalem vinci posse docuit. Idem post Romulum et Cossum fuit tertius, qui, cæso Viridomaro, opima spolia Jovi Feretrio consecravit.

3. *Hostiam.* Hostiam cædebant, antequam ad hostes proficiscebantur; *victimam*, post partam victoriam. — *Ante foculum*, ubi asservabatur ignis ad sacrificii usum. — *Decidit.* Duodecim MSS. *cecidit*, quod Perizon. præfert.

Digitized by Google

est : proxima caput jecinoris[1] duplex habuit. Quibus inspectis aruspex tristi vultu, *non placere sibi exta, quia prima trunca*[2], *secunda nimis læta apparuissent*, respondit. Ita monitus M. Marcellus, ne quid temere conaretur, insequenti nocte speculandi gratia cum paucis egredi ausus, a multitudine hostium in Bruttiis circumventus, æque magnum dolorem, ac detrimentum patriæ, interitu suo attulit.

10. Jam[3] Octavius consul dirum omen quemadmodum timuit, ita vitare non potuit. Ex simulacro enim Apollinis per se[4] abrupto capite, et ita infixo humi, ut avelli nequiret, armis cum collega suo Cinna dissidens, præsumpsit animo, ea re significari exitium suum : in quod[5] metu au-

1. *Caput jecinoris.* Est pars ejus eminentior. Jecur subter quidem concavum, supra et exstrinsecus promineus, in fibras quinque (Græci λοβοὺς appellant) dissectum. Malum omen erat, si caput jecinoris non inveniretur. Vid. Julius Obsequens.

2. *Trunca.* Pro *trunca* legere quidam malunt, *tristia*, quod melius responderet *lætis*. Sed et Livius trunca et turpia exta opponit lætis. — An. U. 539. Plutarch. Marcell. Liv. XXVII, 28.

3. *Jam* interdum pro *porro*. — *Octavius*, Cinnæ collega in consulatu, cui tyrannidem exercenti restitit Octavius. Ex urbe pulsus quidem Cinna, sed Marii ope vi restitutus, Octavium pro tribunali sedentem obtruncavit.

4. *Per se.* I. e. sua sponte. — *Cum collega.* Alii habent *a*. Rectius est *cum*, multorum arbitrio. Credimus, Valer. omnino sic scripsisse, sciolum vero, cui forte constructio hæc ignota esset, mutationem fecisse. Bene dicitur : *cum aliquo dissidere*, et pari ratione : *cum aliquo discrepare, dissentire cum aliquo.*

5. *Quod.* Pro eo plerique codd. habent *quem*, ideo cum Vorstio legere maluerim *exitum*. Neque tamen, sive *exitum* sive *exitium* legas, evanescit difficultas, quæ hunc locum premit. Perizon. explicat ; *in quem metum augurii istius incidit in tristi fine vitæ*. At Octavius non demum in tristi fine vitæ suæ, sed jam dia ante metuerat augurium. Torrenius : *in quem exitum metus augurii*, etc. id est, quem metum augurii haud vanum fuisse tristis vitæ ipsius finis comprobavit. Sed, ut recte monet Kapp. restat scrupulus, an satis latine dici possit : *metus augurii incidit in hunc exitum tristi fine vitæ*. Addit vir doctiss. deinde : « Forte viam ad veram hujus loci interpretationem sternit ed. vetus quæ ita habet : *exitium suum. In quem metus augurium*, etc. ut ergo referatur *in quem* ad *Octavium*, et sensus sit : Octavio augurium, quod metue-

Digitized by Google

gurii, tristi fine vitæ incidit; ac tum demum immobile Dei caput terra refigi potuit.

11. Non sinit nos M. Crassus[1], inter gravissimas romani[2] imperii jacturas numerandus, hoc loco de se silentium agere, plurimis et evidentissimis ante tantam ruinam monstrorum pulsatus ictibus. Ducturus erat a Carris[3] adversus Parthos exercitum; pullum[4] ei traditum est paludamentum, quum in prælium exeuntibus album aut purpureum dari soleret: mœsti et taciti milites ad principia[5] convenerunt, qui vetere instituto cum clamore alacri accurrere debebant: aquilarum altera vix convelli a primipilo[6] potuit; altera ægerrime extracta, in contrariam, ac ferebatur, partem se ipsa convertit. Magna hæc prodigia: sed et illæ clades aliquanto majores; tot pulcherrimarum legionum interitus; tam multa signa hostilibus intercepta manibus, tantum romanæ militiæ decus barbarorum obtritum[7] equitatu; optimæ indolis filii cruore

rat, incidit, uti tristis vitæ finis illius docuit. Vid. infra, ext. 1, *Xerxi .... admirabile prodigium .... incidit.* Neque tamen ausim dicere, qua ratione bina verba *metu augurii* constituenda sint. Locus omnino subobscurus. — An. U. 666. Plut. Mario.

1. *Crassus*, nulla intercedente justa belli causa, sola auri cupidine ductus, Parthorum regiones quas ditissimas didicerat, cupide petiit, sed turpi morte occubuit.

2. *Romani.* Ita plurimi MSS. Pigh. quum in uno cod. reperisset *nostri*, id ipsum supponendum putavit, levi motus argumento, quod Val. alibi scripsit: *nostræ civitatis, nostris cærimoniis.*

3. *Carris.* Mesopotamiæ urbe.

4. *Pullum.* Nigrum sive atrum.

5. *Principia*, hoc loco, pro prima sive principum acie sumit Oliverius. Sed principum acies non fuit ordine prima in legione. Prætulerim Vorstii sententiam, qui accipit pro loco castrorum principe atque sacro, ubi tabernaculum imperatoris, signa asservata, jus redditum, consilia capiebantur. — *Vetere instituto.* Cujus jam mentionem facit Homerus. Clamorem militum ante pugnam tanti æstimabant Veteres, ut ex eo de pugnæ eventu interdum judicarent.

6. *Primipilo.* Primipilus dictus, qui primum pilum, s. ordinem triariorum ducebat, præcipuus centurionum, quem etiam primipili centurionem vocant. Idem quoque aquilam, signum primum, regebat, quod evulsum tradebat signifero.

7. *Obtritum.* Nonnulli codd. *obru-*

Digitized by Google

paterni respersi oculi; corpus imperatoris, inter promiscuas cadaverum strues, avium ferarumque laniatibus objectum. Vellem quidem placidius; sed, quod relatum, verum est[1]: sic Dii spreti excandescunt[2]: sic humana consilia castigantur, ubi se cælestibus præferunt.

12. Cn. etiam Pompeium Jupiter omnipotens abunde monuerat, ne cum C. Cæsare ultimam belli fortunam experiri contenderet, egresso a Dyrrachio adversa agmini ejus fulmina jaciens, examinibus apum[3] signa obscurando, subita tristitia implicatis militum animis, nocturnis totius exercitus terroribus, ab ipsis altaribus hostiarum fuga. Sed invictæ leges necessitatis[4] pectus alioqui procul ab amentia remotum, prodigia ista justa æstimatione perpendere passæ non sunt. Itaque dum illa elevat[5], auctoritatem amplissimam, et opes privato fastigio excelsiores, omniaque ornamenta, quæ ab ineunte adolescentia ad invidiam usque

tum. Male. — *Optimæ indolis filii. L. Crassus* filius multa jam ediderat virtutis specimina.

1. *Vellem... est.* Sententia hæc est: Vellem hanc cladem placidius dicere posse, sed omissis blandioribus figmentis cogor vera fateri.

2. *Dii spreti excandescunt.* Metonymice pro: Dii præmonentes spreti excandescunt, quod Torren. placet, quia Valerio nihil familiarius sit, quam adjuncta pro subjectis ponere. — An. U. 700. Plut. Crasso; Serv. ad Æn. II.

3. *Examinibus apum.* Hoc prodigium significare vel ab ipso Pompeio creditum, copiarum suarum multitudinem sibi nocituram. Idem fere hac de re tradit Vegetius. — *Nocturnis... terroribus.* Constat, flammam quamdam clarissimam in castris Pompeii emicuisse, in Cæsaris castra vergentem, quæ portendit, magnam Pompeii gloriam ad Cæsarem transituram, ex eoque terror injectus universo exercitui, ex aliis monstris jam territo. — An. U. 705. Julius Obsequens, 125; Lucan. VII, 152; Appian. Civil. II, pag. 771; Flor. IV, 2, 45.

4. *Necessitatis.* Sic Pigh. ex uno cod. MS. Alii omnes c. edd. *necessitudinis*, eodem plane sensu. Notum enim, non nostrum tantum, sed et Sallustium aliosque *necessitudinem* dixisse pro *necessitate*. — *Pectus* i. e. Pompeium. Amat Valerius abstracta.

5. *Illa elevat.* Scilicet prodigia negligit, spernit. Ita Perizonius legit et textum distinguit. Certe sic cunctæ difficultates tolluntur. MSS. et editiones omnes: *dum ille elevat auctoritatem amplissimam*, etc. — *Ab ineunte adolescentia.* Nam XXIV annos natus, adhuc eques roman.

Digitized by Google

contraxerat, spatio unius diei confregit. Quo constat in delubris Deum sua sponte signa conversa; militarem clamorem, strepitumque armorum adeo magnum Antiochiæ et Ptolemaide auditum, ut in muros concurreretur; sonum tympanorum Pergami[1] abditis delubris editum; palmam viridem Trallibus[2] in æde Victoriæ, sub Cæsaris statua, inter coagmenta lapidum justæ magnitudinis enatam: quibus apparet, cælestium numen et Cæsaris gloriæ favisse, et Pompeii errorem inhibere voluisse.

13. Tuas aras[4], tuaque sanctissima templa, dive Juli, veneratus oro, ut propitio ac faventi numine tantorum casus virorum sub tui exempli præsidio ac tutela delitescere patiaris. Te enim accipimus, eo die, quo, purpurea veste velatus, aurea in sella consedisti, ne maximo studio senatus exquisitum et delatum honorem sprevisse videreris, priusquam exoptatum civium oculis conspectum tui offerres, cultui religionis[5], in quam mox eras transiturus, vacasse; mactatoque opimo bove cor in extis non reperisse: ac responsum tibi a Spurina[6] aruspice, *pertinere id signum*

necdum consularis, quod nulli contigerat, ex Africa triumphavit. — *Spatio unius diei*. In acie pharsalica. Vid. Cæsarem de Bello Civ.

1. *Pergami*. Pergamum (us) et Thraciæ et Phrygiæ majoris urbs erat. — *Abditis delubris*. Abdita delubri parte. Nonnulli legunt: *adytis delubri*, quam lect. Torren. cum Gud. et Burm. præferendam censet.

2. *Trallibus*. Tralles urbs Lydiæ aut potius Phrygiæ in finibus Cariæ. Trallenses Cæsari statuam erexerant, sub qua per juncturas lapidum e pavimento palma pullulasse fertur. — *Justæ magnitudinis*. Torren. explicat: palmam tantæ magnitudinis, quanta victoribus dari soleret.

4. *Tuas aras*. Adulatur hic Cæsari, simulque veniam petit, si contra eum dicturus sit, eum in contemnendis periculis fuisse temerarium. Omnia sunt plena horum prodigiorum, quorum maxime mirum videtur, greges, quos Cæsar in trajiciendo Rubicone consecraverat, non solum pertinacissime a pabulo abstinuisse, sed flesse etiam, quod legimus in Virgilii Daphnide.

5. *Cultui religionis.... vacasse*. Id est, quemadmodum eo die sacrificabas Diis; ita tibi quoque paullo post, in Deorum numerum relato, erat sacrificandum.

6. *Spurina* prædixerat, omnes dies a Cal. usque ad Id. Mart. Cæsari esse periculosos. Quæ quum sine

Digitized by Google

ad vitam et consilium tuum, quod utraque hæc corde continerentur. Erupit deinde eorum[1] parricidium, qui dum te hominum numero subtrahere volunt, deorum concilio adjecerunt.

DE PRODIGIIS QUÆ EVENERE EXTERNIS.

1. Claudatur hoc exemplo talium ostentorum domestica relatio, ne si ulterius romana apprehendero, e cælesti templo ad privatas domos, non consentaneos usus[2] transtulisse videar. Attingam igitur externa : quæ latinis inserta literis, ut auctoritatis minus[3] habent, ita aliquid gratæ varietatis afferre possunt. In exercitu Xerxis, quem adversus provinciam Græciam contraxerat, equæ partu leporem editum constat, eodem montem Athon[4] vix tandem transgresso. Quo genere monstri[5] tanti apparatus

ulla ejus noxa advenissent, Spurinam irridens : « Adsunt, inquit, Idus, o Spurina ! » Cui ille : « Adsunt quidem, sed nondum præterierunt. » Item, quum in Capitolium iret Cæsar, multitudine stipatus, dixisse Spurinam ferunt : « Sol tendit ad occasum ! » — Cui ille respondisse dicitur : « Sol bene tendit ! » — *Vitam.* Non ad conservandam, sed ad extinguendam vitam.

1. *Eorum.* Scil. *Cassii,* qui primus letale vulnus ei intulit, et *Bruti,* quem filii instar habuerat Cæsar. — An. U. 709. Cic. div. I, 52; Plin. II, 37; Jul. Obseq. c. 127; Plut. Cæs. p. 737.

2. *Usus.* Mavult Lipsius legere *visus*, hoc sensu : Quum de divo Julio dixerim, claudam romana exempla, nec oculos parum decore transferam e cælo rursus ad terram : quod adulatori Valerio non male esset accommodatum.

3. *Auctoritatis minus.* Quia domestica exempla magis movent, quam externa. Potest quoque sic explicari : quam haberent, si græca in ea forma, qua græce scripta sunt, recitarentur.

4. *Athon.* Athos tantus mons Macedoniæ, ut usque ad insulam Lemnum umbram protendere fingatur. Hic, jussu Xerxis, 1500 passibus abscissus est et navigabilis factus. Ex Herodoto liquet, non diu post, quam Hellespontum Xerxes cum copiis transierat, prodigium leporis ex equa nati contigisse. — *Vix tandem transgresso.* Alii habent sic : *juxta Idam transgresso.* Male. Ex Herodoto enim patet lib. VII, c. 57, jam pridem Idam montem transiisse Xerxem, quum prodigium ei ejusmodi offerretur.

5. *Monstrum,* res mira quæ monstratur. — *Tanti apparatus.* De Xerxis copiis discrepant scriptores. Nonnulli enim, eum 4200 navium et 1,000,000 militum, alii vero

Digitized by Google

significatus est eventus: nam qui mare classibus, terram pedestri operuit exercitu, ut fugax animal, pavido regressu regnum suum repetere est coactus.

Priusquam Athenas[1] deleret, Lacedæmonis invadendæ consilium agitanti, admirabile inter cœnam prodigium incidit. Infusum namque pateræ ejus vinum, in sanguinem, nec semel, sed iterum, et tertio, conversum est. Qua de re consulti magi[2] monuerunt, ut se ab incepto abstineret: et, si quod vestigium in vecordi pectore sensus fuisset, cavere potuisset, ante de Leonida et Spartanis abunde monitus.

2. Midæ vero, cujus imperio Phrygia[3] fuit subjecta, puero dormienti formicæ in os grana tritici congesserunt. Parentibus deinde ejus, quorsum prodigium tenderet, explorantibus, augures responderunt, *omnium illum mortalium futurum ditissimum.* Nec vana prædictio exstitit: nam Midas cunctorum[4] pæne regum opes abundantia pe-

5,282,000 habuisse referunt. Forsan medium tenendum, sic, ut ejus exercitum 1,500,000 bellatorum, et circa 1,000,000 reliqui gregis continuisse, eumque 2000 navium habuisse credamus.

1. *Athenas.* Nec ab *Adonai*, nec ab *Athene* s. Minerva, sed ab *Atthye* s. Atthide, Cranai filia, vocatas multi putant. Athenienses Xerxis metu Spartam confugere. Vid. Nepos in Themistocle.

2. *Magi.* Babyloniorum, Syrorum atque Persarum sapientes s. docti, quorum scientia paullatim in superstitionem abiit, qua adhuc Guebri conflictantur. — *Abstineret.* MSS. et edd. fere omnes: *ut se ab incepto proposito abstineret*, quod Kappio videtur rectum. Sed, *ab incepto abstinere*, itemque *se abstinere*, usitatissima loquendi formula est, qua forte *proposito* (*entreprise, projet*) subintelligitur. Quid? quod ipse Cic. vocabulo *inceptum* seu *incœptum* tamquam nomine substantivo utitur.

3. *Phrygia* major Asiæ minoris. Phrygiam enim modo in majorem et minorem, modo in Pacatianam et Salutarem diviserunt. Vid. *D'Anville* Geograph. ant. Josephus Thogarmæ terram appellat. — *Midas*, Gordii filius, teste Justino, ab Orpheo sacris initiatus, ut ait Cicero aliique, a Sileno mira naturæ et carmina ad bene componendos mores apta edoctus, Ancyram urbem condidisse fertur. Sed mihi quidem Sileni et Midæ ætas quinquaginta fere annis distare videtur. Cæterum fabulæ ut stultum avarum Midam depingunt.

4. *Cunctorum.* Et ante eum, et ejus ætatis.

Digitized by Google

cuniæ antecessit ; infantiæque incunabula utili [1] Deorum munere donata, onustis auro atque argento gazis pensavit.

3. Formicis Midæ jure meritoque apes Platonis prætulerim : illæ enim caducæ ac fragilis, hæ solidæ et æternæ felicitatis [2] indices exstiterunt, dormientis in cunis parvuli labellis mel inserendo. Qua re audita, prodigiorum interpretes *singularem eloquii suavitatem ore ejus emanaturam* dixerunt. At mihi quidem illæ apes non montem Hymettum [3] thymi flore redolentem, sed Musarum Heliconios colles omni genere doctrinæ virentes, Dearum instinctu depastæ, maximo ingenio dulcissima alimenta summæ eloquentiæ instillasse videntur.

1. *Utili.* Quia *tritico* rerum terrenarum nihil fere est utilius. Sensus esse videtur : Midas pro Deorum munere, in cunabulis accepto, coacervavit aurum argentumque. — *Gazis.* Gaza, vox persica, quæ denotat divitias. — *Pensavit.* Id est, æquavit, assecutus est Dicere vult : Midæ factum in congerendis divitiis prodigio Deorum, licet non tritico, auro tamen argentoque respondisse. — Cicer. Divin. I, 36; II, 31; Ælian. Var. hist. XII, 45.

2. *Solidæ et æternæ felicitatis.* Sapientiæ nimirum cum virtute conjunctæ, et eloquentiæ ope cum aliis communicatæ, quæ sunt certæ et æternæ hominum divitiæ.

3. *Hymettum.* Hymettus mons Atticæ regionis laudatissimus, floribus, apibus et marmore abundans : trabes enim hymettias laudat Horatius od. II, 18. — *Helicon*, mons Bœotiæ juxta Thebas, finitimus Phocidi, distans a Parnasso circiter 15,000 passuum eique altitudine et circuitu æmulus, Apollini Musisque sacer. — Cicero Div. I, 36, II, 31; Plin. Hist. natur. XI, 17; Ælian. Var. hist. X, 21.

Digitized by Google

CAPUT VII.

De Somniis Romanorum.

1. Artorii medici de Augusto. — 2. Calpurniæ de Cæsare. — 3. P. Decii, T. Manlii cos. — 4. Ti. Atinii cujusdam. — 5. M. Ciceronis exsulis. — 6. C. Sempronii Gracchi. — 7. Cassii Parmensis. — 8. Aterii Rufi equitis romani.

De Somniis Externorum.

1. Hannibalis Pœni. — 2. Alexandri Magni regis. — 3. Simonidis poetæ. — 4. Cresi Lydorum regis. — 5. Cyri Persarum regis. — 6. Himerææ mulieris de Dionysio. — 7. Matris Dionysii tyranni. — 8. Hamilcaris Pœni. — 9. Alcibiadis Atheniensis. — 10. Arcadis cujusdam.

DE SOMNIIS[1] ROMANORUM.

Sed quoniam divitias Midæ, disertumque Platonis somnum[2] attigi, referam, quam certis imaginibus multorum quies adumbrata sit.

1. Quem locum unde potius exordiar, quam a divi Augusti[3] sacratissima memoria? ejus medico Artorio somnum capienti nocte, quam dies insequutus est, quo in cam-

1. *Somniis*... Somnia interpretari, vetus superstitio. Quum enim Deus in rebus arduis ad servandos homines, virtute et probitate eminentes, futuri exitum per somnia interdum revelasset; mos percrebuit inter gentes, memorandis somniis, licet eorum causa in solis anteactis sita esset, divini quid tribuendi.

2. *Divitias*.... *somnum*. Gudius legere mavult: *divitis Midæ, disertique Platonis somnum*, ne Noster ratione plane absurda usus videatur. Sed non est, quod textum sollicitemus, quum sensu non careat, ipsique Valerii calamo exierit ex constanti fere omnium codd. auctoritate. Valer. acute, facete, ingeniose dicere amat, et opponit frequenter substantiva, ut hic: *divitias* Midæ et Platonis *somnum*. Somnus *disertus* autem est, *qui futuram eloquentiam indicat*, ut innuat auctor, hunc Platonis somnum ansam dedisse Diis prodigio aliquo significandi, Platonem disertissimum fore. Torren. pro *somnum* reposuit *somnium*. At in præcedentibus nulla mentio *somnii* Platonis, immo *dormientis* Platonis. Nec cæteri scriptores idem narrantes de *somnio* aliquid habent. Cf. cæterum, quæ Kapp. ad h. l. docte disputavit. — *Certis*. Quas eventus veras declaravit.

3. *Augusti*. Quem vocat Sueton. somniorum observantissimum.

Digitized by Google

pis philippicis romani inter se exercitus concurrerunt, Minervæ species oborta præcepit, « ut illum gravi morbo implicitum moneret, ne propter adversam valetudinem proximo prælio non interesset. » Quod quum Cæsar audisset, lectica se in aciem deferri jussit : ubi dum supra vires corporis pro adipiscenda victoria[1] excubat, castra ejus a Bruto capta sunt. Quid ergo aliud putamus, quam divino munere[2] effectum, ne destinatum jam immortalitati caput indignam cælesti spiritu fortunæ violentiam sentiret?

2. Augustum vero præter naturalem animi in omnibus rebus subtiliter perspiciendis vigorem, etiam recens et domesticum exemplum, ut Artorii somnio obtemperaret, admonuit. Audiverat enim divi Julii patris sui uxorem Calpurniam[3] nocte, quam is in terris ultimam egit, in quiete vidisse multis eum confectum vulneribus in suo sinu jacentem; somniique atrocitate vehementer exterritam, rogare non destitisse, *ut proxima die a curia se abstineret:* at illum, ne muliebri somnio motus id fecisse existimaretur, senatum, in quo ei parricidarum manus allatæ sunt, adire contendisse. Non est operæ[4] inter patrem et filium ullius rei comparationem fieri, præsertim divinitatis fastigio junctos : sed jam alter operibus suis aditum sibi ad cælum instruxerat, alteri longus adhuc terrestrium virtutum orbis[5] restabat. Quapropter ab hoc tantummodo im-

1. *Victoria.* Quam etiam reportavit. Milites tamen Bruti castra ejus ante ceperant, eademque ingressi lecticam, in qua cubare Octavianum putarant, transfixerant.

2. *Munere.* Alii : *numine.* Utique divino *munere;* sed salubri corporis motu sine dubio languidæ vires sunt refectæ. —An. U. 711. Dio XLVII; Velleius, II, 70; App. Civ. 4; Suetonius, Aug. 91; Lactant. II, 7.

3. *Calpurniam.* Imaginata est collabi fastigium domus, maritumque in gremio suo confodi : quoniam forsan, Spurinæ monitis territa, in somno hanc sibi fingeret lugubrem imaginem.

4. *Operæ.* Vocem *operæ* Pigh. ex lib. Cauchii reposuit. Kapp. eam in cætt. codd. rectius omitti autumat, quod vix admiserim, quum abrupta et concisa dictio sit, in qua aliquid subaudiendum esse nemo non videt.

5. *Longus orbis.* Est longa series.

Digitized by Google

pendentem mutationem status cognosci, ab illo etiam differri Dii immortales voluerunt; ut aliud cælo decus daretur, aliud promitteretur.

3. Illud etiam somnium et magnæ admirationis et clari exitus[1], quod eadem nocte duo consules P. Decius et T. Manlius Torquatus, latino bello, et gravi et periculoso, non procul a Vesuvii montis radicibus positis castris viderunt. Utrique enim quidam per quietis speciem[2] prædixit, « ex altera acie imperatorem, ex altera exercitum, Diis Manibus Matrique terræ deberi : utrius autem dux copias hostium aggrederetur[3], superque eas sese ipsum devovisset, victricem abituram. » Id luce proxima consulibus sacrificio vel expiaturis, si posset averti, vel, si certum Deorum etiam monitu visum foret, exsequuturis, ho-

— Anno U. 709. Suetonius, cap. LXXXI; Obseq. cap. 127.

1. *Exitus.* Pigh. intrusit verbum *fuit;* intempestiva sane liberalitas. — *Latino bello.* Latini enim postulabant, ut alter cos. ex suis crearetur.

2. *Per quietis speciem*, i. e. in visione nocturna.

3. *Aggrederetur.* Pro vano additamento habet Vorstius, quum hæc vox apud Liv. non legatur, et a plerisque codd. absit. Locum habere videtur hæc sententia, quia etiam hostium copiæ simul devotæ sunt. Cæterum mos antiquus expiandorum *Manium* a Numa primum institutus traditur, qui præter alias victimas sanguine etiam humano placabantur. Juxta Apuleium distinxere Veteres inter *Lemures*, *Larvas* et *Manes*. Ex Lemuribus is, qui posterorum suorum curam sortitur, pacato et quieto numine domum possidet. Lar dicitur familiaris, quasi genius et antistes domus. Larvæ vagantes infestæ malis. Quum autem incertum esset, quæ cuique sortitio contigerit, Manes et Manium Deum invocabant. Manes itaque defunctorum umbræ, vel potius animæ. Ita *Plato* in *Timæo* et *Cratylo* optimam animi nostri partem dæmona appellavit. Ipse *Origenes*, qui illa e Platone hausisse videtur, animas humanas in dæmones mutari asseruit, lib. περὶ ἀρχῶν. Non his tantum Manibus, sed et *Matri Terræ*, quæ et Græcis fuit μήτηρ τε θεῶν ἠδὲ θνητῶν ἀνθρώπων, sese devoverunt. Quod si enim grave periculum imminere videretur, et aruspices nuntiarent, Deos non esse placatos, tum aliquis ex romanis ducibus pro exercitu suo se et simul hostium exercitum devovit, de quo leg. Liv. VIII, 10. — *Victricem abituram.* Sic cum plurimis codd. rectius legitur, quam *victoriam habituram*, quod dévotus post mortem victoriam habere non poterat. — An. U. 413. Livius, VIII, 6; Cic. Tusculan. I, 37; Fin. II, 19.

Digitized by Google

stiarum exta somnio congruerunt; convenitque inter eos, cujus cornu prius laborare cœpisset, ut is patriæ fata capite suo lueret : quæ, neutro formidante, Decium deposcerunt.

4. Sequitur æque ad publicam religionem pertinens somnium. Quum plebeiis ludis [1] quidam paterfamilias per circum Flaminium, priusquam pompa induceretur, servum suum verberibus mulcatum, sub furca ad supplicium egisset, Ti. Atinio homini ex plebe Jupiter in quiete præcepit, *ut consulibus diceret, sibi præsultorem ludis Circensibus proximis non placuisse : quæ res nisi attenta*

1. *Plebeiis ludis.* Hos ludos, teste Asconio, exactis regibus pro libertate plebis, aut pro reconciliatione instituti sunt. Dion. Halicar. VII, autem, eos fieri, senatum decrevisse narrat, quum ab A. Postumio, dict. cum Latinorum urbibus desciscentibus conantibusque Tarquinium restituere, pugnaturo, vota essent nuncupata; in sacrificia et certamina quingentas argenti minas quotannis senatum decrevisse, et ad bellum usque punicum in hanc solennitatem eas impendisse. — *Circum Flaminium.* Tres præcipui in urbe erant circi, *Maximus, Flaminius* et *Neronianus. Flaminium* autem non a quodam cive Flaminio dictum esse, sed quia in pratis Flaminiis fuerit exstructus, nonnulli opinantur. Sed Livii epitomator lib. XX, narrat : « C. Flaminius censor circum Flaminium *exstruxit.* » Hujus nomen ob conspicuum ibi Apollinis templum etiam fuit Apollinaris. Adhuc ejus rudera Romæ videre licet. — *Pompa.* Quæ vox denotat apparatum et ornamenta ludorum. Alii legere malunt cum Vorstio *acroama;* sic enim plurimis locis ipsi histriones et fabularum actores vocantur. (Abstr. pr. concr.) Vide Pontani not. ad Macrob. Saturnal. I, 11. Cicero p. Sextio habet : actor et acroama. Cf. Sueton. Ang. 74. — *Furca.* Trium generum fuit : *una* lignum plaustri, quod temoni subjicitur, et servis non tam supplicii, quam ignominiæ causa ferendum circa vicinos imponebatur. Inde *furciferi* dicti, qui ob leve delictum cogebantur a dominis, furcam in collo ferre, subligatis ad eam manibus, et prædicare peccatum suum, simulque monere cæteros, ne simile quid committerent; *altera* lignum duplex, cujus media parte, collo inserto, rei cervix laqueo vinciebatur, vel ut expeditius ad supplicium traheretur, vel, ut aliis placet, ut commodius tergum virgis præberet; *tertium* furcæ genus fuit, qua damnati gula laqueo frangebatur, quod genus Isidorus patibulum vocat. Idem tradit, patibuli minorem fuisse pœnam, quam crucis : nam patibulum, inquit, statim exanimat, crux autem adfixos diu excruciat. — *Præsultor* est, a quo facta sunt præludia et prævias saltationes. Hic

Digitized by Google

ludorum instauratione expiata esset, sequuturum non mediocre urbis periculum. Ille veritus, ne cum aliquo incommodo suo religione[1] summum implicaret imperium, silentium egit : e vestigioque filius ejus subita vi morbi correptus interiit. Ipse etiam per quietem ab eodem Deo interrogatus, *an satis magnam pœnam neglecti imperii sui pependisset*, in proposito perseverans, debilitate corporis solutus est : ac tum demum ex consilio amicorum, lectica[2] ad tribunal consulum, et inde ad senatum perlatus, ordine totius casus sui exposito, magna cum omnium admiratione, recuperata membrorum firmitate, pedibus domum rediit.

5. Ac ne illud quidem involvendum silentio : inimicorum conspiratione urbe pulsus M. Cicero[3], quum in villa quadam campi Atinatis deversaretur, is animo in somnum profuso, per loca deserta et invias regiones vaganti sibi C. Marium consulatus ornatum insignibus putavit obvium

denotat miserum illum servum, qui ad supplicium ductus et flagris cæsus, saltare visus est. Supplicio afficiendi quoque *insilire in crucem* dicebantur, unde Plauti crucisalus in Bacchid. Jovi id placere non poterat, quia ejus sacra suppliciis polluta sunt. Quod quum Atinius, placata ira, sedata mente perpenderet, ambiguus hærens, an recte fecerit; mirum non est, Jovem in somnio eum talia monuisse.—*Ludis Circensibus.* A circo dicti. Celebrabantur præcipue equorum cursu. In pompa vehebantur simulacra Deorum. Conspectæ illic IV aurigarum factiones, a quatuor diversis panni, quo erant ornati, coloribus nomen nactæ : albata, russata, veneta, prasina : quibus Domitianus adjunxit purpuream et auratam. Spectabantur quoque in circo certamina athletica, Trojæ ludus, venatio, pugna equestris et pedestris, naumachia, etc.

1. *Religione.* Metu Deorum, aut instauratione religiosa ludorum. Metuit, ne in carcerem detruderetur, aut verberibus afficeretur, aut multam dare cogeretur, quod sacra polluerat.

2. *Lectica.* Codd. MSS. passim *lecticula*, quo magis exprimatur lectica hominis plebeii. — *Pedibus domum rediit.* Quanta enim efficiunt et animi anxietas, et animus curis liberatus! —An. U. 264. Liv. II, 36; Cic. de Div. I, 22; Macrob. Sat., I, 2; Lactant. II, 7; Minuc. Fel.

3. *M. Cicero.* Hoc somnium non de se, sed de Quinto fratre narrat Cic. de Div. I. — *Campi Atinatis.* Atina

Digitized by Google

factum, et interrogantem eum, *quid ita tam tristi vultu, incerto itinere ferretur*: audito deinde casu, quo conflictabatur, comprehendisse dexteram suam, ac se proximo lictori[1] in monumentum ipsius deducendum tradidisse, quod diceret, *ibi esse lætiorem status spem repositam*: nec aliter evenit: nam in æde Jovis Mariana senatusconsultum de reditu ejus est factum.

6. C. autem Graccho[2] imminentis casus atrocitas palam atque aperte per quietem denuntiata est: somno enim pressus, Ti. Gracchi fratris effigiem vidit, dicentis sibi, *Nulla ratione eum vitare posse, ut eo fato non*[3] *periret, quo ipse propulsus e Capitolio occidisset.* Id ex Graccho prius, quam tribunatum, in quo fraternum exitum habuit, iniret, multi audiverunt. Cœlius[4] etiam, certus romanæ

oppidum est juxta Pontinas paludes, quod inter colonias rom. numerat Frontinus. — *Consulatus ornatum insignibus.* Insignia magistratibus ad augendum splendorem addita, ab Etruscis acceperunt Romani. An. U. 695. Cicero, Div. I, 28.

1. *Proximo lictori.* Nam ex lictoribus unum semper habebant proximum coss. — *Monumentum.* Est ædes ipsa Jovis, quam Marius dedicaverat, et ubi monumenta sua collocaverat. Sic Cic. sæpius monumentum Marii pro ipso templo usurpat.

2. *C. autem Graccho. Ti. Gracchus* ob legem agrariam a Scip. Nasica, *Caius* frater, ob leges, frumentariam et agrariam, tertiamque, ut DC equites miscerentur senatoribus, et ob varia alia, quum denique Aventinum montem cum armata multitudine cepisset, a L. Opimio in luco Furinæ trans Tiberim est occisus. Cui quum fratris funestus obitus ante oculos versaretur, quis est, qui miretur, in simili molimine ejusmodi imagines ei in somnio apparuisse? Sed errat in eo Valerius, quod fratrem exitio in tribunatu oppressum esse scribit, quippe, testibus Sigonio aliisque, tribunatu jam tum abierat. — *Denuntiata.* Nonnulli, *nuntiata.* Minus recte. Magis enim appositum ad hanc rem est *denuntiare*, quod verbum minax quodammodo est et violentum.

3. *Non.* In multis codicibus *ne eo fato non periret*, vocula *ne* simpliciter pro *ut* posita. — *Propulsus e Capitolio.* Hæc verba desunt in pluribus codd. MSS. Glossam sapiunt, quæ ex margine in textum irrepsit. Vix enim convenit hoc plane superfluum imagini, quam in somnis viderat Gracchus.

4. *Cœlius.* L. Cœlius Antipater illustris fuit orator, JCtus et historicus. Brutus ejus libros, agresti licet et horrido stylo conscriptos, tanti tamen æstimavit, ut in epitomen

Digitized by Google

historiæ auctor, sermonem de ea re ad suas aures illo adhuc vivo pervenisse scribit.

7. Vincit hujusce somnii dirum adspectum, quod sequitur. Apud Actium[1] M. Antonii fractis opibus, Cassius Parmensis, qui partes ejus sequutus fuerat, Athenas confugit : ubi concubia nocte[2], quum sollicitudinibus et curis mente sopita in lectulo jaceret, existimavit ad se venire hominem ingentis magnitudinis, coloris nigri, squalidum barba, et capillo demisso : interrogatumque, quisnam esset, respondisse κακοδαίμονα[3]. Perterritus deinde tam tetro visu, et nomine horrendo, servos inclamavit, sciscitatusque, *si quem talis habitus aut intrantem cubiculum, aut exeuntem vidissent.* Quibus affirmantibus, *neminem illuc accessisse*, iterum quieti et somno se dedit : atque eadem animo ejus obversata est species. Itaque fugato somno, lumen introferri jussit, puerosque[4] a se discedere vetuit. Inter hanc noctem et supplicium capitis, quo eum Cæsar affecit, paullulum admodum temporis intercessit.

8. Propioribus tamen, ut ita dicam, lineis[5] Aterii Rufi,

redigeret. Cicer. ad Attic. XIII, 8. Idem Divin. I, 22. — An. U. 626 quum quæsturam peteret.

1. *Actium.* Epiri promontorium, ubi Antonius cum Cleopatra ab Augusto victus est. — *Cassius Parmens.* Multas scripsit tragœdias. Vid. Horatius I, epist. 4.

2. *Concubia nocte.* Parte noctis intempesta, qua fere omnes cubarent. Vide Gell. III, 2. — *Capillo demisso*, i. e. longo, neglecto et impexo. In aliquot MSS. *immisso*, quod prætulerim, quia exquisitius est.

3. Κακοδαίμονα. Quum nascimur, ut fabulatur Servius, duos *genios* sortimur : unum, qui nos hortatur ad bona, alterum, qui depravat ad mala. Quibus assistentibus, aut evehimur ad meliorem vitam, aut condemnamur ad deteriorem.

4. *Puerosque. Puer*, παῖς, non tantum ætatis, sed et status scilicet vitæ generis vocabulum est. Unde quos ante *servos*, nunc *pueros* dicit.

5. *Lineis.* I. e. propioribus spatiis; metaphora ducta a stadio. Primæ et propiores lineæ sunt, unde initium cursus ceperunt; longinquæ et ultimæ, quæ cursum finierunt. — *Admonitum.* Id est, indubitata morte completum. Lipsius et cum eo Gronovius legere malunt *admotum*, quia metaphora desumpta sit a lineis Circensibus. Sed nihil opus. *Somnium admonitum* Valerius more suo usurpat de Aterio per somnium admonito.

Digitized by Google

equitis romani, somnium certo eventu admonitum est: qui, quum gladiatorium munus[1] Syracusis ederetur, inter quietem retiarii se manu confodi vidit: idque postero die in spectaculo consessoribus narravit. Incidit deinde, ut proximo ab equite loco retiarius[2] cum mirmillone intro-

1. *Gladiatorium munus.* Genus spectaculi admodum acerbum. *Munus* dictum est, quod ambitiosa liberalitate maximisque sumptibus edi soleret; vel quod ad munus sive officium publicum, quod mortuis deberetur, pertinere crediderunt. In honorem quippe mortuorum plerumque edi solebat. De exitiali hoc ludorum genere non possum, quin Lipsii verba apponam: « Nullum bellum tantam cladem generi humano intulit, quam hi ad voluptatem ludi. Numerum dierum hominumque recense; mentior, si non unus aliquis mensis Europæ stetit vicenis capitum millibus aut tricenis. Neronem culpamus aut Caligulam, qui centum aliquot homines vita privarunt ira sive metu: ecce unus editor homines supra mille ludens interfecit, et die non toto. Atque hæc delicias vocabant et cibum oculorum; fiebantque non per unius alteriusve lasciviam, sed veluti publica lege et decreto. Itaque eo ventum est, ut aliis legibus effusio ista fuerit coercenda. Primo ad ambitum reprimendum cautum fuit, ne quis daret candidatus. Legem eam tulit M. Tullius cos. Cautum etiam de numero aliquid gladiatorum, sub idem tempus, supra quem ne haberent in urbe. Sicut in Catilinaria conjuratione item remoti gladiatores ab urbe. Sed Augustus certe etiam de numero parium cavit, edixitque An. U. 731, nec gladiatores sæpius, quam bis anno dari, nec plurium, quam LX parium. At Tiberius firmus contra ista, certum numerum in commune præscripsit. Sed post Tiberium Caligula, conculcato hoc edicto, permisit volentibus cunctis, etiam supra numerum definitum, gladiatores præbere. Et Domitianus gratificatus contra eam legem ingenio suo et seculo videtur. »

2. *Retiarius.* Origo et exemplum retiariorum petitur à Pittaco, qui fuit inter VII sapientes: ita enim ille ex provocatione cum Phrynone pugnavit. Retiarium ita describit Isidorus: « Contra alterum pugnantem occulte ferebat rete jaculum, ut adversarium cuspide insistentem operiret, implicitumque viribus superaret. » Teste Juvenali, non erat ei clypeus, non sica, non galea, quia fuit contentus solo galero; nuda facie soli hi ex gladiatoribus. Ita autem docti, ut arte quadam collectum suspensumque dextra manu rete in adversarii caput jacerent; et si errassent, effuse fugerent, donec forte iterum rete collegissent. Tridens, sc. fuscina illis pro gladio; inermes et in sola tunica. Tertullianus tamen spongiam illis attribuit, pectori nimirum tegmen. Vid. Lips. de amphitheatro. — *Mirmillone.* Mirmillones, quos etiam Crupellares aut Prorepos vocarunt, quasi ob armorum gravitatem reperent, non irent, venerunt e Gallia. Hi toti armis circumdati:

Digitized by Google

duceretur : cujus quum faciem vidisset, idem dixit, *ab illo se retiario trucidari putasse*, protinusque inde discedere voluit. Illi, sermone suo metu ejus discusso, causam exitii misero attulerunt. Retiarius enim in eum locum compulso mirmillone et abjecto[1], dum jacentem ferire conatur, trajectum gladio Aterium interemit.

DE SOMNIIS EXTERNORUM.

1. Hannibalis quoque, ut detestandum romano sanguini, ita certæ prædictionis somnium : cujus non vigiliæ tantum, sed etiam ipsa quies[2] hostilis imperio nostro fuit. Hausit enim proposito et votis suis convenientem imaginem, existimavitque missum sibi ab Jove mortali specie excelsiorem juvenem, invadendæ Italiæ ducem : cujus monitu primo vestigia nullam in partem motis[3] sequutus oculis, mox humani ingenii prona voluntate vetita scrutandi pone respiciens, animadvertit immensæ magnitudinis serpentem, concitato impetu, omne, quidquid obvium fuerat, proterentem : postque eam[4] magno cum cæli fragore erumpentes nimbos, lucemque caliginosis involutam tenebris. Attonitus deinde, *quidnam esset monstri, et quid por-*

videntur inter pugnam soliti subsidere, ad excipiendum adversarium, et vitabundi. Mirmillo plerumque cum Thrace commissus, nonnunquam etiam cum retiario. Unde illud Festi : « Retiario pugnanti adversus mirmillonem cantatur : Non te peto, piscem peto : quid me fugis, Galle » ? Mirmillones enim ante Galli appellati sunt, in quorum galeis piscis effigies erat conspicua. Vid. Lipsius, libr. cit.

1. *Abjecto*, i. e. victo, superato; ut supra l. I, c. 5, n. 1, *urbe a Gallis dejecta*. Sic et infra l. III, c. 2, ext. 5.

2. *Ipsa quies*. Quum vigilans Italiæ pestem meditaretur, hoc somnium, si verum, cum consiliis et factis cohærens, non minus, quam reliqua, ex naturali imaginum figmento explicari potest.

3. *Motis*. A codd. omnibus abest; sed Pighius addidit, quum in aliquo cod. illud appositum videret. Juxta Livii narrationem melius forsan esset addere *deflexis*.

4. *Postque eam*. Scil. serpentem. Eadem non rhetorice, ut Noster, sed presse et non eleganter narrat Cicero de Div. I, 49.

Digitized by Google

tenderet[1], interrogavit. Hic dux[2], *Italiæ vides*, inquit, *vastitatem : proinde sile, et cætera tacitis*[3] *permitte fatis.*

2. Quam bene Macedoniæ rex Alexander per quietem visa imagine præmonitus[4] erat, ut vitæ suæ custos esset diligentior, si eum cavendi etiam periculi consilio fortuna instruere voluisset! namque Cassandri[5] pestiferam sibi dexteram somnio prius cognovit, quam exitu sensit: existimavit enim, ab illo se interfici, quum eum nunquam vidisset. Interposito deinde tempore, postquam in conspectum venisset, nocturni metus patefacta imagine, ut Antipatri filium esse cognovit, adjecto versu græco, qui fidem somniorum elevat, præparati jam adversus caput suum veneficii[6], quo occidisse Cassandri manu creditur, suspicionem animo repulit.

3. Longe indulgentius Dii in poeta Simonide[7], cujus salutarem inter quietem admonitionem consilii firmitate roboraverunt. Is enim quum ad litus navem appulisset[8],

1. *Portenderet.* Quasi *porro tenderet.*

2. *Dux.* Qui apparuerat ei prius, ut juvenis divina specie.

3. *Tacitis.* Desideratur in aliquot MSS. Periz. malit *tacitus*; perperam, quum *tacitis* designentur, quæ *se non aperiant*, quæ *velint in occulto esse.*

4. *Præmonitus.* Quum jam sæpius insidias expertus aut suspicatus esset, mirarer, nisi ejusmodi somnia sæpius ei contigissent.

5. *Cassandri.* Filii Antipatri, cum fratribus Iolao, qui pincerna erat Alexandri, et Philippo Alexandro ministrantis.

6. *Præparati... veneficii. Adversus caput suum* est pro, adversus vitam suam : nam *caput* sæpe idem quod *vita*; ut in phrasibus *capitis damnari, capite plecti.* Deinde *veneficium*, ipsum hic venenum est, quod de Nonacride Græciæ regione fuisse, ibi guttatim de petra quadam stillare, et tam acre rodensque fuisse testantur, ut non nisi in equi asinive ungulis deferri potuerit. Vide cæter. de morte Alex. Curt. X, 10; Justin. XII, 14, et alios.

7. *Simonide.* Hoc somnium leg. in Cic. de Div. I, 27. Multa recensentur cum laude *Simonidis* carmina, e. c. de Xerxis prælio navali, threni, encomia, epigrammata, etc., quorum paucissima tantum supersunt. — *Cujus.* Malit *cui* Gud. sed invitis MSS. et præter necessitatem.

8. *Appulisset.* Nonnulli habent *applicuisset*, more loquendi minus

Digitized by Google

inhumatumque corpus jacens sepulturæ mandasset, admonitus ab eo, ne proximo die navigaret, in terra remansit. Qui inde solverant, fluctibus et procellis in conspectu ejus obruti sunt. Ipse lætatus est, quod vitam suam somnio, quam navi, credere maluisset. Memor autem beneficii, elegantissimo carmine[1] æternitati consecravit; melius illi et diuturnius in animis hominum sepulcrum constituens, quam in desertis et ignotis arenis[2] struxerat.

4. Efficax et illa quietis imago, quæ Crœsi regis animum maximo prius metu, deinde etiam dolore confecit[3]. Nam e duobus filiis, et ingenti[4] agilitate, et corporis dotibus præstantiorem, imperiique successioni destinatum Atym, existimavit ferro sibi ereptum. Itaque quidquid ad evitandam denuntiatæ cladis acerbitatem pertinebat, nulla ex parte patria cura cessavit avertere[5]. Solitus erat juvenis

usitato. — *Admonitus ab eo.* Inhumato corpore puta, quod sepulturæ mandaverat. Et *admonitus* quidem *inter quietem*, sive in somno. Ante enim *salutarem inter quietem admonitionem* dixit. Et sic *monere* eleganter dicuntur oracula et vates futura canentes. Cæterum sicuti maximum scelus commisisse putabatur, qui corpus inhumatum jacens invenisset, neque sepulturæ mandasset; ita contra is, qui corpori inhumato hoc humanitatis officium præstaret, ut illud sepeliret, magnis a diis præmiis affici credebatur. Confer. Horat. I, 28.

1. *Elegantissimo carmine.* Inter hæc duo verba veteres edd. habent *eum;* sed pronomen commode potest abesse, unde Torren. expunxit.

2. *In desertis.... arenis.* Pigh. aliique omittunt *et ignotis*, sed auctior scriptura veterr. edd. inest. *Ignota arena* est ap. Virgil. Æn. V, 871, ubi Serv. *peregrinam, ante non visam* interpretatur.

3. *Quæ Crœsi.... confecit.* Vide Herodot. I, c. 34, 46; Exc. Diod. Sic. Vales. p. 238.

4. *Ingenti. Ingenii,* quod placet Gronov., legendum censerem, si per codd. liceret: ingenium enim commode opponeretur corpori.

5. *Avertere.* Sollicitavit hunc locum Vorst. vocem *avertere* illi non satis congruere ratus ob præcedentia *quidquid ad.... pertinebat.* Sed sensus est: Crœsus omne, quod pertinebat ad evitandam acerbitatem, qua mors arcessi potest, mature studuit avertere. Sic bellum pertinebat ad arcessendam mortem, ergo bello abstinere jussit. Periculum erat a gladio cinctis comitibus; ergo et illos avertit ab eo, et propius accedere vetuit. Quem quidem verum loci sensum Vorstius, opinor, non intellexerat.

Digitized by Google

ad bella gerenda mitti; domi retentus est: habebat armamentarium omnis generis telorum copia refertum; id quoque amoveri jussit: gladio cinctis comitibus utebatur; vetiti sunt propius accedere. Necessitas tamen aditum luctui dedit. Quum enim ingentis magnitudinis aper, Olympi montis culta, crebra cum agrestium strage[1] vastaret, inusitatoque malo regium imploratum esset auxilium: filius a patre extorsit, ut ad eum opprimendum mitteretur; eo quidem facilius, quod non dentis, sed ferri sævitia in metu reponebatur[2]. Verum dum acri studio interficiendi suem omnes sunt intenti, pertinax casus imminentis violentiæ, lanceam petendæ feræ gratia missam, in eum detorsit: et quidem eam potissimum dexteram nefariæ cædis crimine voluit adspergi, cui tutela filii a patre mandata erat, quamque Crœsus imprudentis homicidii sanguine violatam, hospitales[3] veritus Deos, supplicem sacrificio expiaverat.

5. Nec Cyrus[4] quidem superior invictæ fatorum necessitatis parvulum argumentum est; cujus ortus ad imperium totius Asiæ spectantis, maternus avus Astyages, duos prænuntios somnii[5] frustra discutere tentavit: Mandanen

1. *Crebra... strage.* Pigh. et alii ediderunt *et crebra* etc. Verum vocula *et* nihil hic opus. Neque exstat in MSS. codicibus, immo nec in typis expressis.

2. *Reponebatur.* Paulo argutius *sævitiam ferri reponere in metu* dixit auctor pro *sævitiam ferri metuendam existimare*, sive *metuere ferri sævitiam.*

3. *Hospitales.* Magna fuisse *hospitii* jura, inter ipsos feros barbaros sæpe sanctissime culta, constat. Notum est, etiam inter Americanos patrem, quemdam militem hispanicum, qui ejus filium interemerat, tuitum esse et fugam illius sublevasse. Sic veritus item Crœsus, ne, si Adrastum (qui Adrasti aut Midæ filius, occiso fratre, a patre pulsus, a Crœso exceptus erat hospitio) læderet, θεοὺς ξενίους haberet adversarios; expiavit quidem Adrastum (a Græcis mos illuc translatus fertur, ut homicidæ a regibus expiarentur): sed funus Atyos prosequutus Adrastus in ejus sepulcro se ipsum, quasi inferias, occidit.

4. *Cyrus.* De quo vid. Herod. I, 107, 108, 109; Ælian. Var. Hist. XII, 42.

5. *Duos... somnii.* Ed. vet. Kappii *dils : prænuntios somnii.* Cod. Bongars. *duo prænuntia somnia.* Sed more optimor. auctt. videtur Valer. duos

Digitized by Google

filiam suam, quod in quiete viderat urinam ejus omnes Asiaticas gentes inundasse[1], non Medorum excellentissimo, ne in ejus familiam regni decus transferretur, sed Persarum modicæ fortunæ viro collocando, natumque Cyrum exponi jubendo: quia similiter quietis temporibus existimaverat, genitali parte Mandanes enatam vitem eo usque crevisse, donec cunctas dominationis suæ partes inumbraret. Sed frustratus est se ipse, nepotis felicitatem, cælestium judicio destinatam, humanis consiliis impedire conando.

6. Intra privatum autem habitum Dionysio syracusano adhuc se continente, Himeræ[2] quædam non obscuri generis femina, inter quietem opinione sua cælum conscendit, atque ibidem Deorum omnium lustratis sedibus, animadvertit prævalentem virum flavi coloris, lentiginosi oris, ferreis catenis vinctum, Jovis solio pedibusque subjectum: interrogatoque juvene, quo considerandi cæli duce fuerat usa, *quisnam esset?* audiit, *illum Siciliæ atque Italiæ dirum esse fatum, solutumque viriculis, multis urbibus exitio futurum:* quod somnium postero die sermone vulgavit. Postquam deinde Dionysium inimica Syracusarum

genitivos uni junxisse nomini. Et quidni *prænuntius somnii* accipi possit pro *somnium prænuntium?* præsertim quum addatur alter genitivus rei, quam somnium prænuntiarit.

1. *Urinam ejus..... inundasse.* Honestius Justinus, vitem in omnem Asiam se extendentem Astyagen vidisse, refert. Sed Valerius conjungit utrumque. Cæterum *urinam* legendum puto, præeuntibus codd. Brand.—Maritum Mandanes, *Cambysen*, nonnulli præfectum s. satrapam (viceregem) Persiæ habent, quod munus forsan sequiori post pactum nuptiale fœdus tempore, et jam diu nato Cyro, ei demandatum est.

2. *Himeræ. Himeræa* (scil. femina) legere suadet Vorstius, quum Timesias, cujus verba interpretatus est Valerius, habeat: γυναῖκα τινὰ τὸ γένος Ἱμεραῖαν ἰδεῖν ὄναρ. — *Himeram*, urbem Siciliæ, a Messeniis conditam, Carthaginiensium clade notam, ab Hannibale dirutam; quis nesciat? *Dionysius prior* regnavit annis XLII. Conf. Times. Histor. VI, ap. Muret. Var. Lect. XIV, 15. — *Lentiginosi oris*, i. e. facie lentigine seu maculis subrufis obsita. Unde etiam intelligitur, quid sit illud Terentii Heaut. V, 5, 18, *virgo sparso ore;* nimirum quæ os lentigine sparsum habet.

Digitized by Google

libertati, capitibusque insontium infesta fortuna cælesti custodia[1] liberatum, velut fulmen aliquod, otio ac tranquillitati injecit: Himeræorum mœnia inter effusam ad officium et ad spectaculum ejus turbam intrantem ut adspexit, *hunc esse, quem in quiete viderat*, vociferata est. Id cognitum tyranno, curam tollendæ[2] mulieris dedit.

7. Tutioris[3] somnii mater ejusdem Dionysii: quæ quum eum conceptum utero haberet, parere visa est Satyriscum[4]: consultoque prodigiorum interprete, clarissimum ac potentissimum Graii sanguinis futurum, certo cum eventu cognovit[5].

8. At Carthaginiensium dux Hamilcar[6], quum obsideret

1. *Custodia.* Quia nimirum in somnio pedibus Jovis subjectus jacebat vinctus; exire non poterat in perniciem, nisi solutus, i. e. quando dii permitterent. — Cuncta hæc somnia, superstitionem olentia, ex consueto rerum ordine evenire potuisse, facile demonstrari crediderim.

2. *Tollendæ. Interficiendæ*, quum et amicorum quemcumque, qui suspectus videretur, interimeret.

3. *Tutioris*, etc. In hoc laudandus Valerius, quod exempla sua commodo ordine et nexu tradit, nec Æliani aliorumque more summa miscet imis. — *Somnii mater.* Pighius sola cod. Camp. auctoritate motus reposuit *tutius somnium matris;* verum non crediderim tanti esse unius codicis auctoritatem, ut cæteris omnibus esset præferenda, præsertim quum mutatio ista non nisi interpretatio nostræ lectionis per se manifestæ sit.

4. *Satyriscum*, i. e. parvum Satyrum. Cuivis nota Satyrorum Faunorumque forma. De Sileno, forsan pastorum rege antiquæ Ægypti, ut ejus ævi sapiente, ejusque comitibus, multa disserunt. Satyros alii simias habuere. Plinius, aliquando unicum naturæ lusum ea forma genitum, putat, quem posteri ad res mirabiles fingendas proni, in gentem adeo auxerint. Mihi quidem magis placet, Satyros fuisse rusticos Arcades aut Italos, pellibus caprinis circa pudenda tectos, et qui, sicut Germani boum coriis interdum sic corpus involvebant, ut cornua bovis in capite hominis prostarent, sic forsan hircinis tecti pellibus capite etiam cornua gestarent: quod peregrinantibus mirabile visu abiit deinde, pariter atque Centaurorum equitatio, in fabellam de semideis ruricolis Satyris, Faunis etc.

5. *Certo .... cognovit.* Conf. Cic. de Divin. I, 20.

6. *Hamilcar.* Hamilcar s. *Amilcar*, nomen punicum (e voce *Melech*) regem denotans, quod olim sicut *Imilco* inter Tyrios, quorum *Carthago* (Kiriath chadasch seu urbs nova) colonia, in usu erat. Sic et Hercu-

Digitized by Google

Syracusas, inter somnium exaudisse vocem credidit nuntiantem, futurum, ut proximo die in ea urbe cænaret. Lætus igitur, perinde ac divinitus promissa victoria, exercitum pugnæ comparabat : in quo inter Siculos[1] et Pœnos orta dissensione, castris ejus Syracusani subita irruptione oppressis, ipsum intra mœnia sua vinctum pertraxerunt. Itaque magis spe, quam somnio, deceptus, cænavit Syracusis captivus, non, ut animo præsumpserat, victor[2].

9. Alcibiades[3] quoque miserabilem exitum suum haud fallaci nocturna imagine speculatus est. Quo enim pallio amicæ suæ dormiens opertum se viderat, eo interfectus, et insepultus jacens, contectus est.

10. Proximum somnium[4], etsi paullo est longius, propter nimiam tamen evidentiam ne omittatur impetrat. Duo familiares Arcades iter una facientes, Megaram[5] venerunt: quorum alter ad hospitem se contulit, alter in tabernam meritoriam[6] devertit. Is, qui in hospitio erat, vidit in som-

lem suum Tyrii Μελκάρτον nominarunt, seu Melicerten, quod nomen compositum videtur ex *Melech* et *Art*, honorifico per Orientem nominis additamento, e. g. in nomine Artaxerxes, Artaphernes, Artabanus etc. — *Inter somnium*, i. e. dum somniat. Dicitur ut supra *inter quietem* pro *in somno*, *in quiete*, *per quietem*. Nimirum *inter* sæpe est pro *in*. Ita *inter noctem* dicunt pro *in nocte*, *noctu*; et *inter diem* pro *in die*, *interdiu*.

1. *Siculos*. Illos *Siculos* intelligit, qui cum Carthaginiensibus socia arma conjunxerant.

2. *Itaque magis.... victor*. Conf. Cic. de Divin. I, 24.

3. *Alcibiades*. Eum, bene cupientem suo dominatui quidem, sed et Athenis, ac optime merentem de ingrata patria, divini ingenii virum, quales tamen ad salutem gentium raro tantum gignit natura, vel pueri norunt e Nepote suo. Somnium habet Cic. de Div. II, 69.

4. *Proximum somnium*. Vid. Cic. de Divin. I, 27, qui ex Chrysippo hausisse traditur.

5. *Megaram*. Hoc nomine plures innotuere urbes, præcipue: una ad sinum Saronicum, teste Plinio, colonia; altera Peloponnesi, quam hic Valerium nominare nonnullis videtur.

6. *Tabernam meritoriam*. Nonnulli codd. habent *mercatoriam*; alii, *vinariam*. Sed præstat *meritoriam* tabernam, quæ est ipsa caupona, quod, qui eam incolit, caupo mereri cupit. Et ex hoc est, cur antiquis temporibus nostra longe præferamus. Tunc longe peregrinantibus non ubi-

Digitized by Google

nis[1] comitem suum orantem, ut sibi cauponis insidiis circumvento subveniret : posse enim celeri ejus accursu[2] se imminenti periculo subtrahi. Quo viso excitatus, prosiluit, tabernamque, in qua is deversabatur, petere conatus est. Pestifero deinde fato ejus[3] humanissimum propositum tamquam supervacuum damnavit, et lectum ac somnum repetiit. Tunc idem ei saucius oblatus obsecravit, ut qui auxilium vitæ suæ ferre neglexisset, neci saltem ultionem[4] non negaret. Corpus enim suum a caupone trucidatum, tum maxime plaustro ad portam ferri stercore coopertum. Tam constantibus familiaris precibus compulsus, protinus ad portam cucurrit, et plaustrum, quod in quiete demonstratum erat, comprehendit, cauponemque ad capitale supplicium perduxit.

que cauponæ et diversoria, et illarum plurimæ perniciosæ latronum speluncæ erant; nunc fere omnibus in terris viatoribus sua est cum commoditate securitas.

1. *In somnis.* Multis codd. MSS. et vett. edd. inest *in somniis.* Male. Discrepant, ut notum, *somnus* et *somnium;* et somnium fit in somno. Porro *in somnis videre* nihil est aliud, quam *somniare* vel, quod tantumdem est, *somnium.* Si vero dicas *in somniis videre*, habet hoc tautologiam quamdam; nam quod verbo *videre* diceretur, id ipso nomine *somniis* jam involvitur.

2. *Accursu.* Duo codd. Copes. et Harl. *occursu.* Haud male, ut Kappio quidem videtur: ast, quod pace viri summi dictum sit, minus recte de nostra sententia, quoniam sermo est de comite quiescente.

3. *Ejus*, nempe *socii.* Negligenter omisit Pighius vocem, quam omnes codd. et scripti et editi habent. — *Damnavit.* Melius Cic. Divin. I, 27: « *idque visum*, inquit, *pro nihilo habendum esse duxisset.* » Cui quidem Cic. loco haud dubie originem debet lectio cod. Cauchiani, post *damnavit* inserentis : *idque visum pro nihilo ducens.* Desunt hæc verba in omnib. codd. MSS. et edd. vett. ac manifeste sapiunt glossam, quam aliquis ex Cic. ad oram notaverat, ut τὸ *supervacuum damnavit* explicaret. Certe quum Auct. dicat, ipsum *propositum succurrendi tamquam supervacuum damnasse*, sat luculenter apparet, *visum pro nihilo ipsum duxisse.* Unde facile intelligitur, Pighium inani perspicuitatis studio verba illa spuria defendisse atque in textum recepisse.

4. *Ultionem.* Quia ex Veterum superstitione insepulti et inulti « *Centum errant annos, volitantque ea* (inferorum) *flumina circum,* » ut habet Virg. Unde, *mortem insepultam minari alicui*, ap. Senec. de Tranquil. XIV.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De miraculis quæ contigere Romanis.

1. Castores visi bello latino et persico. — 2. AEsculapius serpentis specie apparens. — 3. Junonis Monetæ verba audita. — 4. Fortunæ Muliebris verba audita. — 5. Silvani verba audita bello veienti. — 6. Mars visus bello lucano. — 7. Dii Penates Alba Lavinium sponte sua regressi. — 8. C. Jul. Cæsar post mortem visus. — 9. Cn. Pompeii Magni rogus miraculose indicatus. — 10. Ap. Claudii procos. mors oraculo prædicta. — 11. Romuli lituus et statuæ incendiorum flammis intactæ. — 12. Ad sepulturam elati reviviscentes.

De miraculis quæ contigere Externis.

1. Eris Pamphylius post decimum diem reviviscens. — 2. Atheniensis quidam memoria litterarum privatus. — 3. Mulier subito casu obmutescens. — 4. AEgles Samius mutus et subito vocalis factus. — 5. Gorgias Epirota matre mortua natus. — 6. Jaso Pheræus vomica liberatus. — 7. Simonides poeta ruinæ domus exemptus. — 8. Daphidæ sophistæ mors oraculo prædicta. — 9. Philippo Macedonum regi mors prænuntiata. — 10. Alexandri Magni mors miraculose præcognita. — 11. Remigis cujusdam rarus casus. — 12. Admirandi dentes Prusiæ regis filii. — 13. Duplex ordo dentium Dripetines filiæ Mithridatis. — 14. Rarus et acutissimus visus Strabonis Lynceci. — 15. Aristomenis Messenii cor pilosum. — 16. Antipatri poetæ anniversaria febris. — 17. Polystrati et Hippoclidis philosophorum simillima vita. — 18. Miracula quædam naturæ. — 19. Serpens ad Bagradam.

DE MIRACULIS QUÆ CONTIGERE ROMANIS.

Multa etiam interdiu, et vigilantibus acciderunt, perinde ac tenebrarum somniique nube involuta : quæ, quia unde manaverint, aut qua ratione constiterint, dignoscere arduum est, merito miracula vocentur[1].

1. *Miracula vocentur.* Non prorsus male Noster describit *miracula*, quæ a somniis discernit eo, quod vigilantibus accidunt, sed quæ tamen unde manaverint, aut qua ratione constiterint, dignoscere arduum sit. Sed non tam narrat res a consueto naturæ ordine, nisi vana specie deceptorum ex opinione illud accepe-ris, recedentes, quam miracula tantum, ut ita dicam *relativa*, quod, his perlectis, nemo facile ibit inficias. Causa admirationis fuit vel in rebus ipsis, vel in spectantibus. Ex his potissimum admiratio orta : 1° quod rebus penitus discutiendis non satis dederant operæ, sed in dimidia quasi disquisitionis via a

Digitized by Google

1. Quorum e magno acervo in primis illud occurrit. Quum apud lacum Regillum[1] A. Postumius dictator, et Tusculanorum dux Mamilius Octavius magnis viribus inter se concurrerent, ac neutra acies aliquamdiu pedem referret, Castor ac Pollux romanarum partium propugnatores visi, hostiles copias penitus fuderunt.

Item bello macedonico[2] P. Vatinius, reatinæ præfecturæ vir, noctu urbem petens, existimavit duos juvenes

superstitione sunt detenti; 2° quod callidi principes, imperatores, sacerdotes ad fallendam plebem tantam consiliis suis infundere nubem calluerunt, ut paucissimis duntaxat prospectus ad veritatem pateret: quo factum, ut animi, Deorum metu aut fiducia freti, vel ducerentur, quo homines solos sequi forte noluerint, vel certum sibi eventum rerum exoptatum fingerent, eoque accenderentur ad impigre enitendum; 3° quod accurata rerum naturalium cognitione tum temporis destituti, in explicandis naturalibus φαινομένοις ubique hærerent, e. c. nescientes, quid sit aut efficiat vis electrica, magnetica, quid lumen boreale, etc.: plura igitur stupentes adspexere Majores, aut Deorum numini immediato dederunt, quæ ex consueto naturæ ordine processerant, quod in prodigiis et somniis quoque satis animadvertimus; 4° multa denique sunt mera ad decipiendos credulos commenta rerum, quæ nunquam evenere, aut quorum fides historica non satis idoneis et certis testimoniis nititur. Quot frivola figmenta et nunc inter plebem, quasi vera, perferuntur! quid mirum, si Veteres, nostra luce carentes, plura etiam credidere? Hæc confirmabuntur quoque sequentibus.

1. *Lacum Regillum*. An. U. 257. Vid. Cicero, de Nat. Deor. II; Jul. Obseq. c. 11; Dionys. VI. *Lacus Regillus* in Latio est, in agro tusculano ad Algidi nemoris ingressum. Vid. Liv. II; et Florus, I. — *Tusculanorum*. *Tusculum*, oppidum satis celebre, ultra Albanum montem ab urbe Roma versus orientem situm erat in collibus, qui cum Albanis cohærebant. A Telegono, qui Ulyssis et Circes filius fingitur, oppidum censetur conditum; unde illud Circæa mœnia appellat Horatius. Eadem autem origine Mamilius Octavius fuisse traditur. Hodie oppidum Frascati et plurimæ reliquiæ situm Tusculi demonstrant. — *Castor*, etc. Callidum inventum imperatoris sine dubio, qui juvenes eximiæ formæ et fortitudinis sic exornavit, ut divi heroes videri possent: qua in re eventus raro spem fefellit.

2. *Bello macedonico*. An. U. 585. Videnda. Plutarchus in Paullo; Cicero de Natur. Deorum, II; Lactantius, II, 8. — *Reatinæ præfecturæ vir*, i. e. præfectus Reati. Erant quædam præfecturæ, ad quas missi a prætore urbano præfecti, ut Fundi, Formiæ, Privernum, Arpinum,

Digitized by Google

excellentis formæ, albis equis residentes, obvios sibi factos nuntiare, *die, qui præterierat, Persen regem a Paullo captum.* Quod quum senatui indicasset, tamquam majestatis ejus et amplitudinis vano sermone contemptor, in carcerem conjectus [1], postquam Paulli litteris illo die Persen captum apparuit, et custodia liberatus, et insuper agro et vacatione donatus est. Castorem vero et Pollucem etiam illo tempore [2] pro imperio populi romani excubuisse, cognitum est, quo ad lacum Juturnæ, suum equorumque

Reate etc. *Reate* erat oppidum Sabinorum, cujus origo traditur vetustissima. Nam aborigines, quos dicunt a Sabinis urbe sua Lista pulsos, eo sese recepisse Dionysius, lib. I, testatur, quod ante bellum trojanum factum esse vult Cluverus. Miraculum ipsum explicari nunc ægre potest, quum omnem hominum, rerum temporisque conditionem non satis explorare possimus, quo veritatem inveniamus. Id modo observare licet, rem in unico teste niti, felici forsan conjectura de exitu belli uso, quam Diis, ut auctoritatem sibi pararet, quasi cælitus oblatam revelationem adscripsit. Senatus sibi conscius, quoties ipse plebem simili ratione deceperit, vano sermoni diffidere facile poterat; sed quum ex voto res forte cessisset, contra affectus, hominem cum donis dimisit. — *Residentes.* Sic octodecim MSS. et edd. ante Pigh., qui *insidentes* edidit. — *Præterierat.* Quidam codd. *præcesserat.* Cicero Persen illo die captum scribit. Sed intelligendus tamen dies, qui præcessit. Noctu enim dictum id Vatinio fuit.

1. *In carcerem conjectus.* Pigh. in textum immisit *est;* codices MSS. omittunt, nec requiritur. Cæterum, quod ad rem ipsam attinet, sic quoque Athenis animadvertebatur aliquando in homines λογοποιοὺς, ut exemplo illius, qui primus per urbem diffuderat cladis siculæ nuntium, docet Casaub. ad Theoph. Charact. p. 215. — *Persen.* Perseus, postremus Macedoniæ regum, tuendæ regiæ dignitati impar, apud Pydnam victus et captus a Paullo Æmilio, finem dedit regno Macedonico. — *Vacatione;* scil. a rebus bellicis et muneribus publicis.

2. *Illo tempore.* An. U. 257. — *Lacum Juturnæ.* Servius ad Æn. XII, 142, sic describit: « *Juturna* fons est in Italia saluberrimus juxta Numicum fluvium. De hoc fonte Romam ad omnia sacrificia aqua adferri consueverat. » Alii accuratius sic eum depingunt: « Ex Albani montis radicibus et, ut vulgo creditur, ex Albano lacu, subterraneis meatibus sub ipsa via Appia tanta aquarum vi, sonorus, ut ait Virgilius, amnis erumpit, ut statim a capite molas circumvolvat, unde non longe progressus, in lacum diffunditur haud perinde magnum; ex lacu deinde ad Tiberim defertur, cui miscetur V° milliari ab Ostia,

Digitized by Google

sudorem abluere visi sunt; junctaque fonti ædes eorum[1] nullius hominum manu reserata patuit.

2. Sed ut cæterorum quoque Deorum propensum huic urbi numen exsequamur, triennio[2] continuo vexata pestilentia civitas nostra, quum finem tanto, et tam diuturno malo, neque divina misericordia, neque humano auxilio, imponi videret: cura sacerdotum, inspectis Sibyllinis libris[3], animadvertit, non aliter pristinam recuperari salubritatem posse, quam si ab Epidauro Æsculapius esset

septimo vero ab urbe Roma.» Hodie eum vocant *Lago di Turno* s. *Volturno*. Sed fuit et alter lacus Juturnæ in ipsa urbe in foro, teste Dionys., qui hic intelligi videtur, quum addatur de æde Castoris, quæ in foro fuit.

1. *Eorum*. Sc. *Castoris* et *Pollucis*, licet prioris solius plerumque dicatur. E nonnullorum testimoniis videre est, eam ædem prope Vestæ ædem forumque romanum ita sitam fuisse, ut a fronte hoc, illam vero a tergo habuerit. Hanc Castoris ædem A. Postumius dict. bello latino voverat, ejus filius, duumvir creatus, dedicavit. Subinde pluribus simulacris et statuis exornata est. Confer. Lactant. II, 7; Pacat. Panegyr. 39; Minuc. Fel. c. 7.

2. *Triennio*. An. U. 461. Liv. X et XI. Quum olim naturæ vires in sanandis corporibus humanis parum essent investigatæ, fameque vexati interdum rebus nocivis vescerentur, quum in sepeliendis cadaveribus non satis provisum sit (Ælian. XII, 27), quum in tot bellis fere continuis sæpius aër pestiferis putridisque particulis inficeretur; mirum non est, toties diuturnam *pestem* inter Italos etiam grassatam. Quod et in Gallia prioribus seculis locum habuit, quam sæpe pestis magna incolarum parte orbavit. Nec minima est ævi nostri felicitas, quod et huic malo occurrere rectius didicimus. — *Tanto, et .... malo*. Torrenius et Kappius ex fide plurium codicum legunt: *tanti et tam diuturni mali;* sed manifeste lectio nostra præferenda est ob subsequens verbum *imponi*. In nonnullis MSS. perperam *diutini* pro *diutino* seu *diuturno* legitur.

3. *Sibyllinis libris*. Senatus id quoque ad fallendam plebem fraus. Libris, quos nemo forsan viderat unquam, aut qui, si aderant, flammis Gallorum absumpti erant, collectis deinde hinc inde vaticiniis et pro lubitu fictis, quasi oraculis usi sunt. His post *decemviros quindecimviri* sunt præpositi, ut fata Romanorum inde discerent et enarrarent, seu potius populo traderent, quæ senatus consiliis essent consentanea. Sed in his quoque humanis fraudibus quædam tamen providentiæ div. sapientia est conspicua, quum iis alioquin immorigerorum regerentur animi. Vulcano denique traditi *libri Sibyllini* a Stilicone, imperante Honorio. — *Epidauro*.

Digitized by Google

arcessitus. Itaque eo legatis missis, unicam fatalis remedii opem auctoritate sua, quæ jam in terris erat amplissima, impetraturam se credidit; neque eam opinio decepit; pari namque studio petitum ac promissum est præsidium, e vestigioque Epidaurii Romanorum legatos in templum Æsculapii, quod ab eorum urbe quinque millibus passuum distat, perductos, ut quidquid inde salubre patriæ laturos se existimassent, pro suo jure sumerent, benignissime invitaverunt. Quorum tam promptam indulgentiam, numen ipsius Dei subsequutum, verba mortalium cælesti obsequio comprobavit. Siquidem is anguis[1], quem Epidaurii raro, sed nunquam sine magno ipsorum bono visum, in modum Æsculapii venerati fuerunt, per urbis celeberrimas partes mitibus oculis et leni tractu labi cœpit, triduoque inter religiosam omnium admirationem conspectus, haud du-

Hujus nominis tres occurrunt urbes: 1, in Dalmatiæ regione, hodie Ragusana; 2, in Peloponneso, regione Argia ad Saronicum sinum: hanc Æsculapii delubro celebrem faciunt, quod extra urbem fuit; 3, in eodem Peloponneso in Laconica ad sinum Argolicum, quæ prius ob portus (λιμὴν) opportunitatem Limera fuit cognominata. — *Æsculapius*. Vid. Augustin. de C. D. III. *Æsculapius* ab Epidauro Romam abiit, ut peritissimus medicus in urbe nobilissima artem gloriosius exerceret. Si Apollo fuit Horus et Æsculapius ejus filius, Ægyptium eum vocare licet.

1. *Is anguis*. Ut mihi videtur, mansuefactus, pastu allectus, facile sequi potuit. Animadvertimus etiam, non solis signis hieroglyphicis, sed et animalibus quibusdam Ægyptios repræsentasse et sub eorum specie veneratos esse celebres suos viros. Quis Apim taurum non meminerit? *Anguis* autem prudentis medici, qui etiam res noxias partim avertere, partim in salubritatem convertere callet, signum commode fieri potuit. Hoc autem a colonis Ægyptiis in Peloponnesum videtur delatum, unde in reliquam transiit Græciam. Præterea symbola Æsculapii sic a nonnullis explicantur: serpentem addiderunt illi, quia sagacissimum et vigilantissimum sit animal, vigilansque prudentia ad firmandam ægroti valetudinem maximi sit momenti. Ob vigilantiam quoque gallinæ forsan illi immolabantur. Canes adhibebantur templo, quia ille canis uberibus nutritus fertur. Bacillum gerit nodosum, quod difficultatem indigitat artis medicæ. Laurea coronatur, quod ea arbor plurima præbuit remedia. —*Leni tractu*. Leidd. tres, *levi tractu*; duo alii, *levi tactu*. Recte vero *tractu*,

Digitized by Google

biam præ se appetitæ clarioris sedis alacritatem ferens, ad triremem Romanam perrexit: paventibusque inusitato spectaculo nautis, eo conscendit, ubi Q. Ogulnii[1] legati tabernaculum erat, inque multiplicem orbem per summam quietem est convolutus. Tum legati, perinde atque exoptatæ rei compotes, expleta gratiarum actione[2], cultuque anguis a peritis accepto, læti inde solverunt: ac prosperam emensi navigationem postquam Antium appulerunt, anguis, qui ubique in navigio remanserat, prolapsus in vestibulo ædis Æsculapii[3], myrto frequentibus ramis diffusæ supereminentem excelsæ magnitudinis palmam circumdedit: perque tres dies positis, quibus[4] vesci solebat, non sine magno metu legatorum, ne inde in triremem reverti nollet, antiensis templi hospitio usus, urbi se nostræ advehendum restituit, atque in ripam Tiberis egressis legatis, in insulam, ubi templum dicatum est, transnavit:

quod proprium de serpente. Conf. Ovid. Met. XV, 725; Virg. Æn. XI, 154. — *Haud dubiam.....ferens.* Anguis leniter se movens atque alacritatem præ se ferens ostendit, *se appetere sedem clariorem*, i. e. se Romam præferre Epidauro.

1. *Q. Ogulnii.* De vero hujus legati nomine non satis constat, quum codd. admodum varient, ut in nominibus propriis sæpe fit: Modo *Q. Ogulini, Ugolini et Ogolini*, modo *Teogulini* et *Q. Burgoni* scriptum reperitur.

2. *Gratiarum actione.* Conf. Ovid. Metam. XV, 622, 695. — *Cultuque.... accepto.* A *peritis* scilicet *cultus ejus:* id quod diserte addi nihil attinebat.

3. *Æsculapii.* Notandum, quod Ovid. Metam. XV, 721 dicit, *Apollinis* templum ipsum adiisse. — *Myrto.... diffusæ.* Admodum eleganter. Ita et Cic. de Orat. I: *Diffusa ramis patulis platanus;* ac Plin. XII, 51: *Ipsa se semper ferens* (ficus) *vastis diffunditur ramis.*

4. *Positis, quibus*, scil. cibis. — *Advehendum.* Sic Torren. rescripsit, quum in plerisque edd. disjuncte legeretur *ad vehendum.* — *In insulam.* Supra pontem Palatinum hæc *insula tiberina* erat sita, cujus hæc origo perhibetur: Pulso Tarquinio, quantum in campo tiberino fuerat frumenti, auferri senatus nemini permisit, verum ut exsecrabile, jaciendum in flumen esse, decrevit. Quod quum æstivis caloribus esset solito humilius, paleæ fundo adhærentes limumque fluctibus advectum excipientes, hanc insulam paullatim effecere. Opera deinde hominum factum esse opinatur Livius, ut ejus area firma esset, etiam ad Deorum templa sustinendum.

Digitized by Google

adventuque suo tempestatem, cui remedio quæsitus erat, dispulit.

3. Nec minus voluntarius Junonis in urbem nostram transitus[1]. Captis a Furio Camillo Veiis[2], milites jussu imperatoris simulacrum Junonis Monetæ, quod ibi præcipua religione cultum erat, in urbem tralaturi, sede sua movere conabantur. Quorum ab uno per jocum interrogata Dea, *an Romam migrare vellet*, *Velle se*[3] respondit. Hac voce audita, lusus in admirationem versus est. Jamque non simulacrum, sed ipsam cælo Junonem petitam, portare se credentes, læti in ea parte montis[4] Aventini, in qua nunc templum ejus cernimus, collocaverunt.

4. Fortunæ etiam Muliebris[5] simulacrum, quod est via

Insulæ, ob Æsculapii signum navi advectum, non modo navis figura data est, verum memoriæ ejus causa, navis etiam ex lapide Thasio excisa, in ejusdem insulæ puppi collocata fuit, et in altera ejus parte (seu prora) serpentis simulacrum. Longitudo ejus stadiis paulo minus duobus patebat, latitudo passibus L. Ædem Æsculapii hac in insula eam ob causam constitutam volunt, quod fluxu et motu aquarum aer fiat salubrior. — *Templum.* Quo conveniebant ægroti, valetudinis prosperæ restituendæ causa. — *Transnavit.* Alii, *transnatavit;* alii, *tranavit:* perinde est.

1. *Nec minus..... transitus.* An. U. 357. Liv. V, 22; Lactant. II, 7.

2. *Veiis.* De qua urbe, decennali obsidione a Camillo capta, leguntur plurima apud Livium. — *Junonis Monetæ.* Seu *Reginæ.* Camillus ædem illi dedicavit. Moneta dicta est a *monendo.* In glossario Philoxeni est: Moneta μνημοσύνη. Livius Andronicus *Musarum matrem* etiam Monetam dicit, quoniam in artibus præcipue tenaci memoria sit opus. De Junone autem Cic. I, de Divin.: « etiam scriptum est, inquit, quum terræ motus factus esset, ut sue plena procuratio fieret, vocem ab æde Junonis ex arce exstitisse: quocirca Junonem illam appellatam *Monetam.* »

3. *Velle se.* Quæ vox, nisi ficta, facile a sacerdote ex adytis edi poterat, ut reverentiam præsentis Deæ incuterent credulis. Interim ipse Livius rem fabulosam judicat.

4. *Montis Aventini.* Ab Aventino Albanorum rege dictus, qui in eo colle bello exstinctus et sepultus fuerat. Mons Aventinus ab Anco rege, crescente civium numero, urbi additus, celeber fuit Tatii et Aventini regum sepulcris. Dictus etiam *Remurius* a Remo, a Murciæ Socordiæ sacello *Murcius*, a Dianæ templo *collis Dianæ.* In eodem Caci spelunca fuerat.

5. *Fortunæ etiam Muliebris.* Templum accepit eo loco, ubi Volum-

Digitized by Google

Latina ad quartum milliarium, eo tempore cum æde sua consecratum, quo Coriolanum ab excidio urbis maternæ preces repulerunt, non semel, sed bis loquutum constitit, prius his verbis : *Rite me matronæ vidistis, riteque dedicastis*[1].

5. Valerio autem Poplicola[2] cos. qui post exactos reges bellum cum Veientibus et Hetruscis gessit, illis Tarquinio pristinum imperium restituere, Romanis nuper partam libertatem retinere cupientibus : Hetruscis et Tarquinio in cornu dextero prælio superioribus, tantus terror subito

nia et Veturia Coriolano occurrerant, quia hæ in liberanda patria fortunatiores fuerant, viris, legatis et armatis. Fuit autem ædes quoque *Fortunæ Virilis* ad ripam Tiberis, juxta pontem Palatinum. Deinde variæ aliæ fuere ædes Fortunæ consecratæ, velut *Forti Fortunæ*, cui plura dedicata erant templa, ex. c. in hortis Cæsaris dictat. Hæc culta est præcipue ab operariis, rusticis et servis. Columella in libro de Hortis :

Allia cum cepis, cereale papaver anetho
Jungite, dumque virent, nexos deferte maniplis,
Et celebres Fortis Fortunæ dicite laudes.

Fuit ædes *Fortunæ Mammosæ*, dictæ ab ubertate, vel a forma statuæ, in capite viæ Novæ, a qua item vicus nomen accepit. *Fortunæ Plebeiæ* templum a Tullo conditum, de quo Ovid. Fast. VI :

Plebs colit hanc, quia, qui posuit, de plebe fuisse
Fertur, et ex humili sceptra tulisse loco.

Denique exstitere ædes *Fortunæ Tarpeiæ* et *Reducis*, posterior ob reditum ducum a Domitiano condita. — *Via Latina*. Per Ferentum, Frusinum, Fabrateriam oppida ad Casinum extensa, ubi Appiæ se consociat. — *Loquutum*. Si cavum fuit simulacrum, per illud non difficilius a sacerdote vox edi poterat, quam verba ex automatis. Factum dicitur an. U. 265. Cf. Liv. II. 40; Dionys. VIII, 10.

1. *Prius his ..... dedicastis*. Loco *prius*, alii habent *pæne*; verum non ambigua verba, sed ipsa Fortunæ referre vult Valerius; nec *prius* sufficit, quum non sequatur *posterius*. Quapropter recte conjecisse Lipsius videtur, e codice Sambuci legens : *prius his verbis : .... deinde : rite*, etc. Lectionem vulgatam : *Rite me matronæ vidistis, riteque dedicastis*, defendunt Torrenius et Kapp. Quod leve est; pro *dedicastis* nonnulli habent *dicastis*.

2. *Valerio autem Poplicola*. Cos. cum Bruto, plebis fautor : qui quum in suspicionem venisset affectati regni, quod ædes suas in summo Veliæ ædificaret, jussit omnem ædificandi materiam in planum deferri, et in valle construxit sibi ædificium. Vide Livium, II, 7; Dionys. V, 13. Factum an. U. 244. — *Tarquinio..... restituere*. In aliquot codd. *Tarquinios in pristinum*, etc. quod Perizon. magis placet, nulla tamen addita ratione.

Digitized by Google

incessit, ut non solum victores ipsi profugerent, sed etiam pavoris sui consortes secum Veientes traherent. Cui rei pro argumento miraculum[1] adjicitur, ingens repente vox e proxima silva Arsia, quæ ore Silvani in hunc pæne modum missa traditur : *Uno plus*[2] *Hetrusci cadent* : *Romanus exercitus victor abibit*. Miram dicti fidem digesta numero cadavera exhibuere.

6. Quid? Martis[3] auxilium, quo victoriam Romanorum adjuvit, nonne memoria celebrandum est? Quum Bruttii atque Lucani odio incitatissimo, maximisque viribus Thurinæ urbis peterent exitium, ac præcipuo studio incolumitatem ejus C. Fabricius Luscinus cos. protegeret, resque ancipiti eventu, collatis unum in locum utriusque partis copiis, gereretur : non audentibus Romanis prælium ingredi[4], eximiæ magnitudinis juvenis primum eos hortari ad capessendam fortitudinem cœpit. Deinde, ubi tardiores

1. *Miraculum ..... vox*. Hæc in plerisque vett. edd. distinguuntur hoc modo : *Miraculum adjicitur ingens. Repente vox*, etc. Male, quum non *miraculum*, sed *vox* ingens dicatur. Hinc enim intelligi debet præcipue fidem factam fuisse, *vocem Silvani ore esse missam*. Et sic quoque Livius *ex silva Arsia ingentem editam vocem* scribit. — *Silva Arsia*. Ibi primi libertatis Romanorum hostes cæsi sunt in prælio, quo Brutus et Aruns se invicem occiderunt, quo facto Poplicola postridie primus quadrigis in urbem vectus triumphavit. Vide Dionysium, V, et Plut. in Poplicola. De *Arsia* consule etiam Cluverum. — *Silvani*. Fictus Deus silvarum pecorisque; forsan olim regulus fuit inter eos, qui silvosa loca incolerent. Hac de causa Æneæ posterorum plures etiam *Silvii* vocati videntur. Silvano Romæ templum sub Viminali dedicatum fuit.

2. *Uno plus*. Subaudi : *quam Romani*. *Plus* positum adverbialiter pro plures, prout etiam Terentius loquitur : plus quingentos colaphos etc. Sensus est : Hetruscos in acie cæsos unius hominis numero superaturos esse Romanos.

3. *Quid? Martis*. An. Urb. 471. Glareanus hac de historia dubitat, quod ejus mentionem non injiciat Livius. Sed refert eam Ammianus Marcell. XXIV. *Thurios* autem in Martis tutela fuisse, numi eorum antiquissimi declarant. *Thurium*, oppidum Calabriæ ad sinum Tarentinum, Crotonæ conterminum, a Græcis conditum, Romanis fœdere ac societate conjunctum.

4. *Prælium ingredi*. Pighius edidit *prælio congredi*, contra omnium scriptt. et edd. consensum. *Ingredi rem* frequenter pro *incipere* dicitur.

Digitized by Google

animadvertit, arreptis scalis per mediam hostium aciem ad contraria castra evasit: et admotis, vallum[1] conscendit. Inde voce ingenti clamitans, factum victoriæ gradum, et nostros ad aliena castra capienda, et Lucanos Bruttiosque ad sua defendenda, illuc traxit[2], ubi conserti dubio certamine terebantur. Sed idem impulsu armorum suorum prostratos hostes jugulandos capiendosque Romanis tradidit. Viginti enim millia cæsa, quinque millia cum Statio Statilio, duce utriusque gentis, et tribus atque viginti militaribus signis capta sunt. Postero die quum consul inter honorandos, quorum strenua opera fuerat usus, vallarem coronam[3] ei se servare dixisset, a quo castra erant oppressa, nec inveniretur, qui id præmium peteret: cognitum pariter atque creditum est, Martem patrem tunc populo suo adfuisse. Inter cætera hujusce rei manifesta[4] indicia, galea quoque duabus distincta pinnis, qua cæleste

1. *Vallum.* Erat aggestus e cespite et terra, interpositis stipitibus ramisque arborum, ne terra facile delaberetur, et acutis sudibus ad labrum interius fossæ, quibus quasi murus factus est. Invenitur interdum genere masculino: «triplicem vallum» Hirtius bell. Alexand. II; et alibi.

2. *Illuc traxit.* Scil. Romanos ad castra Bruttiorum et Lucanorum; ubi quum manum consererent, primum magna utrimque fiebat strages, ut dubium esset, uter victoriam esset reportaturus. Tandem idem eximiæ magnitudinis juvenis, etc. — *Conserti ..... terebantur.* In multis codd. MSS. *conferti .... terrebantur.* Sed nihil mutandum.

3. *Vallarem coronam. Vallari* s. *castrensi corona* donatus ille, qui primus vallum conscenderat et castra hostium intraverat. Valli speciem præ se tulit, aptatis apicibus in formam sudium. Cæterum de variis coronis militaribus, triumphali, civica, obsidionali, murali, navali, quisque tyronum commode consulere poterit hos, qui antiquitates romanas sigillatim explicuerunt.

4. *Manifesta.* Pigh. legit *manifestæ;* quam insulse, nemo non videt. — *Galea.* A casside differt, quam e metallo fabricabant. Galea erat e corio confectus pileus, ne gravis esset. Galeæ simplici sæpe lupi pellem aut aliud hujusmodi imponebant, quod integumentum pariter et insigne strenue sese gerentium fuit. Vid. Vegetium, II, 16, qui signiferis solis hoc tribuit. Alii aliis rebus in galea usi, vel ad horrorem hostibus incutiendum, vel ad ornatum. Adhibitæ etiam pinnæ sive cristæ. Turno Virgilius triplicem crinitam jubam et Chimæram in

Digitized by Google

caput tectum fuerat, argumentum præbuit; itaque Fabricii edicto, supplicatio[1] Marti est habita, et a laureatis militibus magna cum animorum lætitia oblati auxilii testimonium ei est redditum.

7. Referam nunc, quod suo seculo cognitum manavit ad posteros, Penates[2] Deos Æneam Troja advectos Lavinii collocasse, inde ab Ascanio[3] filio ejus Albam, quam ipse condiderat, tralatos, pristinum sacrarium repetisse, et quia id humana manu factum existimari poterat, relatos Albam, voluntatem suam altero transitu significasse; nec me præ-

galea addit. Sæpe hiantium animalium figuræ galeis superimpositæ. Unde mos ad nos forte translatus, quo equitum insignibus galeis insidentes leones, lupi, cervi, canes, aquilæ, vultures, dracones, etc. imponuntur. Hujus moris originem Stewechius ab Ægyptiis deducit e Diodoro Siculo, l. II, ubi reges caput leonis, tauri aut draconis, tamquam principatus insigne, in capite gestasse scribit. Ab Ægyptiis hoc ad Græcos; ab his ad Romanos transiit. Cæterum non erit, qui non miretur Veterum credulitatem, qui e galea pinnata Martem adesse putabant, quod *manifesta indicia* nominat Valerius.

1. *Supplicatio*. Aut fuit festum ante rem agendam ad exorandos deos, aut re feliciter peracta ad gratias agendas institutum.

2. *Penates*. Seu Penetrales, quia *penetralia* deorum Penatium sacraria erant. Romæ etiam fuit templum haud procul a foro distans, ubi positæ erant trojanorum deorum imagines, cum inscriptione *Denates*. Prisci enim, quum *p* nondum esset in usu, hujus litteræ vim per *d* expressisse Dionysio Halicarnassensi visi sunt. Erant autem duo juvenes sedentes cum hastis, quas seorsim alter ab altero tenebat, artificii antiqui opus. Hæc simulacra Æneam aiunt ex adytis trojanis abstulisse et secum in Italiam portasse.

3. *Ascanio*. De Ascanii nomine, num idem sit ac nomen *Ascenas*, quod Græci in Ἄξενος corruperint, legatur Bochartus in Phaleg. VIII, 9. — *Albam*. De Alba Longa, diu olim præcipua Italiæ urbe, quæ Thysius e Dionysio Halic. I, 66 excerpsit, addere placet: « Trigesimo anno post conditum Lavinium, aliam urbem, ex oraculo Æneæ reddito, Ascanius, filius ejus, condidit, translatisque Laviniensibus et aliis Latinis, quibus commodius habitare placebat, in recens conditam urbem, Albæ ei nomen imposuit: additumque est cognomen ex situs forma, ut discerneretur ab altera ejusdem nominis; ac veluti composito vocabulo Alba Longa appellatur. Nunc ea deserta jacet; quippe, regnante Romæ Tullo Hostilio, quum videretur cum sua colonia de principatu contendere, solo æquata est a Romanis, cives-

Digitized by Google

terit, de motu et voce[1] Deorum immortalium, humanis oculis auribusque percepto, quam in ancipiti opinione æstimatio versetur; sed quia non nova dicuntur, sed tradita repetuntur, fidem auctores vindicent[2]: nostrum sit, inclytis litterarum monumentis consecrata, perinde ac vana, non refugisse.

8. Facta mentione urbis[3], e qua primordia civitas nostra traxit, Divus Julius fausta proles ejus se nobis offert: quem C. Cassius, nunquam sine præfatione publici parricidii[4] nominandus, quum acie philippensi ardentissimo animo perstaret, vidit humano habitu augustiorem, purpureo paludamento amictum, minaci vultu, et concitato equo in se impetum facientem: quo adspectu perterritus, tergum hosti dedit, voce illa prius emissa, *Quid enim amplius agas, si occidisse parum est*[5]? Non occideras tu qui-

que ejus urbs Roma, destructa nutrice, intra sua mœnia recepit. Verum hæc evenerunt postea. Olim quum ædificaretur, juxta montem et lacum exstructa est, ita uti medium inter utrumque obtineret spatium, ac veluti muri utrimque urbem tuebantur, ne facile caperetur. Etenim mons admodum altus cum primis natura munitus est; et lacus profundus ac magnus: ex quo reductis claustris in subjectos campos aqua dispensatur, quantum ejus volunt incolæ. »

1. *De motu et voce.* Nonnulli codices MSS. immutant ordinem sic: *de voce et motu;* quod sane melius convenit cum *percepto*, quod sequitur. Sed et alibi non observat hoc Valerius. Vid. lib. IX, c. 2, ext. 5; et conf. Perizon. ad Sanct. Minerv. IV, 8. — *Æstimatio.* Vett. editt. cum permultis codd. MSS. *existimatio*, quod Torrenio arrisit.

2. *Vindicent.* Ita omnino legendum, non *vendicent*, ut Aldus et complures alii ediderunt. Non deest ipsis aliquot MSS. auctoritas; sed recte explosa est jam inde littera *e*, ostensumque a doctis, semper *vindicare* scribendum esse.

3. *Facta mentione urbis.* An. U. 711. Nexus hic fere est: Quandoquidem Albæ mentionem fecimus, recte nunc de Julio Cæsare dicamus, qui ab Iulo Albæ conditore fuit oriundus: cujus numen Cassio minatum est, quum in campis philippicis cum Augusto dimicaret.

4. *Parricidii.* Dicit parricidium *publicum*, quoniam intererat reipublicæ, Cæsarem amplius superesse. Nota, Valerium nunquam non in percussores Cæsaris invehere. Conf. infra lib. III, c. 1, n. 3.

5. *Si occidisse parum est.* Sensus: Si non satis est, me Cæsarem occidisse; isque infestus mihi adhuc

Digitized by Google

dem, Cassi, Cæsarem; neque enim exstingui ulla vi[1] divinitas potest; sed mortali adhuc corpore utentem violando, meruisti ut tam infestum haberes deum.

9. Jam quod L. Lentulus[2] litus prænavigans, in quo Cn. Pompeii Magni, perfidia Ptolemæi regis interempti, corpus conscissæ scaphæ lignis comburebatur, ignarus casus ejus, quum ipsi Fortunæ erubescendum rogum vidisset, commilitonibus dixit: *Quid scimus, an hac flamma Cn. Pompeius cremetur?* divinitus missæ vocis miraculum[3] est.

10. Atque hoc quidem hominis, et casu[4]: illud[5] tantum non ore ipsius Apollinis editum, quo Appii interitum veridica Pythicæ vaticinationis fides præcurrit. Is bello civili, quo se Cn. Pompeius a Cæsaris concordia pestifero sibi, nec reipublicæ utili consilio abruperat, eventum gravissimi motus[6] explorare cupiens; viribus imperii (namque

est. Cassius scil. se ipse alloquitur.

1. *Vi.* Deest in multis codd., sed duce Torren. in textum recepimus. Sæpe hanc voculam culpa librariorum excidisse, dudum monuit Gud. ad Phæd. I, 11.

2. *L. Lentulus.* A. U. 705. Plut. in Pomp. et Cæsar de B. C. III. — *Ptolemæi.* Per Achillam, præfectum regium, et L. Septimium interemerat Pompeium. — *Magnus* dictus est *Pompeius*, devicto Mithridate et Tigrane. — *Conscissæ.* Passim *concisæ*, ut sit a *concido.* A vitiosa forte pronuntiatione ortum. — *Erubescendum.* Quia tanto viro tam vilis rogus exstructus erat.

3. *Divinitus .... miraculum.* Minime forsan miraculum, sed prudentis viri vox et conjectura, qui Ægyptiorum perfidiam probe norat.

4. *Et casu.* Recte apponitur consentientibus plerisque codd.

5. *Illud.* Contigit An. U. 704. — *Pythicæ vaticinationis. Pytho* mulier a deo impleta, ut ait Justinus, et responsa dare consulentibus coacta. Magnum sane fuisse suspicor mysterium *oraculorum*, scilic. sacerdotum, ubique cohærentium et omnes ubique res sciscitantium, ut cunctis, quæ forte ab oraculum petituris Delphos perferri possent, recte ponderatis, futura cum quadam veri similitudine conjiciendi sibi esset facultas. Loca oraculorum centrum quasi fuisse videntur, quo omnes omnibus ex locis relationes rerum novarum, a sacerdotibus ubique collectarum confluerent. Quum *Appius Claudius* proconsul Achaiam provinciam administraret, essentque in ejus provincia Delphi, ut imperii sui cogere antistitem oraculi delphici potuit.

6. *Gravissimi motus.* Belli civilis,

Digitized by Google

Achaiæ præerat) antistitem delphicæ cortinæ[1] in intimam sacri specus partem descendere coegit: unde ut certæ consulentibus sortes[2] petuntur, ita nimius divini spiritus haustus reddentibus pestifer existit: igitur impulsu concepti numinis instincta virgo, horrendo sono vocis, Appio inter obscuras verborum ambages fata cecinit. *Nihil enim*[3], inquit, *ad te hoc, Romane, bellum: Euboeæ cœla*[4] *obtinebis*. At is ratus, consiliis se Apollinis moneri, ne illi discrimini interesset, in eam regionem secessit, quæ inter Rhamnunta[5] nobilem Attici soli partem, Carystumque chalcidico freto vicinam interjacens, cœlæ Euboeæ nomen obtinet, ubi ante pharsalicum certamen morbo consumptus, prædictum a Deo locum sepultura possedit.

Cæsarem inter et Pompeium gesti.

1. *Delphicæ cortinæ. Cortina* locus dicitur, ubi responsa dabantur, quod illic cortina intenderetur et repleretur numine. Nam quum puella antrum esset ingressa, continuo instinctu numinis est afflata. Sunt etiam, qui putent, cortinam esse tripodem Apollinis Pythonis, draconis corio tectum. — *Intimam ..... partem*. De qua legatur Just. l. XXIV. — *Descendere coegit*. Nolentem, quoniam vehementi afflatu debilior facta, aut si malis, halitu specus mephitico in insaniam quasi aut enthusiasmum delata erat. Sic enim a pluribus oraculi ortus narratur: fuisse pastores, qui reperta spelunca inconsideratius introspicientes, e vaporibus stupore sint correpti et deinde insana loquuti. Adhuc Mahometani insaniam divinum quid opinantur, aut dæmonum vim!

2. *Sortes*. Responsa.

3. *Nihil enim*. Ita tredecim MSS. omnesque edd. vett.; nec est, quod expellatur conjunctio *enim*. Torren. tamen in textum recipere noluit.

4. *Euboeæ cœla*. Græce legitur Εὐβοίας τὰ κοῖλα scil. τὴν κοίλην, in Strab. et Ptolemæo, quod explicat Livius XXX, 43, sic: « est *sinus Euboicus*, quem *Cœla* vocant, suspectus nautis. » Apollo cecinerat, Euboea cœla obtenturum Appium. Dicit igitur Valerius, prædictum a deo locum possedisse Appium, sed ita, ut in eo loco sepeliretur.

5. *Rhamnunta*. Fuit quidem vicus in Attica, ubi templum Amphiarai et Phidiacæ Nemesis; sed h. l. intelligere maluerim civitatem Euboeæ, ubi Fortuna colebatur, unde et hæc interdum *Rhamnusia* Dea est appellata. — *Carystumque*. Civitas Euboeæ, qua in regione nascebantur marmor et lapis asbestus. Hunc Strabo X, ita describit: « Ad *Carystum* lapis nascitur, quem pectunt, nent, texunt; inde mantilia conficiuntur egregie contexta: ea ubi sordescunt, in flammam projecta, non secus emundantur, quam

Digitized by Google

11. Possunt et illa miraculorum loco poni[1]: Quod deusto sacrario Saliorum, nihil in eo præter lituum[2] Romuli integrum repertum est; quod Ser. Tullii statua[3], quum ædes Fortunæ deflagrasset, inviolata permansit; quod Q. Claudiæ statua[4] in vestibulo templi Matris deum posita, bis ea æde incendio consumpta, prius P. Nasica Scipione et L. Bestia, item M. Servilio et L. Lamia consulibus, in sua basi[5] flammis intacta stetit.

12. Aliquid admirationis[6] civitati nostræ Acilii etiam

si maculas elueris. » — *Chalcidico. Chalcis* erat Eubœæ metropolis. — *Sepultura.* Alii, *sepulturæ*; minus bene.

1. *Possunt et..... poni.* Confer. Cic. Divin. I, 7; de Harusp. resp. 13; Obseq. 99; Tacitus Annal. IV, 64. Pro verbo *poni* alii habent *haberi*, alii *referri*, alii *accipi*, alii *mirari*; alii tandem delent verbum penitus, Valerium concise loquutum dicentes. Torren. conjicit: *Possunt et illa miraculi locum* vel *miraculorum locum.* En sedulitatem interpretum, nodum in scirpo quærentium: neque enim ulla inest loco difficultas, imo sensus apertissimus, quod sc. *et illa miraculorum loco* (id est tamquam miracula) *poni* (id est proponi, adduci vel considerari) *queant.*

2. *Lituum.* Lituus erat baculus, a summo leviter inflexus, quo usi sunt augures ad designanda in aere spatia, quæ *templa* sunt appellata, unde *extemplo*, adverbium augurale. Inter hæc templa capiebantur auguria. Lituo Romulus regiones direxit, tunc quum urbem conderet. — Idemque lituus, quum omnia, Roma a Gallis capta, circum conflagrassent, ejectis a Camillo hostibus, illæsus ignibus inventus dicitur, sicut apud nos libri quidam, ornamenta, aut aliæ res sacræ ex ignibus superstites, hinc inde habentur. Deinde *lituus* etiam, ut refert Festus, est genus buccinæ incurvæ, qua qui cecinerit *liticen* dicitur.

3. *Ser. Tullii statua.* Servii Tullii, qui primus censum habuit, statua ideo in Fortunæ templo collocata, quod imperium rom. amplum et fortunatum reddidit.

4. *Q. Claudiæ statua.* Virginis vestalis, quæ Matrem deum Pessinunte advectam excepit, atque in urbem induxit. Vid. Liv. XXIX, 14.

5. *In sua basi. Basis* ἀπὸ τοῦ βαίνειν, *insisti*, a Philandro ad Vitruvii lib. IV, c. 1, sic duplici sensu describitur: « Basin hic, non tam pro solo, i. e. planta et infima scapi parte (ut paullo post), quam pro conflexu et apophygi, unde crassitudo columnæ judicanda est, accipit: alioqui significat ipsam spiram, quæ scapo supponitur. » Hinc pedamentum fulcimentumque cujuslibet rei item basis nuncupatur.

6. *Aliquid admirationis*, etc. An. Urb. 720. Et apud Veteres plurima occurrunt exempla, quosdam diuturnum animi deliquium passos

Digitized by Google

Aviolæ rogus attulit, qui et a medicis, et a domesticis mortuus creditus, quum aliquamdiu humi jacuisset, elatus, postquam ignis corpus ejus corripuit, *vivere se* proclamavit, auxiliumque pædagogi sui, nam is solus ibi remanserat, invocavit. Sed jam flammis circumdatus, fato subtrahi non potuit.

L. quoque Lamiæ[1], prætorio viro, æque vocem fuisse super rogum constitit.

DE MIRACULIS QUÆ CONTIGERE EXTERNIS.

1. Quæ minus admirabilia, Eris Pamphylii[2] casus fa-

præmaturis rogi ignibus vivos esse combusto, sicut recentiori ævo plurimi, quos mortuos putarunt, vivi adhuc tumulo sunt subfossi. Plin. l.VII, c. 52. « Aviola, inquit, consularis in rogo revixit, et quoniam subveniri non poterat, prævalente flamma, vivus est crematus. Similis causa in L. Lamia, prætorio viro traditur; nam C. Ælium Tuberonem prætura functum, a rogo relatum, Messala Rufus et plerique tradunt. » Sed rariora hæc funesta exempla fuisse apud Romanos, exinde constat, quod octavo demum die corpora ignibus tradebantur. — Antiquissimis temporibus et Romanorum exanimata corpora ignibus intemerata sepulcro condita, deinde ab anno inde 253, præcipue principum, cremata sunt; sequiori ævo Romani tamen ad priorem sepeliendi morem rediere. — *Acilii..... rogus. Pyram* pro dignitate et honoribus, quibus in vita functus erat, et prout amplissimos magistratus et imperia quisque gesserat, modo majorem, modo minorem exstruxere. Fuit lege XII tabul. cautum, ne de lignis politis exstrueretur : donec per funerum ministros, qui pollinctores dicti sunt, corpus igne supposito cremabatur. In pyra exstruenda id servabatur, ut præter arida ligna, papyrum quoque, quo facilius cremarentur, nonnunquam crocum et vinum affatim apponerent. — *Pædagogi.* Quum cadaver ad rogum usque, quibus commodum ire exsequias, prosequuti essent, cæteri discedebant : unus modo, quem *pædagogum* vocasse videntur, donec cadaver flammis consumptum esset, remanebat.

1. *Lamiæ.* Æliorum alii erant Pæti, alii Tuberones, Ligures, Cati et Lamiæ. Lamiæ dicti a *Lamo*, Formiarum tyranno. Vid. Horat. carm. III, 17. Ælia familia non fuit patricia, quoniam ex ea plures fuere tribuni plebis : et quoniam, quum consulum alter e plebe, alter e patriciis crearetur, Ælii semper patriciis oppositi fuerunt, usque ad annum 581, quo duo primum e plebe coss. sunt creati, C. Papilius et P. Ælius. — *Constitit.* Conf. Plin. VII, c. 52.

2. *Eris Pamphylii.* Longe maxi-

Digitized by Google

cit : « quem Plato[1] scribit, inter eos, qui in acie ceciderant, decem diebus jacuisse, biduoque postquam inde sublatus esset, impositum rogo revixisse, ac mira quædam tempore mortis visa narrasse. »

2. Et quoniam ad externa transgressi sumus, quidam Athenis vir eruditissimus, quum ictum lapidis capite excepisset, cætera omnia tenacissima memoria retinens, litterarum tantummodo, quibus præcipue inservierat, oblitus est[2]. Dirum malignumque vulnus in animo percussi, quasi de industria scrutatis sensibus, in eum potissimum[3], quo maxime lætabatur, acerbitate nocendi erupit; singularem doctrinam hominis pleno invidiæ funere efferendo. Cui si talibus studiis perfrui fas non erat, utilius aliquanto fuit, ad illa aditum non impetrasse, quam jam percepta eorum dulcedine caruisse.

3. Miserabilior tamen[4] sequentis casus narratio : Nausi-

mus MSS. numerus habet *Pamphyli;* pro *Eris* passim legitur *Phertis*, *Pheretis*, *Pheretris*, *Pheretri*, unde Oliver. faciebat *Pheræi*, quasi de Græco aliquo ageretur. Sed recte jam Theoph. emendavit *Eris*.

1. *Plato*, de republic. X et Macrobius in somnio Scipionis. — *Biduoque* ..... *revixisse*. Ultraject. prim. *biduoque post inde sublatus, quum esset rogo impositus, revixisse*. Quod non adeo spernendum videtur. — *Tempore mortis visa*. An quid videre aut cogitare potuerit, sensibus privatus et mortis simili mentis alienatione oppressus, facile conjicere poterimus. Id vero hac in re magis est, quod miremur, Valerium, judicio non destitutum, hæc atque similia in miraculis numerare, neque explicare conari.

2. *Oblitus est*. Quid fragilius *memoria?* Plin. H. N. VII, 24, narrat : « alius ægrotus servorum etiam, sui vero nominis oblitus est Messala Corvinus orator. » Cujus rei plura etiam recentiora exstant exempla, quosdam, cerebro morbis aut alio casu violato, res sibi notissimas esse oblitos. Quod quum ex humani corporis structura, ejusque cum anima nexu explicari queat, miraculum non est.

3. *In eum potissimum*. Vett. edd. addunt *locum*, quod non habetur in MSS. et superfluum otiosumque est vocabulum, in duobus Torren. codicibus ad oram notatum. Valer. de sensibus loquitur, indeque *sensum* subintelligi debere, manifestum est. Recte igitur Torren. sic explicat : *vulnus, quasi de industria scrutatis sensibus, in eum* (sensum) *potissimum acerbitate nocendi erupit, quo maxime lætabatur*, videlicet : *litterarum*.

4. *Miserabilior tamen*. Pigh. et alii

Digitized by Google

menis enim atheniensis uxor, quum filii ac filiæ suæ stupro intervenisset, inopinati monstri perculsa[1] conspectu, et in præsens tempus ad indignandum, et in posterum ad loquendum obmutuit; illi nefarium concubitum voluntaria morte pensarunt: hoc modo fortuna sæviens huic vocem, iis vitam ademit, illi propitia donat[2].

4. Ægles[3] samius, athleta mutus, quum ei victoriæ, quam adeptus erat, titulus et præmium eriperetur, indignatione accensus, vocalis evasit.

5. Gorgiæ quoque epirotæ, fortis et clari viri[4] origo:

ediderunt *mirabilior*. Minus recte. Miserabile enim fuerat, Atheniensem illum omni litterarum scientia et dulcedine spoliatum fuisse: miserabilius hoc, matrem ad fortuitum hunc conspectum plane obmutuisse. — *Sequentis casus narratio*. Quid subitus terror, quid lætitia, aut aliæ vehementes animi perturbationes possint, plura testantur exempla, inter miracula tamen, nisi a rerum naturalium ignaris, non referenda. Sed ejusmodi casibus repentinis præsentiam Divi suam declarare putabantur. Hoc exemplum porro docet, quantum abominati sint Veteres incestum.

1. *Perculsa*. Septem MSS. *percussa*. Semper fere fluctuant MSS. inter hæc duo. Torren. fovet nostram lectionem, utpote quod ex sententia eruditorum optime hujus mulieris consternationi conveniat *perculsa;* quum *percussa* diceretur in leviore affectu. Græv. ad Cic. pro Dejot. cap. 6, et Bentlei. ad Horat. Epod. XI, 2.

2. *Huic vocem.... donat*. Id est, alii cuidam fortuna propitia vocem, ut filio Crœsi, et vitam, ut ex morte reviviscentibus, donat, quum alteris illis aut vocem, aut vitam ademerit. Videsis tamen, quæ Torrenius et Kappius ad hunc locum monuere.

3. *Ægles*. De quo leg. Gellius, l. V, c. 9. — *Samius*. Samos insula est in Icario mari e regione Ioniæ sita, quæ Junoni olim fuit sacra; et Samos thracica, maris Ægei, Thraciæ opposita; tertia maris Ionii insula est prope Zacynthum. — *Athleta*. Athletarum nomine Pollux gymnicos omnes intelligi voluit, qui sunt: παλαισταί, δρομεῖς, πυκταί, δισκοβόλοι et ἁλτικοί. Vide Plauti Bacchid. III, 3. Aristoteles Rhetoric. I, ita definit: « Quæ corporis virtus attributa est certaminibus, constat magnitudine, robore, celeritate. Qui jactare certo modo crura, porroque movere potest, cursor est, quippe celeritate valens. Qui tum premere, tum continere, is est luctator; qui percutiendo pellere, pugil; qui horum utroque modo, pancratio idoneus; qui ad hæc cuncta aptus, quinquertio. » — *Vocalis*. Qui voce uti potest.

4. *Viri*. Mutandum in *mira* cum Vorstio censuerim, ne locus sit

Digitized by Google

qui in funere matris suæ utero elapsus, inopinato vagitu suo lectum ferentes consistere coegit, novumque spectaculum patriæ præbuit, tantum non ex ipso genitricis rogo lucem et cunas assequutus[1]: eodem enim momento temporis, altera jam fato functa parit; alter ante elatus, quam natus est.

6. Divinæ fortunæ vulnus[2] Pheræo Jasoni quidam exitii ejus cupidus intulit; nam quum inter insidias gladio eum percussisset, vomicam[3], quæ a nullo medicorum sanari potuerat, ita rupit, ut hominem pestifero malo liberaret.

7. Æque Diis immortalibus acceptus Simonides[4], cujus salus ab imminenti exitio defensa, ruinæ quoque subtracta

mancus. Kappius conjicit, verba *fortis et clari viri origo* construenda esse cum *novum spectaculum præbuit*, quum conjunctio *que* in voce *novum* a librariis ob præcedens *coegit* addita sit ac deleri debeat. Quæ quidem conjectura viri doctissimi an sit probabilis, peritiores viderint.

1. *Tantum non..... assequutus.* Ex ipso fere matris rogo lucem et cunas adeptus est *Gorgias.*—Clarus orator, sed qui ex tempore plerumque de re qualibet dicens, pristinam illam eximiam Græcorum eloquentiam deformavit. — Quod parum abfuit, quin et ipse una cum matre rogo imponeretur atque ita periret; matris loculum seu feretrum habuit pro primis cunis.

2. *Divinæ fortunæ vulnus*, id est, felix et ab ipsis Diis profectum vulnus. *Jason* ille Pherarum in Thessalia fuit tyrannus. Vide Diod. Sic. XV, et XVI; Nepos XIII, 4. Is et *Alexandri*, pluriumque thessalorum tyrannorum, a quibus Thessalos liberare studuit Pelopidas, mentionem facit.

3. *Vomicam.* Vomica dicitur ulcus latens, a vomendo, quia ruptum evomit saniem. Secundum Nonium Marcellum vomica locus est concavus et vetustate ambesus; secundum alios genus apostematis, per quod emittuntur viscera.—*Ut hominem... liberaret.* Vid. Cicero, de Nat. deor. III, 28; Plin. VII, 50.

4. *Simonides.* Cf. Cic. de Orat. II, 86; Quintil. XI, 2, 11.— *Exitio.* In codd. MSS. aliquot *officio* legitur. Quod quid sibi velit, non liquet. *Exitium* appellat auctor imminens illud naufragium, de quo supra lib. I, c. 7, ext. 3, egit; id quod verba subsequentia, *quam nec mare, nec terra sæviens*, evincunt. Nonnulli *naufragio* legunt. Sed id est a curiosa et male feriata manu.— *Ruinæ quoque.* Lipsius legendum censet *ruinæque*, ac si de solo ruinæ exitio sermo sit. Minus bene. Intelligit auctor duo diversa, dicitque, *ante ab imminenti exitio salutem ejus defensam* (scil. in mari), *nunc ruinæ quoque subtractam.* Patet id ex fine hujus exempli.

Digitized by Google

est : cænanti enim apud Scopam[1] in Cranone, quod est in Thessalia oppidum, nuntiatum est, *duos juvenes ad januam venisse, magnopere rogantes, ut ad eos continuo prodiret :* ad quos egressus, neminem reperit ibi[2]. Cæterum eo momento temporis triclinium[3], in quo Scopas epulabatur, collapsum, et ipsum et omnes convivas oppressit. Quid hac felicitate locupletius, quam nec mare, nec terra sæviens, exstinguere valuit?

8. Non invitus huic subnecto Daphidam[4], ne quis ignoret, quantum interfuerit, cecinisse deorum laudes, et numen obtrectasse: hic quum ejus studii esset, cujus professores *sophistæ*[5] vocantur, ineptæ et mordacis opinationis, Apollinem Delphis irridendi causa consuluit, *An equum invenire posset?* quum omnino nullum habuisset[6] : cujus ex oraculo reddita vox est, *inventurum equum, sed ut ea perturbatus*[7] *periret.* Inde quum jocabundus, quasi de-

1. *Scopam.* Plinius ait fuisse sculptorem e marmore, ejusque opera recenset. — Non a ratione alienum erit arbitrari, de insidiis Scopæ structis inimicis, qui forsan cænaculi ruinam jam præparaverint, certiores factos quosdam juvenes, *Simonidem* avocasse : unde facile etiam intelligi potest, cur statim nuntii aufugerint. — *Cranone.* Crano Thessaliæ urbs in campis pharsalicis.

2. *Ibi.* Vox otiosa, quæ a nonnullis codd. MSS. abest.

3. *Triclinium.* Quod *triclinium* h. l. nominat Valerius, Cicero de Orat. 2, *conclave*, Solinus *convivii locum* appellat.

4. *Daphidam.* Daphidas grammaticus fuit, mendacii Homerum accusans, quod bello trojano interfuisse Athenienses scripsit. Vid. Suidas, et Strabo, XIV; Cicero de Fato, c. 3.

5. *Sophistæ.* Sophista sensu honestiore philosophus est. Audi Suidam : « τὸ παλαιὸν σοφιστὴς ὁ σοφὸς ἐκαλεῖτο. » Sic Homerus et Hesiodus sophistæ dicti. Sed quum in perversum studium abiissent, Cic. Quæst. acad. IV, sic eos describit : Sophistæ sunt, qui ostentationis aut quæstus causa philosophantur. — *Opinationis.* Opinatio h. l. *sermo*, sicut *opinari* interdum pro *loqui;* e. c. Suetonius de Cæsare prædicat : « Servum gravissime de se opinantem, non ultra, quam compedibus, coercuit. » Pro *opinationis* in nonnullis codd. per compendium scribitur *opois*, itemque *opiois;* alii habent *opinionis.*

6. *Quum... habuisset.* Sic sive affirmaret, sive negaret oraculum, rideri poterat; sed ex ejusmodi dolis facile ambiguis verbis se expediebat Pythia.

7. *Perturbatus.* Passim *proturbatus.*

Digitized by Google

lusa sacrarum sortium fide, reverteretur, incidit in regem Attalum, sæpenumero a se contumeliosis dictis absentem lacessitum; ejusque jussu[1], saxo, cui nomen erat *Equi*, præcipitatus, ad deos usque cavillandos dementis animi justa supplicia pependit.

9. Eodem oraculo Macedonum rex Philippus[2] admonitus, *ut a quadrigæ violentia salutem suam custodiret, toto regno disjungi currus* jussit, eumque locum, qui in Bœotia *Quadriga* vocatur, semper vitavit, nec tamen denuntiatum periculi genus effugit; nam Pausanias[3] in capulo gladii, quo eum occidit, quadrigam habuit cælatam.

10. Quæ tam pertinax necessitas in patre et filio[4] Alexandro consimilis apparuit: siquidem Calanus[5] indus sua

Quum mox dicat, eum præcipitatum fuisse saxo, cui nomen erat Equi, melius huc quadrare videtur *proturbatus*, quod sæpius in *perturbatus* mutatum fuit. Vide Drakenb. ad Sil. IX, 447; Cuper. Obss. II, 6.

1. *Ejusque jussu.* Forsan et impulsoribus sacerdotibus, ut oraculo saltem per verborum lusum satisfieret. — Montem alii non Ἵππον, sed Θώραχα vocant. Ita nominatim Strabo, XIV, qui montem hunc non *Equum*, sed *Thoracem* dictum fuisse scribit. Sed cum Nostro congruunt Suidas et Hesych. nec non Cic. l. c. Conatur Vossius ad Pomp. Melam l. I, c. 17, Strabonem cum cæteris conciliare, conjiciendo, aliquam partem *Thoracis* montis nominatam fuisse *Equi saxum*. — *Cavillandos. Cavillari* alludere videtur ad σοφίζειν, quod est: *fallacibus et captiosis quæstionibus illudere*.

2. *Rex Philippus.* Vid. Ælian. III, 45; Justin. IX; Cic. de Fato, c. 3. — *Quadriga.* Nomen græcum fuit Ἅρμα.

3. *Pausanias.* Iste quis fuerit, quibusque de causis Philippum interfecerit, Justinus, IX, 6, et alii docent. — *Quadrigam.* Ciceronis locum ipsius causa adscribere lubet: *Aut Philippus hasce in capulo quadrigulas vitare monebatur.* Otiosum et supervacuum videtur illud *hasce.* Proin quæsitum est, an rectius legeretur *hastæ.* — *Cælatam. Cælata opera* dicuntur aurea vel argentea, in quibus signa eminentia expressa sunt, quæ solo cælo fieri, non torno possunt. Quintilianus tamen, III, 31, sculpturam a cælatura materia tantum distinguit. Cælator dicitur auri, argenti, æris etc.; sculptor ligni, eboris, marmoris, vitri. Scalptura contra de iis dicitur, quæ ad signandum cavantur.

4. *In patre et filio.* Multæ edd. veter. cum quatuor MSS. *in patre, in filio*, quod Torren. præfert. Cf. Cic. de Divin. I, 23; Ælian. II, 41, 56.

5. *Calanus.* Inter gymnosophistas erat, qui summum bonum in voluptate ponebant: ita quum ætate

Digitized by Google

sponte se ardenti rogo superjacturus, interpellatus ab eo, *ecquid aut mandaret, aut dicere vellet? Brevi te*, inquit, *videbo*: nec id sine causa, quia voluntarium ejus e vita excessum rapida mors Alexandri subsequuta est.

11. Regios interitus magnitudine miraculi remigis casus æquat: quem in hexere[1] Tyriorum sentinam haurientem, quum e navi fluctus abjecisset, altero latere repercussum, fluctus contrarius in navem retulit; itaque miseri simul ac felicis complorationi permixta fuit gratulatio.

12. Quid illa[2]? nonne ludibria naturæ in corporibus humanis fuisse credenda sunt? tolerabilia quidem, quia sævitia caruerunt; cæterum et ipsa miraculis adnumeranda: nam et Prusiæ, regis Bithyniæ[3], filius eodem nomine, quo pater, pro superiori ordine dentium unum os æqualiter

provectus, dolores quosdam perferre recusaret, in rogum se ipse injecit. Cic. de Div. I, Tusc. qu. II. — *Ecquid.* Coler. monet, cod. Dan. habere *si quid*, idque præferendum esse, quum ipse Cic. l. c. scripserit: *Quumque eum Alexander rogaret, si quid vellet.* Verum Ciceronis illud discrepat. Neque enim *si* positum hic est pro *an* per græcismum, sed plane conditionalis est ea vocula, quemadmodum apparet ex eo quod sequitur: *ut diceret.* Scilicet rogavit Alexand. ut, si quid vellet, diceret. Torren. teste aliquot MSS. habent *et quid*, item octo *quid;* cæteri *ecquid*, quod omnino rectum videtur.

1. *Hexere. Trieres, penteres, hexeres, hepteres* dicuntur naves a remorum ordinibus s. numero. Vide Liv. XXXVII. *Regia classis septem et triginta majoris formæ navium erat, in quibus tres hepteres et quatuor hexeres habebat.* Sunt autem *hexeres*, quæ *sextuplices;* et *hepteres*, quæ *septuplices* remorum ordines habuere. Sed quænam est causa, quod non et *seremes* et *septiremes* dixerint, ut *biremes, triremes, quadriremes, quinqueremes?* Quod forsan factum, quod hexeres et hepteres magis apud Græcos quam apud Romanos in usu essent. Cæterum *in hexere* Pighius ex MSS. edidit, quem alii sequuti sunt, non obstante maxima varietate librorum, de qua Torrenium adeas. — *Tyriorum. Tyrus*, aut a *petra*, in qua condita, aut a primo gentis conditore nominata. Quod hic narratur, miraculum vocari minime meretur.

2. *Quid illa?* Scil. quæ jam commemoraturus sum.

3. *Bithyniæ.* Olim *Bebrycia, Mygdoniaque*, deinde a rege Bithyno *Bithynia* dicta, Asiæ minoris regio, adversa Thraciæ. Vide Valer. Flacc. IV. — *Unum os æqualiter* etc. De quo Solinus I, 64: *Quidam vice dentium continui ossis armantur soliditate, qualem habuit Bithynorum rex Prusias.* Cf. Plin. VII, 16.

Digitized by Google

extentum habuit, nec ad speciem deforme, neque ad usum ulla ex parte incommodum.

13. Mithridatis[1] vero regis filia Dripetine, Laodice regina nata, duplici ordine dentium deformi admodum, comes fugæ patris, a Pompeio devicti, fuit.

14. Ne illius[2] quidem parvæ admirationis oculi, quem constat tam certa acie luminum usum esse ut, a Lilybæo, portu Carthaginiensium egredientes classes intueretur.

15. Oculis ejus admirabilius Aristomenis messenii[3] cor; quod Athenienses ob eximiam calliditatem exsectum, pilis refertum invenerunt : quum eum aliquoties captum, et astutia elapsum, cepissent.

16. At poeta Antipater sidonius[4], omnibus annis uno tantummodo die, quo genitus erat, febri implicabatur,

1. *Mithridatis.* Qui per longam annorum seriem Romanorum, præcipue Syllæ, Luculli et Pompeii virtutem exercuit, immo interdum fatigavit. — *Deformi.* Pigh. edidit *deformisc*, ontra consensum scriptor. et editor. codd. Haud dubie *ordo*, minime *femina* dicitur deformis, ut in superiori exemplo : *os æqualiter extentum, nec ad speciem deforme.*

2. *Ne illius.* Qui a Plinio aliisque *Strabo Siculus* nominatur, et cum Lynceo comparatur. Omnem sane movet admirationem visus, spatio XL milliar. tam distincte cernens. Vide Ælianum, XI, 13; Plin. H. Nat. l.VII, c. 37. Magis etiam miremur, tam longe prospectantem etiam in propinquo subtilissima vidisse. Cicero enim tradit : Iliadem eum omnem ita subtiliter in membranis scripsisse, ut testa nucis clauderetur. — *Lilybæo. Lilybæum, Pachynum, Pelorum* tria sunt Trinacriæ promontoria.

3. *Aristomenis messenii. Messene*, Peloponnesi civitas, tribus bellis attrita, donec ab Epaminonda restitueretur. *Aristomenes* Messeniorum dux erat, trecentosque Lacedæmonios occidit. Bis captus evasit. Sed tertium capto, Lacedæmonii pectus dissecuere, inque eo cor hirsutum reperere. Vid. Pausanias in Messeniacis. Plin. XI, 37. Primum bellum messen. gestum anno urbis cond. 3241 - 3261; secundum ab an. 3299 - 3313, in quo inclaruit Aristomenes; tertium ab an. 3515 - 3525. — Error Valerii est, quum Athenienses nominat : non enim cum his, sed cum Lacedæmoniis pugnavit Aristomenes. Vide Plutarchum in vita Romuli. Qui *cor* habuerint *pilosum*, fortes habitos, docet pluribus exemplis Muretus, Var. lect. XII, 10.

4. *Antipater sidonius.* Quem etiam *tyrium* vocant. Stoicus fuit philosophus, et simul poeta promptissimus. Athenis mortuus est. Cic. de Offic. II, de Orat. III; Plin. VII, 51.

Digitized by Google

quumque ad ultimam ætatem pervenisset, natali suo certo illo circuitu morbi consumptus est.

17. Hoc loco apte referantur Polystratus[1] et Hippoclides philosophi, eodem die nati, ejusdem præceptoris Epicuri sectam sequuti, patrimonii etiam possidendi, alendæque scholæ communione conjuncti, eodemque momento temporis ultima senectute exstincti : tam æqualem fortunæ pariter atque amicitiæ societatem, quis non ipsius cælestis Concordiæ sinu genitam, nutritam, atque finitam putet?

18. Quapropter hoc potissimum fuerit, aut in liberis potentissimorum regum, aut in rege clarissimo, aut in vate ingenii florentis, aut in viris eruditissimis, aut in homine sortis ignotæ[2], ne ipsa quidem, omnis bonæ malæque materiæ fecunda artifex, rationem rerum natura reddiderit : non magis quam, quid ita[3] silvestres capreas, Cretæ genitas, tantopere dilexerit, quas sagittis confixas ad salutare auxilium herbæ dictamni, tantum non suis manibus deducit, efficitque, ut concepta ea[4], continuo et tela et vim veneni vulneribus respuant; aut in Cephalenia[5] insula, quum omnia ubique pecora haustu aquæ quotidie re-

1. *Polystratus*. Ejus meminit Laert. in Epicur. — *Epicuri*. Cujus doctrinam uberius proponunt Lucretius et Cicero de Nat. deor. I. — *Alendæque*. Non *adeundæ*. Nostrum *alendæ* codicibus nititur. Consentaneum etiam est illi, quod de patrimonii possidendi communione dixerat. Vult igitur, Polystratum et Hippoclidem fortunas in commune contulisse et inde scholam aluisse.

2. *Aut... ignotæ*. Est quodammodo ἀνακεφαλαίωσις : in liberis Mithridatis aut Prusiæ, in Aristomene, aut Antipatro, aut Polystrato et Hippoclide, aut Strabone, qui tanta præstitit oculorum acie.

3. *Quid ita*. Aliquot MSS. *qui ita*. Sed rectum est *quid ita* pro *quare tantopere*, ut sup. l. I, c. 7, n. 5. — *Capreas*. Plin. IX, 27, *cervas*, non *capreas* dicit. Cf. Ælian. I, 10; Cic. de Nat. deor. II, 4; Virg. Æn. XII, 411, et complures. — *Cretæ*. *Creta*, Jovis incunabulis et C urbibus et Labyrintho clara, nunc Candia. — *Herbæ dictamni*. De qua Virgil. Æn. XII, 411-415. Est herba, qua lacertæ se refovent, quoties cumque cum serpent. pugnam habuerint. A *Dicte*, Cretæ monte appellatam volunt.

4. *Concepta ea*. Haud dubie pro simplici *capta*, i. e. *devorata*, *gustata*. Passim *recepta*, in aliis *concerpta*.

5. *Cephalenia*. Ionii maris insula. Multi codd. *Cephalania*, *Cephalan-*

Digitized by Google

creentur, in ea pecudes majore ex parte anni ore aperto ex alto ventos recipientes, sitim suam sedare instituerit; aut quapropter Crotonæ[1] in templo Junonis Laciniæ aram ad omnes ventos immobili cinere donaverit potissimum; vel quare alteram in Macedonia[2], alteram in Caleno agro aquam proprietatem vini, qua homines inebrientur, possidere voluerit: non admiratione ista, sed memoria prosequi debemus; quum sciamus, recte ab ea plurimum licentiæ vindicari, penes quam infinitus cuncta gignendi labor consistit.

19. Quæ quia supra usitatam rationem excedentia attigimus, serpentis quoque a T. Livio[3] curiose pariter ac facunde relata fiat mentio: is enim ait, « in Africa apud Bagradam[4] flumen tantæ magnitudinis anguem fuisse, ut Atilii Reguli exercitum usu amnis prohiberet, multisque militibus ingenti ore correptis[5], compluribus caudæ volu-

nia et Cephalonia. — *Pecudes.* Subaudi *eæ*, nempe *capreæ.* — *Ex alto.* Caput in altum porrigentes, ut ventos commodius captent.

1. *Crotonæ.* Croto seu Crotona, urbs Brutiorum celeberrima, de qua Livius: Urbs Croto murum in circuitu patentem XII millia passuum habuit, ante Pyrrhi in Italiam adventum. Post vastitatem eo bello factam, vix pars dimidia habitabatur. Fortitudinem et omnium rerum affluentiam ita prædicat Theocriti scholiasta, ut in proverbium abiisse dicat, nihil esse alias urbes si Crotoni conferantur. Quantum de illa promeruerint Pythagoras ejusque uxor Theano, notum. — *Ad omnes ventos.* Ex gloss. Ara Junonis Laciniæ sub dio sita erat, teste Plinio II, 107. Cf. Liv. XXIV, 3.

2. *Macedonia.* Jac. a Cruce Bonon. legendum putat *Paphlagonia* ex Plin. et Vitruv. Sed non opus est emendatione, quum in Macedonia æque hoc fuerit miraculum, et in Paphlagonia. Respexit auctor amnem Lyncestium, de quo Plin., loc. cit. et Ovid. Metam. XV, 329. — *Caleno.* A *Calibus* dicto, quod oppidum est Campaniæ. — *Aquam..... voluerit.* Cavendum, ne in istis narrationibus temere credas Veteribus: nam quantum frivolarum rerum congessit ipse Plinius! Multa credita peregrinantibus, post reditum mira narratione auctoritatem quamdam et admirationem sibi paraturis.

3. *T. Livio.* In libro quodam deperdito. De *serpente* leg. Gell. VI, 3; Plin. VIII, 14. Anguem CXX ped. long. fuisse plures testantur. Conf. Gellius, VI, 3; Oros. IV, 8; Senec. epist. 82; Florus, II, 2.

4. *Bagradam.* Bagrada flumen præter Uticam labitur, quæ distat XXX mil. passuum a Carthagine.

5. *Ingenti ore correptis.* Id est *de-*

Digitized by Google

minibus elisis, quum telorum jactu perforari nequiret, ad ultimum balistarum tormentis undique petitam, silicum crebris et ponderosis verberibus procubuisse, omnibusque et cohortibus et legionibus ipsa Carthagine visam terribiliorem, atque etiam cruore suo gurgitibus imbutis, corporisque jacentis pestifero afflatu vicina regione polluta, romana inde submovisse castra. » Dicit etiam [1], *belluæ corium CXX pedum longum, in urbem missum.*

voratis. Loquitur auctor proprie; nam amant verbum *corripere* de serpentibus usurpare. — *Voluminibus elisis.* Ad vitandam obscuritatem Gudius cum Guyeto mallet *volumine elisis*. Sed refragantur MSS. et *volumina* maluit auct. tribuere serpenti adeo inusitatæ magnitudinis. Dixit etiam Ovid. Metam. XV, 721, *volumina* pluraliter de uno serpente. — *Balistarum. Balistis* seu *ballistis* præcipue lapides, *catapultis* trabes sunt jaculati. Formam ballistæ satis ubertim Ammianus tradidit his verbis : « Dolantur axes duo querni vel ilicei, curvanturque mediocriter, ut prominere viderentur in gibbos: hique in modum serratoriæ machinæ connectuntur, ex utroque latere patentius perforati; quos inter per cavernas funes colligantur robusti, compagem, ne dissiliat, continentes. Ab hac medietate restium stylus exsurgens obliquus, et in modum temonis jugalis erectus, ita nervorum modulis implicatur, ut altius tolli possit et inclinari; summitatique ejus unci ferrei copulantur, e quibus pendet stuppea vel ferrea funda : cui ligno fulcimentum prosternitur ingens cilicium, paleis consertum minutis, validis nexibus illigatum, et locatum super congestos cespites, vel lateritios aggeres. Nam muro saxeo hujusmodi moles imposita, disjectat q^n^icquid invenerit subter, concussione violenta, non pondere. Quum igitur ad concertationem ventum fuerit, lapide rotundo fundæ imposito, quaterni altrinsecus juvenes repagula, quibus incorporati sunt funes, explicantes retrorsus stylum penes uncinum inclinant; itaque demum sublimis astans magister, claustrum, quod totius operis continet vincula, reserat forti malleo percussum. Unde absolutus ictu volucri stylus et mollitudine offensus cilicii, saxum contorquet, quicquid incurrerit collisurum. » — Jaciebant vulgo et minoribus balistis, lapides fere centenum pondo: atque eo sensu Lucilio ipsa ballista centenaria dicitur. At majoribus graviora jaciebant, et vel talenta tria, id est pondo CCC. Igitur non solum contundebant, sed diffringebant omnia et disjiciebant. Certe ita balistarum rationem descripsit Lipsius.

1. *Dicit etiam.* Quod a nonnullis codicibus abest, ac merito displicet Lipsio, Colero aliisque. — *Pedum longum.* In quamplurimis MSS. *longum* omittitur; vett. tamen editiones nostram lectionem tuentur.

Digitized by Google

VALERII MAXIMI

FACTORUM DICTORUMQUE MEMORABILIUM

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

De matrimoniorum ritu et necessitudinum officiis.

1. Nuptiarum auspicia. — 2. Epulæ seu convivia. — 3. Matrimonia non repetentes laudatæ. — 4. Primum repudium. — 5. Matrimonialis libertas ac decor. — 6. Conjugalis concordia. — 7. Verecunda consanguinitas. — 8. Charistia. — 9. Senectus honorata. — 10. Juventus observata, exemplisque instructa.

Dives et præpotens naturæ regnum scrutatus, injiciam stilum tam nostræ urbis, quam cæterarum gentium priscis ac memorabilibus institutis : opus est enim cognosci, hujusce vitæ, quam sub optimo principe[1] felicem agimus, quænam fuerint elementa, ut eorum quoque respectus præsentibus aliquid moribus prosit.

1. Apud antiquos[2] non solum publice, sed etiam pri-

1. *Sub optimo principe. Tiberio*, cui adulatur. — *Elementa.* Principia. — *Eorum quoque respectus.* Id est, si etiam vitæ nostræ initium paulo accuratius consideramus.

2. *Apud antiquos*, etc. Numa regnum non prius suscepit, quam Deos auspiciis consuluerit. Itaque in loco edito ascendens, lituo spatia descripsit in cælo, ab oriente, ab occidente, postea a meridie, et a septemtrione prospiciens, quantum oculi ferre poterant. Partem ab oriente appellavit anticam, ab occidente posticam, a meridie dextram, a septemtrione sinistram. Deinde quum aperto capite stetisset, animo concepit, quæ auspicia, et

Digitized by Google

vatim nihil gerebatur, nisi auspicio prius sumpto : quo ex more nuptiis [1] etiam nunc auspices interponuntur : qui quamvis auspicia petere desierint, ipso tamen nomine veteris consuetudinis vestigia usurpant.

2. Feminæ cum viris cubantibus sedentes [2] cænitabant: quæ consuetudo ex hominum convictu ad divina penetravit; nam Jovis epulo ipse in lectulum, Juno et Minerva in sellas, ad cænam invitantur [3]. Quod genus severitatis ætas nostra diligentius in Capitolio, quam in suis domibus servat : videlicet [4] quia magis ad rem pertinet dearum, quam mulierum, disciplina contineri.

3. Quæ uno [5] contentæ matrimonio fuerant, corona

qua parte mitti vellet; quibus missis continuo rex creatus est, et in regnum acceptus.

1. *Nuptiis*. Erat optimi augurii in nuptialibus negotiis accipitris agithi, altero pede claudi, aspectus. Vide Plin. X, 8. Nuptiis auspices adhibebantur, quamvis sequiori ævo auspicia non amplius caperentur. Vide Cicer. de Divinat. II. Inde et proxenetæ et auspices pronubi appellantur, qui nuptiarum die, ut omnia rite fierent, curabant. Juvenal. satyr. X; Martianus Capella II, versus finem.

2. *Sedentes*. Antiquissimis temporibus etiam viri ad mensam non cubabant, sed sedebant, ut Serv. ad Virg. Æn. VII, 176, docet, qui mos a feminis aliquamdiu verecundiæ causa retentus fuit, donec etiam cum viris accubuerunt. — *Cænitabant*. Majores *prandiis* non sunt usi. Sunt, qui primum Marium prandisse velint. Sed jam diu ante Marium, Ælium Tuberonem prandentem in fictilibus refert Plinius, Hist. Nat. libr. XXXIII, quum Ætolorum legati eum consulem adirent.

3. *Ad cænam invitantur*. Gravi malo, ex. causa peste, laborantes Romani epulis s. lectisterniis Deos placare studebant. Tribus aut sex Diis Deabusque in Capitolio, quorum simulacra, et quidem Deorum in lectulis s. pulvinaribus, Dearum in sellis collocabantur, convivium apponebatur. Ea convivia septem epulones celebrabant. De quibus Liv. V, et Augustin. de Civ. Dei.

4. *Videlicet*, etc. Ironia videtur. — *Disciplina contineri*. Scil. genus severitatis, quod Vorstius certe ex superioribus repetit ad explicandam Valer. mentem. Alii melius referunt ad *Deas* et *mulieres*. Nonnulli legendum censent *disciplinam contineri*.

5. *Quæ uno*, etc. Non apud Romanos tantum, sed alibi quoque odiosæ erant *secundæ nuptiæ*. Audiamus, quibus verbis Dido fugam Æneæ ingemat lib. IV, Æneid. Vid. Hieronymi epist. X, ad Furiam; Chrysostomi homil. 2, in epist. ad Titum; et Plutarch. probl. 99.

Digitized by Google

pudicitiæ honorabantur; existimabant enim eum præcipue matronæ sincera fide incorruptum esse animum, qui post depositæ virginitatis cubile in publicum[1] egredi nesciret; multorum matrimoniorum experientiam quasi illegitimæ cujusdam intemperantiæ signum esse credentes.

4. Repudium inter uxorem et virum a condita urbe usque ad vicesimum et quingentesimum[2] annum nullum intercessit; primus autem Sp. Carvilius uxorem sterilitatis causa dimisit, qui quamquam tolerabili ratione[3] motus videbatur, reprehensione tamen non caruit, quia nec cupiditatem quidem liberorum conjugali fidei præponi debuisse arbitrabantur.

5. Sed quo matronale decus, verecundiæ munimento tutius esset, in jus vocanti matronam[4] corpus ejus attin-

1. *In publicum* Vorstius cum codd. Brand. et veteribus edd. legendum judicat, quod et mihi, tamquam lectio facilior, placuit, dum alii subobscure *pudicum* reposuere. — *Illegitimæ*. Hæc lectio plurium codd. MSS. fide nititur, eamque Pigh. et alii edidere. Vulgo *legitimæ* legitur, quam lect. vulg. Torren. et Kapp. sequuti sunt. Sane illud *legitimæ* apprime huc quadrare videtur, dum auct. bene dicere poterat, experientiam multorum matrimoniorum signum esse intemperantiæ, *sed legitimæ tamen*, quippe quæ *permissa esset legibus*. Addit etiam *quasi*, quæ vox nostram lectionem confirmat; nam ea significatur, intemperantiam illam feminarum, pluriumque matrimoniorum experientiam, *legibus permittendam non videri*.

2. *Vicesimum et quingentesimum*. Conspirat cum Valerio nostro Dionys. II, et Gellius IV, 3; Tertullianus in apolog. et de monogyn. sexcentos annos nominat, antequam primum divortium acciderit. Primus, qui uxorem suam ob sterilitatem dimisit, fuit teste Dionysio Carvilius: idque, quamvis necessario factum, tamen populus improbavit. Ipsum Ciceronem vituperarunt nonnulli, quod levibus de causis uxorem Terentiam dimisisset. Quanti vero motus exorti sint, quum Octavii sororem Antonius repudiasset, neminem latet. E Terentio tamen discimus, jam prius, quam domum quædam duceretur, remissum interdum repudium fuisse.

3. *Tolerabili ratione*. Quia scilicet uxorem *liberorum quærendorum* causa duxerat.

4. *Matronam*. « *Matrona*, ut tradit Isidorus, X, cap. ult., est, quæ jam nupsit, et dicta matrona quasi *mater nati*, vel quia jam mater fieri potest: unde et matrimonium dictum. » Iis stolas habendi jus erat, teste Festo

Digitized by Google

gere non permiserunt, ut inviolata manus alienæ tactu stola[1] relinqueretur. Vini[2] usus olim romanis feminis ignotus fuit, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur, quia proximus a Libero patre intemperantiæ gradus ad inconcessam Venerem esse consuevit: cæterum ut non tristis earum et horrida pudicitia, sed honesto comitatis genere temperata esset, indulgentibus maritis, et auro abundanti, et multa purpura usæ sunt; et quo formam suam concinniorem efficerent, summa cum diligentia capillos cinere rutilarunt[3]: nulli enim tunc subsessorum[4] alienorum matrimoniorum oculi metuebantur; sed pariter et videre sancte, et adspici[5], mutuo pudore custodiebantur.

6. Quoties vero inter virum et uxorem aliquid jurgii intercesserat, in sacellum Deæ Viriplacæ[6], quod est in Palatio, veniebant; et ibi invicem loquuti quæ voluerant,

grammatico, qui scribit quoque: « matronas a magistratibus non submoveri solitas, ne pulsari aut contrectari viderentur et ne gravidæ concuterentur. » — *Corpus .... permiserunt.* Secundum legg. XII tabb., is, qui in jus vocantem non illico sequeretur, manu injecta apprehendi ac obtorto collo in locum judicii rapi poterat. Quo conficiebatur *in jus vocatio privata*, de qua vide sis Rosini et Heineccii Opp. quibus antiquitates romanæ egregie illustrantur.

1. *Stola.* Vide Horat. Satyr. I, 2: « ad talos *stola* demissa, et circumdata palla. »

2. *Vini.* In eas, quæ *vinum* potarent, pœna capitalis erat constituta, ut si qua adulterium commisisset. Varro tradit: « Antiquæ mulieres majores natu bibebant loram aut sapam, aut defrutum, aut passum, quod myrrhinam quidam Plautum appellare putant. » Ob abstinentiam a vino *abstemiæ* vocatæ sunt. Plutarch. Quæst. rom. 6, ait, plerosque credere, morem, ut cognatos oscularentur mulieres, institutum esse, ut sic posset deprehendi, *an vinum bibissent.* Vide Dionys. I; Arnob. II; Tertull. apologet. 6.

3. *Capillos cinere rutilarunt.* Plin. XXVIII, 1. Gallorum hoc inventum, capillorum cinere et sebo *rutilandorum.*

4. *Subsessorum.* Non *subsessores.* Ipsi oculi non sunt subsessores, sed subsessorum. *Subsidere* idem, quod in insidiis latere.

5. *Videre .... adspici.* Mulieres adspiciebant adolescentes sine libidine, et ab adolescentibus sine libidine adspiciebantur.

6. *Sacellum Deæ Viriplacæ.* Sacelli hujus meminit A. Victor, regione X Romæ, dum ait: *Ædis deæ Viriplacæ in Palatio.*

Digitized by Google

contentione animorum deposita concordes revertebantur. Dea nomen hoc a placandis viris fertur assecuta : veneranda quidem, et nescio an[1] præcipuis et exquisitis sacrificiis colenda, utpote quotidianæ ac domesticæ pacis custos, in pari jugo[2] caritatis ipsa sui appellatione virorum majestati debitum a feminis reddens honorem.

7. Hujusmodi inter conjuges verecundia : quid, inter cæteras necessitudines[3] nonne apparet consentanea? nam ut minimo indicio maximam vim ejus significem, aliquamdiu nec pater cum filio pubere, nec socer cum genero lavabatur : manifestum igitur est, tantum religionis sanguini et affinitati, quantum ipsis Diis immortalibus tributum ; quia inter ista tam sancta vincula non magis[4] quam in aliquo sacrato loco nudare se, nefas esse credebatur.

8. Convivium etiam solenne majores instituerunt, idque *Charistia*[5] appellaverunt, cui præter cognatos et affines nemo interponebatur : ut, si qua inter necessarias personas[6] querela esset orta, apud sacra mensæ, et inter

1. *Nescio an.* Formula cum modestia quadam affirmans. — *Et exquisitis.* In quibusdam codd. est *sed exquisitis*, ut sit velut acuta quædam epanorthosis, innuens, non satis esse ad eam colendam *præcipua* sacrificia, nisi etiam sint *exquisita*, i. e. singulari diligentia comparata. Attamen non placuit particula *sed* novissimis editoribus.

2. *In pari jugo.* Conjunctione s. copula. — *A feminis.* Nonnulli : *ac feminis.* Male. Construatur *a feminis* cum *debitum*, ut sensus sit : *Dea Viriplaca ipso nomine suo reddit virorum majestati* (i. e. viris ipsis) *honorem a feminis debitum* (quem feminæ viris debent).

3. *Necessitudines.* Id est, cognationes et affinitates, ut sunt, v. c. tum patris et filii, tum soceri et generi.

4. *Non magis.* Sæpe in probatis scriptoribus occurrit pro *æque non*, ac neutiquam cum Ascens. legendum *non minus.* — *Nefas.* Aldus aliique habent *fas*, cui omnes codd. MSS. et edd. obstant. Non intellexere vim præcedentis *non magis.*

5. *Charistia.* A χαρίζεσθαι, *gratificari, obsequi, condonare, largiri.* — Celebratum hoc festum VIII. cal. Mart. Ovid. Fast. II. Dies totus inter cognatos dicatus conviviis : quapropter eumdem *festum epularum* dixerunt.

6. *Necessarias personas.* Supra *necessitudines* dixit. Pigh. quum in cod. Cauchii reperisset *inter necessarios*, omnino hoc pro illo reponendum putavit : quasi *necessarias personas*,

Digitized by Google

hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis tolleretur.

9. Senectuti juventus ita cumulatum et circumspectum honorem reddebat[1], tamquam majores natu adolescentium communes patres essent : quocirca juvenes, senatus die, utique aliquem ex patribus[2] conscriptis, aut propinquum, aut paternum amicum ad curiam deducebant, affixique valvis exspectabant, donec reducendi etiam officio fungerentur : qua quidem voluntaria statione[3], et corpora et animos ad publica officia impigre sustinenda roborabant, brevique processu morarum in lucem virtutum suarum verecunda laboris meditatione ipsi doctiores erant. Invitati

quod cæteri codd. MSS. itemque omnes typis expressi habent, non æque probum esset. — *Sacra mensæ.* Omnis, quæ mensis apponuntur, *sacrata* habita, quia ex his, antequam vescerentur, primitias semper Diis, quasi convivis, offerebant. Vide Synesium, ep. 57; Arnobium, II. — *Fautoribus.* Codd. MSS. septemdecim *et fautoribus*, ut mire amat Noster copularum abundantiam. Pro *fautoribus* sunt qui habeant *factoribus.* Minus bene.

1. *Senectuti.....reddebat.* Quod item apud Græcos, præcipue Lacedæmonios, nec non apud reliquas, vitiis nondum depravatas, barbaras quoque gentes, moris fuit. — *Tamquam essent.* Gell. II, 15.

2. *Juvenes.... patribus* etc. Vixisse etiam Græcorum more majori ex parte adolescentiæ cum senioribus juventutem, indicat Varro apud Nonium. Quo factum, ut adolescentium formarentur animi et bonis moribus imbuerentur, nec non, exemplis edocti et moniti, ad res publice gerendas subinde fierent idonei. — *Affixique valvis.* Hinc forte orta fabula de pueris prætextatis in senatu. Vide Gellium, I, 23; Polyb. III, 20; Macrob. Saturn. I, 6. — *Officio.* Lipsius in vet. cod. *officium* invenisse testatur. Perinde sane est, quum sæpius cum quarto casu τὸ *fungi* junctum inveniatur.

3. *Voluntaria statione*, i. e. vigiliis et excubiis, sponte susceptis. — *Brevique processu.....erant.* Crucem figit hic locus interpretibus. *Morarum* in paucissimis MSS. invenitur. Nonnulli : *processu rerum in lucem.* Quinque : *processurarum in lucem.* Porro fere omnes, *verecunda;* unus, *verecundia.* Plerique *doctiores ;* Ultraject. sec. *ductores ;* edd. quædam, *doctores.* Lips. conjicit : *Brevique processurarum in lucem virtutum verecunda et laboriosa meditatione, ipsi doctiores erant.* Torrenio proxime ad verum videtur accedere : *Brevique processurarum in lucem virtutum suarum verecunda laboris meditatione ipsi doctores erant ;* quod est : *dum ita et corpora et animos ad publica officia impigre sustinenda roborabant, se ipsi*

Digitized by Google

ad cænam diligenter quærebant, *quinam ei convivio essent interfuturi*, ne senioris adventum discubitu præcurrerent : sublataque mensa priores consurgere et abire patiebantur [1] : ex quibus apparet, cænæ quoque tempore, quam parco et quam modesto sermone his præsentibus soliti sint uti.

10. Majores natu in conviviis ad tibias [2] egregia superiorum opera carmine comprehensa pangebant, quo ad ea imitanda juventutem alacriorem redderent. Quid hoc splendidius, quid etiam utilius certamine? pubertas canis suum honorem [3] reddebat : defuncta [4] virium cursu ætas ingredientes actuosam vitam favoris nutrimentis prosequebatur. Quas Athenas, quam scholam, quæ alienigena studia huic domesticæ disciplinæ prætulerim? Inde oriebantur Camilli, Scipiones, Fabricii, Marcelli, Fabii; ac ne singula imperii nostri lumina simul percurrendo sim longior, inde, inquam, cæli clarissima pars [5] divi fulserunt Cæsares.

docebant eas virtutes, quæ parvo post tempore procederent in lucem, et omnibus conspiciendæ præberentur. Hoc autem fiebat *verecunda laboris meditatione* seu *exercitatione*, quoniam exercitatio illa deducendi reducendique patres, et quamdiu patres conscripti in curia essent, valvis adstandi, pariter postulabat animorum verecundiam et corporis laborem. Eamdem interpretationem ipsissimis Torrenii verbis dedit Kappius.

1. *Sublataque.....patiebantur.* Hæc addititia et aliena videntur Gudio, ut et quod mox sequitur *his præsentibus.* Exstant tamen in codd. MSS. si unum alterumve exceperis, et cur abesse debeant nihil causæ videmus.

2. *Tibias.* Erat *tibia* dextra seu recta, et sinistra s. obliqua. Vide Cic. Quæst. Tusc. I, 4, et Bentleii not. ad v. 202, Horat. de a. p. — *Superiorum.* Non canere tantum, sed et narrare soliti sunt. Vide Serv. ad I, Æn. « Apud veteres historiæ hoc genus fuit, ut majores natu anteacta posteris indicarent. » Quod et factitabant Hispani et Germani veteres. Vide Taciti German. — *Pangebant.* Torren. malit *pandebant*, quod frequens est poetis pro *celebrabant.* Neque tamen mutandum quidquam videtur. — *Juventutem.* Pro *juventutem* plures codd. habent *virtutem*, quod multi probant.

3. *Honorem.* In multis MSS. *decus :* idque cum Torrenio et Kapp. prætulerim.

4. *Defuncta.* Scil. officiis suis, s. viribus exhausta.

5. *Cæli clarissima pars.* Qui in

Digitized by Google

CAPUT II.

De magistratuum atque ordinum officiis et institutis.

1. Senatus Rom. fides et taciturnitas. — 2. Auctoritas magistratuum et observantia linguæ latinæ. — 3. C. Marius eloquentiam spernens. — 4. Majestas consularis. — 5. Constantia legatorum Rom. — 6. Vigilantia senatus. — 7. Diligentia tribunorum pleb. — 8. Abstinentia magistratuum. — 9. Equitum Rom. probatio et Lupercalia.

1. Adeo autem magna caritate patriæ tenebantur[1], ut arcana consilia patrum conscriptorum multis seculis nemo senator enuntiaverit. Q. Fabius Maximus tantummodo, et is ipse per imprudentiam, de tertio punico bello indicendo, quod secreto[2] in curia erat actum, P. Crasso, rus petens, domum revertenti in itinere narravit, memor eum triennio ante quæstorem factum, ignarusque nondum a censoribus

cælum translati videbantur. Et hic aperte adulatur.

1. *Adeo..... tenebantur.* Scilicet Romani. Asseri posse crediderim, omnibus luxu cæterisque vitiis et magna convenarum caterva nondum depravatis nationibus magnam fuisse patriæ caritatem, quæ autem, moribus paulatim corruptis, in animis subinde exstincta est. Cæterum in MSS. et edd. antiquis nullum novi capitis initium hoc loco est, et secundum caput inchoatur demum c. VII, *De disciplina militari.*

2. *Secreto.* An. U. 603. Duo præstantissimi viri inter se dissentiebant, Cato scil. et P. Scipio Nasica. Nam Cato æstimabat, bellum inferendum, et parta victoria evertendam esse Carthaginem, quæ sæpe fœdera frangeret totiesque rebellaret. Quum in senatu de quacunque re diceret, fere semper addidit: « *Cæterum censeo, Carthaginem esse delendam.* » At Scipio contra relinquendam esse, ut bellum illud exercitatio quædam foret juventuti romanæ, quæ bellis adsueta, otiosa esse nullo modo posset. Verebatur enim, id futurum, quod evenit, ne subacta Carthagine, debellatisque exteris gentibus, quum deessent hostes, in se ipsos arma converterent. Ex sententia tamen Catonis factum est SCtum, ut bellum Carthaginiensibus inferretur. — *Quæstorem.* Post *quæsturam* aditus patuit ad ordinem senatorium. Multis equitibus, qui gesserant magistratus minores, jus quidem erat, in curiam eundi et in alicujus sententiam discedendi: sed senatores, quibus in senatu sententiam dicere liceret, nondum erant, antequam a censoribus huic ordini adscriberentur. Vid. Varronis satyra Menippea, ἱπποκύων inscripta:

Digitized by Google

in ordinem senatorium allectum : quo uno modo etiam his, qui jam honores gesserant, aditus in curiam dabatur; sed quamvis honestus error Fabii esset, vehementer tamen a consulibus objurgatus [1] est: nunquam enim taciturnitatem, optimum ac tutissimum administrandarum rerum vinculum, labefactari volebant. Ergo, quum Asiæ rex Eumenes [2], amantissimus nostræ urbis, *bellum a Perse adversus populum romanum comparari* senatui nuntiasset, non ante sciri potuit, quid aut ille locutus esset, aut patres respondissent, quam captum Persen cognitum est. Fidum erat et altum reipublicæ pectus curia [3], silentiique salubritate munitum et vallatum undique, cujus limen intrantes, abjecta privata caritate publicam induebant [4]: itaque non dicam unum, sed neminem audisse crederes, quod tam multorum auribus fuerat commissum.

2. Magistratus vero prisci quantopere suam populique romani majestatem retinentes se gesserint, hinc cognosci potest, quod inter cætera obtinendæ gravitatis indicia, illud quoque magna cum perseverantia custodiebant, ne Græcis unquam nisi latine [5] responsa darent : quin etiam ipsa

a quo discrepare videntur, quæ narrat Valerius : sed forsan primis seculis, qui nondum in ordinem senatorium erant adsciti, iis ne adire quidem curiam licuit. — *Allectum. Allegere* est eligendo addere. Vide Sueton. Aug. 2.

1. *Objurgatus. Jurgium* inter amicos, *lis* inter inimicos.

2. *Quum... Eumenes.* An. U. 581. *Eumenes*, Pergamenorum rex, qui Antiochum apud Sardes gravi prælio superavit.

3. *Curia.* Non *cura*, ut alii legunt. Aptissime enim *curiam* pectus reipublicæ appellat, in quo arcana consilia servantur.

4. *Abjecta... induebant.* Egregia sane et commodo publico convenientissima cogitandi ratio. Alii laudarunt hac in re adolescentem Papirium.

5. *Nisi latine.* Tantum suæ linguæ tribuerunt Romani, ut beneficii loco ejus usum alienigenis concederent, quod de Cumanis apud Livium legimus. Hinc factum, ut Tiberius et Claudius imperatores, quum aliquando quædam græcis verbis in senatu dicerent, veniam peterent. Et recte populus suæ dignitati aliquid detrahi putat, si quis alia, præter vernaculam, lingua in principum consessu utatur.

Digitized by Google

linguæ volubilitate[1], qua plurimum valent, excussa, per interpretem loqui cogebant, non in urbe tantum nostra, sed etiam in Græcia et Asia : quo scilicet latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur. Nec illis deerant studia doctrinæ ; sed nulla non in re pallium togæ[2] subjici debere arbitrabantur, indignum esse existimantes, illecebris et suavitati literarum imperii pondus et auctoritatem donari[3].

3. Quapropter non es damnandus rustici rigoris crimine, C. Mari[4], qui gemina lauro coronatam senectutem tuam numidicis et germanicis illustrem tropæis, victor devictæ gentis facundia politiorem fieri noluisti : credo, ne alienigena[5] ingenii exercitatione, patrii ritus servus transfuga exsisteres. Quis ergo huic consuetudini, qua nunc græcis actionibus aures curiæ exsurdantur, januam patefecit? ut opinor, Molo[6] rhetor, qui studia M. Ciceronis acuit : eum namque ante omnes exterarum gentium in

1. *Linguæ volubilitate.* Id est : postquam Græci lingua vernacula, qua plurimum valent, exposuerant, quæ vellent; interpretes omnia latine reddebant.

2. *Pallium togæ. Pallium* (ἱμάτιον) erat Græcorum, *toga* (τήβεννα) Romanorum : illud imponitur χιτῶνι, hæc tunicæ. Olim infimæ plebi utendi toga potestas non fuit, sed sola tunica.

3. *Donari.* Rectius, quam *domari.* Mens auctoris est : quamvis suavis et elegans sit lingua græca, non tamen eam auctoritatem donari aut concedi ei debere, ut illa jus aut senatus responsa dicantur.

4. *C. Mari.* Cujus ingenium depictum a Sallustio in bello Jugurth. — *Tropæis.* Quum post Metellum Jugurtham in Numidia, deinde Teutones et Cimbros in campo canidio Galliæ cisalpinæ devicisset. Vide Plin. de Viris illustribus, et Ciceronem in Bruto.

5. *Alienigena.* Externa, peregrina. — *Servus.* Sic quidem omnes legunt codices MSS. et edd. typis expressæ. Sed quum etiam liberi interdum transfugiant, Lipsius legere mavult : *serus* transfuga, i. e. in senectute.

6. *Molo.* Orator clarus, de quo Cicero in Bruto scribit, se eum et Romæ et Rhodi audivisse, sed ut nimis redundantem et superfluentem repressisse. Vid. Plut. in vit. Cicer. et Strabo, XIV. Litterarum contemptor *Marius*, et cultor earum Cicero, qui græcam eruditionem latinam fecit, uterque de municipio Arpinate fuerant.

Digitized by Google

senatu sine interprete auditum constat : quem honorem non immerito cepit, quoniam summam vim romanæ eloquentiæ adjuverat. Conspicuæ felicitatis Arpinum unicum, sive literarum gloriosissimum contemptorem, sive abundantissimum fontem intueri velis.

4. Maxima autem diligentia majores hunc morem retinuerunt, ne quis se inter consulem et proximum lictorem, quamvis officii causa una progrederetur, interponeret : filio duntaxat, et ei puero, ante patrem consulem ambulandi jus erat : qui mos adeo pertinaciter retentus est, ut Q. Fabius Maximus [1] quinquies cos. vir etiam pridem summæ auctoritatis, et tunc ultimæ senectutis, a filio consule invitatus, ut inter se et lictorem procederet, ne hostium Samnitum turba, ad quorum colloquium descendebant, elideretur, id facere noluerit. Idem [2] a senatu legatus ad filium consulem Suessam missus, postquam animadvertit, eum ad officium suum extra mœnia oppidi processisse, indignatus quod ex lictoribus XI nemo se equo descendere jussisset, plenus iræ sedere perseveravit : quod quum filius sensisset, proximo lictori ut sibi appareret [3] imperavit ; cujus voci Fabius continuo obsequutus : « Non

1. *Q. Fabius Maximus.* Ejus filius, *Fabius Gurges*, male contra Samnites pugnaverat; quapropter senatus de eo ab exercitu removendo consultavit. Sed pater Fab. Max. ejus legatus factus effecit, ut filius cæsis Samnitibus triumpharet. Vide Epit. Livii, lib. XI (An. U. 462). — *Elideretur.* Premeretur — Prior *Fabius* fuit Rullianus, posterior Verrucosus. Vide Liv. XXIV; Gell. II, 2. — An. U. 540.

2. *Idem.* Fallitur Valer. Nam quæ nunc sequuntur, tribuenda sunt Fabio Maximo *Verrucoso* seu *Cunctatori.* — *Suessam.* Suessa altera fuit *Pometia* Volscorum, jam a Tarquinio Superbo eversa; altera *Auruncorum*, de qua hic sermo. Vide Plin. III, 5; Liv. VIII. — *Indignatus.....jussisset.* Majores voluere, ad consulem neminem *equo insidentem* venire, sed honoris gratia, antequam consuli appropinquasset, descendere.

3. *Appareret. Apparere*, præsto esse et ministrare consuli. Imperavit, ut lictor officium faceret, quod cæteri lictores neglexerant, et patrem equo descendere juberet. Undecim lictores scilicet jam præcesserant. Sallust. de Bello Jug. c. 12.

Digitized by Google

ego, inquit, fili, summum imperium tuum contempsi, sed experiri volui, an scires consulem agere; nec ignoro, quid patriæ venerationi debeatur: verum publica instituta privata pietate potiora judico. »

5. Relatis Q. Fabii[1] laudibus, offerunt se mirificæ constantiæ viri: qui legati[2] a senatu Tarentum ad res repetendas missi, quum gravissimas ibi injurias accepissent, unus etiam urina respersus esset, in theatrum, ut est consuetudo Græciæ, introducti, legationem, quibus acceperant verbis, peregerunt: de his, quæ passi erant, questi non sunt; ne quid ultra ac mandatum esset, loquerentur: insitusque pectoribus eorum antiqui moris respectus, dolore, qui ex contumelia gravissimus sentitur, convelli non potuit. Finem profecto fruendarum opum[3], quibus ad invidiam diu abundaveras, tarentina civitas, quæsisti. Nam dum horridæ virtutis in se ipsum[4] connexum stabilimentum, nitore fortunæ præsentis inflata fastidiose æstimas, in prævalidum imperii nostri mucronem cæca et amens irruisti.

6. Sed ut a luxu perditis moribus[5] ad severissima ma-

1. *Q. Fabii.* Pigh. *Fabiorum.* Sed in codd. MSS. et edd. est *Fabii*, quia Valer. ut modo diximus, uni Fabio tribuit, quod diversis tribuere debebat.

2. *Qui legati.* An. U. 471. Vid. Liv. XII; Flor. I, 18; Dionysius Halic. IV. — *Ad res repetendas.* Est formula quædam solennis, qua Romani utebantur, non modo in rebus retentis ablatisve, sed etiam quoties sibi satisfieri aut injuriam reparari volebant.— *Consuetudo Græciæ.* Tarentum enim, urbs Calabriæ, teste Floro, qui uberius eam describit, opus erat Lacedæmoniorum et quidem Phalanti, Partheniorum ducis.

3. *Fruendarum opum.* Leg. Flor. I, 18, 27. Triumpho deinde de Tarentinis habito, nullus antea fuerat speciosior. Magnas enim divitias ex hac victoria nacti sunt Romani.

4. *In se ipsum* etc. *Tarentini* magnis multarum gentium et Pyrrhi opibus erant suffulti. Romani sua contenti virtute et armis, adversus tot gentium potentiam non audacter modo, sed feliciter etiam bellum soli gessere. — *Connexum.* Liber Dan. *convexum*, id est, globosum, atque adeo *firmum.* Guyet. conjiciebat *connixum*, et sic edidit Ascens. exponens: *innitens in se ipsum.*

5. *Luxu perditis moribus.* Taren-

Digitized by Google

jorum instituta transgrediar, antea senatus assiduam stationem eo loci peragebat, qui hodieque *Senaculum* appellatur: nec exspectabat, ut edicto contraheretur, sed inde citatus protinus in curiam veniebat; ambiguæ laudis civem existimans, qui debitis reipublicæ officiis non sua sponte, sed jussus, fungeretur; quia quidquid imperio cogitur, exigenti magis, quam præstanti, acceptum refertur.

7. Illud quoque memoria repetendum est, quod tribunis plebis intrare curiam non licebat[1]; ante valvas autem positis subselliis, decreta patrum attentissima cura examinabant, ut, si qua ex eis improbassent, rata esse non sinerent: itaque veteribus senatusconsultis T litera[2] subscribi solebat, eaque nota significabatur, illa tribunos[3] quoque censuisse. Qui, quamvis pro commodis plebis excubabant, inque imperiis[4] compescendis occupati erant,

tinorum. In quinque MSS. *luxu et perditis;* in duobus, *perditisque;* in uno *et proditis.* Nihil mutandum. *Mores luxu perditi* dicuntur ut *adolescens luxu perditus* apud Terent. Adelph. IV, 7, 42. — *Eo loci.* Eleganter pro *eo loco,* quod nonnulli MSS. habent ex interpretamento. — *Senaculum.* Græce γερουσία. Festus refert, tria olim fuisse Romæ *senacula,* ubi senatus convenit et quasi excubias suas egit, donec in curiam vocaretur: unum, ubi postea fuit ædes Concordiæ; alterum, ad portam Capenam; tertium, citra ædem Bellonæ.

1. *Intrare curiam non licebat.* Quod postea mutatum: nam Ciceronis ætate poterant tribuni curiam intrare. *Tribunorum* enim eum in modum crevit auctoritas, ut quidquid senatus decrevisset, ita demum ratum haberetur, si tribuni approbavissent. Stabant ergo in vestibulo curiæ, ubi habebatur senatus (templum enim ingredi antiquitus non licuit), et quæcunque senatus censuisset, tribunis animadvertenda perferebantur: ut si e republ. fore viderentur, approbarent, adjecta in tergo SCti litera T; cætera ad arbitrium rejicerent.

2. *T littera.* Quæ nomen *Tribunorum* notabat, licet postea duabus litteris maluerint tribunitium nomen designare. Sic enim in nott. Probi: TR. CEL. *Tribuni Celerum,* et alibi: TR. AER. *Tribuni ærarii.*

3. *Illa tribunos.* Pigh. ex vet. cod. legendum censet *ita.* Verum antiquiores typis expressi pro *ita* habent *illa. Ita censeo* est usitatissima alioquin formula.

4. *Imperiis.* Dicit *imperia* pro iis, qui cum imperio sunt. — *Ea.* Scil. imperia. Sic rectius legitur, quam *eos.* — *Annulis.* Horum usus ex Oriente, opinor, deductus est. V. Ge-

Digitized by Google

instrui tamen ea argenteis vasis et annulis aureis publice præbitis patiebantur, quo talium rerum usu auctoritas magistratuum esset ornatior.

8. Quorum quemadmodum majestas amplificabatur, ita abstinentia[1] arctissime constringebatur : immolatarum[2] enim ab his hostiarum exta, ad quæstores ærarii delata, veniebant; sacrificiisque populi romani tum Deorum immortalium cultus, tum etiam hominum continentia inerat, imperatoribus nostris, quam sanctas[3] manus habere deberent, apud ista altaria discentibus; continentiæque[4] tantum tribuebatur, ut multorum æs alienum, quia provincias sincere administraverant, a senatu persolutum sit: nam quorum opera publicam auctoritatem splendorem suum procul[5] obtinuisse viderant, eorum dignitatem domi collabi, indignum, sibique deforme esse arbitrabantur.

9. Equestris vero ordinis juventus omnibus annis bis urbem spectaculo sui sub magnis auctoribus[6] celebrabat [die Lupercalium, et Equitum probatione]. Luperca-

nes. 38 et 41. E Græcia tandem ad Romanos est perlatus, sed primo infrequens. Deinde fuit ordinis senatorii insigne, neque semper aureis, sed ferreis quoque sunt usi. Qui legationem obirent, iis annuli aurei publice dabantur. Postea aureus annulus ordini equestri peculiaris, plebi vetitus. Deinde crebrior factus eorum usus, de quo Plinius. — *Ornatior*. Passim *honoratior*, sensu non inconcinno, sed affectato magis.

1. *Abstinentia*. Mox et *continentiam* vocat. Est autem virtus, qua quis abstinet se ab accipiendis his, quæ accipere honeste non potest.

2. *Immolatarum*. Qui magistratum gerebant, ipsi immolabant : nam quanto dignior immolantis erat persona, tanto dignior Deorum cultus, et ea sacrificia publice præbebantur. — *Veniebant* i. e. *vendebantur*. Quæstores ærarii ex divendendis extis pecuniam in publicum redegerunt, et consules tanta oportuit esse abstinentia, ut e sacrificiis nihil in suos usus converterent.

3. *Sanctas*. Integras, incorruptas; nam polluti et profani procul esse jubebantur.

4. *Continentiæque*. Torren. aliique *continentiæ vero;* ast nostram lect. vindicat major MSS. pars.

5. *Procul*. In peregrinis et remotis locis.

6. *Sub magnis auctoribus*. Lipsius legendum putat *ductoribus*. Perperam. *Auctores magni* enim Romulus et Remus ac Fabius, qui primi id instituere. — *Die.....probatione*. Un-

Digitized by Google

lium[1] enim mos a Romulo et Remo inchoatus est tunc, quum lætitia exsultantes, quod his avus Numitor, rex Albanorum, eo loco, ubi educati erant, urbem condere permiserat sub monte Palatino, hortatu Faustuli educatoris sui, quem Evander argivus consecraverat; facto sacrificio, cæsisque capris, epularum hilaritate, ac vino largiore provecti, divisa[2] pastorali turba, cincti pellibus immolatarum hostiarum, jocantes obvios petiverunt: cujus hilaritatis memoria annuo circuitu feriarum repetitur. Trabeatos[3] vero equites idibus Juliis Q. Fabius transvehi instituit. Idem censor cum P. Decio seditionis finiendæ

decim MSS. ed. Venet. 1478, et ed. vet. Kappii omittunt. Videntur hæc verba glossam sapere. Forsan in marg. scriptum erat: *De die Lupercalium et Equitum probatione.* Unde in textum irrepsit. *Lupercalia* celebrabantur die 15 februarii. Ovid. Fast. II, 267. *Equitum transvectio* vero (nam de hac auct. noster agit) idibus quintil.

1. *Lupercalium.* Lupercalia in honorem Panis (Ægyptii aut Arcadis), pastorum Dei, instituta, dicta sunt a *lupis arcendis:* his enim sacris existimabant lupos a gregibus arceri. Vid. Plut. in vit. Antonii. Ludi erant solennes, qui jam antea ab Evandro dicuntur instituta in Latio, deinde a Romulo et Remo sub monte Palatino, ubi expositi fuerant, renovati. His ludis pastores congregati et immolatarum ovium pellibus induti, cibo potuque repleti, lascivientes invicem concurrebant, seque mutuis illarum pellium ictibus pulsabant, Lynceum Pana venerantes. Eam quoque opinionem induxerant, ut, si qua mulier sterilis ludentibus se obtulisset, et eorum ictibus attingeretur, fœcunda fieret. Vide Ovidium Fastorum II. *Luperci* erant Panos sacerdotes, quorum plures sodalitates, una Fabiorum, altera Juliorum a Cæsare. Vide Sueton. in August. — *Monte Palatino.* Mons Palatinus a *Pallante* Evandri filio, aut oppido *Pallanteo* nomen traxisse creditur, de quibus audias narrantem Evandrum in Virg. Æn. — *Hortatu..... sui.* Hæc verba, alieno loco posita, a viris doctis pro glossa habentur. — *Evander argivus.* Rectius *arcas:* quippe venit ex Arcadia.

2. *Divisa.* In duas quasi cohortes, ut alteri in alteros incurrerent.

3. *Trabeatos.* Trabea vestis erat, quam honoratus quisque super tunicam induit, quam etiam *prætextam* vocarunt, quia in extremitate purpuram habebat circumtextam. (Factum an. U. 499.) — *Fabius Rullus Max.* instituit primus, ut equites rom. idib. quint. equis suis insidentes ab sede Honoris in Capitolium *transveherentur.* Livius, IX; Dion. Hal. I; Plin. XV, 4; Aurel. Victor. 32. Quod diu neglectum, reduxit denique *Augustus.* Vid. Plut. in Pomp., et Sueton. in vita Augusti.

Digitized by Google

gratia, quam comitia in humillimi cujusque potestatem redacta accenderant[1], omnem forensem turbam in quatuor tantummodo tribus descripsit, eâsque *Urbanas* appellavit. Quo tam salubri facto, vir alioqui bellicis operibus[2] excellens, *Maximus* cognominatus est.

CAPUT III.

De militaribus Institutis.

1. Capite censi milites primi. — 2. Militaris exercitatio. — 3. Velitum primus usus.

Laudanda etiam populi verecundia est, qui, impigre se laboribus[3] et periculis militiæ offerendo, dabat operam, ne imperatoribus capite censos sacramento rogare esset necesse, quorum nimia inopia suspecta erat, ideoque his publica arma non committebantur.

1. *Quam comitia..... accenderant.* Sicut Virgilius canit : Martem *accendere* cantu. — *Forensem turbam.* Hæc plerumque seditiones in comitiis excitabat.

2. *Alioqui bellicis operibus.* Nam fuit ille *Fabius*, qui primus rempubl. calamitosa Hannibalis pœni expeditione graviter afflictam et pæne perditam, cunctando restituit.

3. *Impigre se laboribus.* Sane est, quod veterum Romanorum honoris cupiditatem patriæque amorem imitatu dignissimam miremur, quæ effecerunt, ut in tot bellis fere continuis, cum maxima rei familiaris jactura, nutui patriciorum, sæpe plebis minuendæ, aut ex urbe removendæ cupidorum, parerent; nec sumptibus, quum primo ævo stipendia non acciperent, nec labori, nec sanguini parcerent, ut patriæ gloriam atque potentiam augerent. — *Capite censos.* De sex *centuriarum* classibus vid. Nieupoorti antiq. De *capite censis* audi Gellium XVI, 10: « Qui in plebe rom. tenuissimi pauperrimique erant, neque amplius quam MD æris in censum deferebant, *proletarii* appellati sunt; qui vero nullo aut perquam pauco ære censebantur, *capite censi* vocabantur, et immunes erant a militia. » Aliorum res, horum capita tantum censeri poterant, pro suo nomine æra pendebant et sine suffragiis erant. — *Sacramento rogare.* Est idem, quod jurejurando militari obstringere, quod tamquam rem sacram imperatoribus præstabant. — *Inopia suspecta. Inopes* enim, 1° facilius ad hostes transfugiunt; 2° prædæ nimis sunt intenti; 3° pro aris et focis non tam fortiter dimicant, qui,

Digitized by Google

1. Sed hanc diutina usurpatione firmatam[1] consuetudinem C. Marius capite censum legendo militem abrupit: civis alioqui magnificus, sed novitatis[2] suæ conscientia, vetustati non sane propitius; memorque, si militaris ignavia[3] humilitatem spernere perseveraret, se a maligno virtutum interprete velut capite censum imperatorem compellari posse: itaque fastidiosum delectus[4] genus in exercitibus romanis obliterandum duxit, ne talis notæ contagio ad ipsius quoque gloriæ sugillationem penetraret.

2. Armorum[5] tractandorum meditatio a P. Rutilio consule, Cn. Mallii collega, militibus est tradita. Is enim nullius ante se imperatoris exemplum sequutus, ex ludo[6] Cn. Aurelii Scauri doctoribus gladiatorum arcessitis, vitandi atque inferendi ictus subtiliorem rationem legibus ingeneravit;

quod amittere timeant, non habent. — *Committebantur*. Septem MSS. *committebant*, scil. Romani.

1. *Usurpatione firmatam*. Novem codd. habent *formatam*, cui in uno Rem. pro *usurpat*. adjicitur *observatione*. Nostra lect. est in Torren. et Kapp. edd. — *Consuetudinem ..... abrupit*. Quod fecit homo plebeius, ut potentiam suam augeret. Vide Sallust. de Bello Jugurthino.

2. *Novitatis*. *Novi homines*, quorum non clari majores, nec imagines, sed qui ex humilitate ad summum dignitatis gradum sorte adscendunt. Sic *Marius* ex paupere municipe Arpinate consul tandem factus est. Vid. Cic. ad Div. V, ep. 18. — *Vetustati*. Patriciis, nobilibus.

3. *Militaris ignavia*, i. e. si milites, quamvis nobiles, ignavi tamen, humiles et capite censos spernerent.

4. *Delectus*; a consulibus per tribunos in Capitolio (postea etiam interdum in Campo), ducta sorte habitus. Nominatim citati, in tabulas referebantur. In periculo et raptim capti sunt novi milites. Contumaces carcere, aut mulcta, aut servitute, immo et morte punierunt. (*Lips.*)

5. *Armorum*. An. U. 648, bello cimbrico.

6. *Ludo*, i. e. schola gladiatoria, qua gladiatores a magistris erudiebantur, ut ictum adversarii vel vitarent, vel ei inferrent. Plures erant in urbe *ludi*, v. c. Gallicus, Dacicus, Magnus, Mamertinus, Matutinus, Æmilius. His præerant lanistæ, quorum tirones *familiæ* nominatæ. — *Legibus*. Pro *legibus* melius legi posset *legionibus*, si plures consentirent codices. Quosdam sic habere, testis est Pighius. Sane verbum *ingeneravit* suadet, ut *legionibus* legatur. Nam qui aliquid ingenerat, is ingenerat alicui. Quare in nostra lect. subintelligend. *militibus*, quod ad *ingeneravit* referatur. *Legibus* tunc esset, *per artem*, *theoriam*.

Digitized by Google

virtutemque arti, et rursus artem virtuti miscuit, ut illa impetu hujus fortior, hæc illius scientia cautior fieret.

3. Velitum[1] usus eo bello primum repertus est, quo Capuam Fulvius Flaccus imperator obsedit: nam quum equitatui Campanorum crebris excursationibus equites nostri, quia numero pauciores erant, resistere non possent, Q. Nævius[2] centurio e peditibus lectos expediti corporis, brevibus et incurvis septenis armatos hastis, parvo tegmine munitos, veloci saltu jungere se equitantibus, et rursus celeri motu delabi instituit, quo facilius equestri prælio subjecti pedites, viros pariter atque equos hostium telis incesserent, eaque novitas pugnæ unicum campanæ perfidiæ[3] debilitavit auxilium: ideoque auctori ejus Nævio adhuc[4] honos est habitus.

CAPUT IV.

De Spectaculis.

1. Theatra primum ædificata. — 2. Loca ordinibus primum attributa. — 3. Origo scenicorum ludorum. — 4. Origo secularium. — 5. Primi seculares. — 6. Ornamenta et luxus ludorum. — 7. Gladiatorium et athleticum munus primum.

1. Proximus militaribus institutis ad urbana castra, id

1. *Velitum.* Velites, quasi *volites* sive volantes, expediti milites. Vid. Vegetius III, 16 et 24; Dionys. II, 11. Olim etiam *Anippi* s. equitibus juncti dici poterant. Vide Livium, XXVI, 4; Front. IV, 7. (Ann. U. 542.) — *Capuam.* Capua, Campaniæ, a *Capye* dicta, quum antea Vulturnus diceretur, ad luxuriam semper prona.

2. *Q. Nævius*, etc. Hunc locum sic emendat Lipsius: « Q. Nævius centurio, e peditibus lectos e. c. b. et *infirmis* s. a. h. parmæ tegmine » etc. Hastæ velitares enim ligno erant *tenui*, τῷ πάχει δακτυλιαίῳ, ut Polybius ait. Si tamen legere mavis: *incurvis*, de hastarum ferro hoc dici poterat. E Livio constat, velites usos esse *parmis;* sed et lectio *parvo* tegmine, i. e. brevi scuto, satis proba aliis videtur. — *Jungere se.* Vehi post equites.

3. *Campanæ perfidiæ.* Campani a Romanis desciverant, ut ex Livio notissimum.

4. *Adhuc.* Pro *ad hoc* scil. usque tempus, s. etiam præterea. Lipsius

Digitized by Google

est, theatra, gradus[1] faciendus est; quoniam hæc quoque sæpenumero animosas[2] acies instruxerunt, excogitataque cultus deorum, et hominum delectationis causa, non sine aliquo pacis rubore voluptatem et religionem civili sanguine, scenicorum portentorum gratia, macularunt.

2. Quæ inchoata[3] quidem sunt a Messala et Cassio censoribus; cæterum auctore P. Scipione Nasica omnem apparatum operis eorum subjectum hastæ[4] venire placuit;

tamen legendum putat *a duce*, quod *adhuc* minus huc quadret, quodque Liv. quem imitari soleat Valerius, habeat sic : *Auctorem peditum equiti miscendorum Q. Nævium ferunt : honorique id ei apud imperatorem fuisse.*

1. *Proximus.....theatra, gradus*, i. e. diximus de bellis, quæ foris geruntur; nunc dicendum de certaminibus, intra urbem in theatro institutis. *Theatra* vocantur *castra*, quoniam simili ratione erant septa, et ibi quoque cædes fiebant. Theatrum primo fuit hemicyclus; inde factum est amphitheatrum, inchoatum a Pompeio Magno, consecratum a Tito. Cæterum de Scauri theatro aliisque vid. Plin. XXXVI, 15.

2. *Animosas.* Non minore enim contentione digladiantes in arena contendebant, quam in vera acie. — *Cultus deorum. Saturno*, antiquissimo Romanorum deo, Italiæ quondam cum Jano regi, primum venatio in circo instituta. Eidem gladiatores erant sacri. Amphitheatrum inde Marti consecratum est. A Cn. Pompeio theatrum Veneri dedicatum. Culti etiam sunt hoc modo Bacchus, Venus, Ceres, Apollo, Musæ, Minerva, Mercurius, etc. Vid. Tertull. de Spectac. c. 6, 7; Salvianus, VI; Lactant. VI, 20. — Prudent. l. I, advers. Symmachum, nominat item Plutonem, quia credebant, sanguine gladiatorum profuso placari deos manes. Deinde etiam ludi ad victoriam, aut aliud quid a diis adipiscendum voti sunt, et qui voti essent damnati, in deorum honorem ludos edebant. — *Scenicorum portentorum.* Monstrosum quodammodo visum, quod civis sine causa insurgat contra civem, idque tempore pacis, quæ sanguine polluebatur. In omnia alia tamen ire videntur Torren. et, qui eum exscripsit, Kapp. dicentes, *portenta scenica* auctorem vocasse *histriones*, vel quia omnibus flagitiis fœdi et obruti erant, vel in quibus præter formam nihil humani reperiebatur : quibus dum aliis alii favebant, ita ut plebis favor sive in hunc, sive in illum histrionem distractus esset, gravissima sæpe et sanguinolenta certamina in theatris excitata sunt. Cæterum de cædibus in theatr. factis adi Tacit. Annal. I, 17.

3. *Quæ inchoata.* Vide Plinium, XXXVI, 15; Flor. epit. 48; Augustinum de Civ. Dei. I, 31; Vellei. I, 15; Oros. IV. 21; Appian. p. 172. An. U. 599. Censores sæpe, ut refert Tertullianus, theatra destrui jusserunt, moribus consulentes.

4. *Hastæ.* Figebatur enim prætoris *hasta* in auctionibus publicis.

Digitized by Google

atque etiam senatusconsulto cautum est, *ne quis in urbe, propiusve passus mille, subsellia posuisse, sedensve ludos spectare vellet*, ut scilicet remissioni animorum juncta[1] standi virilitas, propria romanæ gentis nota, esset.

3. Per quingentos autem et quinquaginta octo annos senatus populo mixtus spectaculo ludorum interfuit; sed hunc morem Atilius Serranus et L. Scribonius ædiles[2], ludos matri deum facientes, superioris Africani sententiam sequuti, discretis senatus et populi locis, solverunt; eaque res avertit vulgi animum, et favorem Scipionis magnopere quassavit[3].

4. Nunc causam[4] instituendorum ludorum ab origine sua repetam. C. Sulpicio Betico, C. Licinio Stolone coss. intoleranda vis ortæ pestilentiæ civitatem nostram a bel-

1. *Juncta.* Omittunt duodecim codd. MSS. pluribusque edd. vett. non inest. Perizon. malit legere *remissione* vel *in remissione*. Ed. Lips. cum quibusdam *injuncta*, idque Torrenio videtur placere, *quia Scto jussa erat et imposita*. Leid. sext. *invicta*. Ex Kappii sententia *juncta* commode abesse potest, si *remissioni animorum* exponas remittentibus *animum*, ut sensus est: *ut scilicet remittentibus animum, esset* (maneret) *standi virilitas, romanæ gentis propria nota.*

2. *Ædiles. Ædilium* erat, edere ludos. — *Ludos . . facientes.* Ludi in honorem *Idææ* (e Pessinunte Phrygia advectæ), *matris deum*, dicti *megalenses* aut *megalesia*, quod eadem etiam μεγάλη diceretur. Vide Liv. XXIX. Habita megalesia prid. non. april. Galli erant deæ sacerdotes. Vir et mulier Phrygii generis vicatim per eos dies mendicabant, a quibus Matris magnæ simulacrum, ingenti cum pompa per urbem ferebatur. Hujusmodi tamen munus, tamquam rom. nomine indignum, ne quis civis rom. exerceret, a senatu cautum.—*Superioris.* MSS. quatuordecim *posterioris*, cum editt. Mog. et Venet. Et codices habere notat Theophilus, addens: *Et ita legendum putabit, quicunque non indiligens est historiæ temporumque.* Sed manifestus hic est error. Nam auctor ejus rei fuit *P. Scipio Africanus superior* iterum consul, ut ex Liv. liquet.

3. An. U. 559. Liv. XXXIV, 54; Pedian. Cornel. p. 132.

4. *Nunc causam.* Mira veterum superstitio non tam veras calamitatis publicæ causas pervestigabatur, quam deos iratos placare studuit rebus, a quibus summi numinis gratia sperari non poterat, maxime crudeliter effuso sanguine, ut ad misericordiam moverentur dii, nec jam afflictis adderent afflictionem. Cf. Orosius, III, 4; Plutarch. Problemat. 107.

Digitized by Google

licosis[1] operibus revocatam, domestici atque intestini mali cura afflixerat, jamque plus in exquisito et novo cultu religionis, quam in ullo humano consilio positum opis videbatur; itaque placandi cælestis numinis gratia compositis carminibus[2] vacuas aures præbuit, ad id tempus circensi spectaculo contenta, quod primus Romulus, raptis virginibus sabinis, Consualium nomine celebravit: verum, ut est mos hominum parvula initia pertinaci studio prosequendi, venerabilibus erga deos verbis[3] juventus, rudi atque incomposito motu corporum jocabunda, gestus adjecit; eaque res ludium[4] ex Hetruria arcessendi causam præbuit, cujus decora pernicitas vetusto ex more Curetum[5] Lydorumque, a quibus Hetrusci originem traxerunt,

1. *Bellicosis*. Alii, *bellicis*; sed *bellicosis* restituit Torren.

2. *Carminibus*, i. e. hymnis, quibus deorum laudes continebantur. — *Ad id tempus*. Pighius, ex cod. Cauch. addidit *usque*; frustra. Vett. edd. omittunt, neque novum est, *usque* in talibus non addi. — *Circensi*. *Circi* modo spectaculum fuerat, antequam ludi scenici orirentur. Liv. VII, 2. — *Romulus*. Hic, quum equestris imago *Neptuni* in fundamentis urbis esset reperta, ei ludos, quanto potuit maximo apparatu instituit, et populos vicinos ad eos spectandos invitavit. In iis factus est virginum sabinarum raptus. Deinde Romulus hanc Neptuni imaginem *Consum* et ludos *Consualia* vocavit: quia post illam inventam subito consilium cepit, virginum, quæ convenis suis petentibus erant denegatæ, per ludorum spectaculum, ut perdurare posset novum ejus regnum, rapiendarum. Vide Plutarch. in Romulo; Dionys. Hal. de Ant. rom. et Liv. I.

3. *Verbis*. Ita in codd. MSS. pluriuis. Pauci legunt *obsequiis*. — *Rudi atque incomposito*. Ejusmodi carmina, saturnio metro composita, erant *fescennina*, de quibus Horatius:

Fescennina per hunc inventa licentia morem,
Versibus alternis opprobria rustica fudit.

— *Gestus*. Ad imitationem ludionis hetrusci. Liv. VII.

4. *Ludium*. Nonnullis *ludios* hic scribendum videtur, et paulo post *quorum* pro *cujus*. Sed numero singulari pro plurali auct. non vitiose usus est, nec ullus cod. MS. huic emendationi favet.

5. *Curetum*. Curetes, natio cretica, quæ hoc canendi saltandique genus prima invenisse dicitur ad usum militiæ, sive ad cultum deorum, seu potius ad fabulosam Jovis originem quodammodo repræsentandam; de quibus uberius Strabo, X. Fuere etiam Curetes in Græcia, Eubœa, Dalmatia. — *A quibus..... traxerunt*. Duce *Tyrrheno*, Atyos filio, colonia e Lydia in Tusciam venisse creditur. Strabo, V. Lydos quoque

Digitized by Google

novitate grata Romanorum oculos permulsit. Et quia ludius apud eos *histrio*[1] appellabatur, scenico nomen *histrionis* inditum est. Paullatim deinde ludicra ars ad satyrarum[2] modos perrepsit, a quibus primus omnium poeta Livius[3] ad fabularum argumenta spectantium animos transtulit; isque sui operis actor, quum sæpius a populo revocatus[4] vocem obtudisset, adhibito pueri et tibicinis concentu, gesticulationem tacitus peregit. Attellani[5] autem ab Oscis acciti sunt; quod genus delectationis Italica se-

hoc saltationis genere usos, idem testis est.

1. *Histrio.* Pantomimus, qui non tantum manibus, sed toto corpore gesticulatur. — *Scenico.* Qui et *actor scenicus* dicitur.

2. *Satyrarum.* Fescenninos ludos excepit *satyra*, de qua vid. Horat. de Arte poetic. cum Bentleii notis. Satyra hæc carmen erat, ridicula versibus intexta continens, quæ inter se more antiquo cantitabant. A satyrica vero Græcorum tantum differebat, quantum a reliqua poesi distat dramatica, cujus ne nomen quidem norant tum Romani. (*Casaubon.*) — *Perrepsit.* In novem MSS. Torren. exstat *perrexit*, plurimæque edd. vett. hanc lection. sequuntur. Male. *Perrepsit* elegans sane est metaphora a reptilibus, quæ paullatim procedunt, sumpta: qua significatur, paullatim ab uno ad alterum perventum fuisse.

3. *Livius.* Livius Andronicus, græcus et græcis litteris excultus, Livii Salinatoris libertus, floruit circiter anno 514. Ejus fragmenta inter alios Henricus Stephanus collegit. Cicero atque Gellius referunt, hunc primum docuisse *fabulas* apud Latinos; differunt tamen de tempore. Livius carmina composuit, quæ ter novenæ virgines, data reste per manus, per urbem euntes decantarunt, ad iram deorum placandam. Sic fescenninos ludos apud Romanos excepit satyra, hanc fabula. — *Fabularum.* Fabulæ hic sunt *comœdiæ.* — *Animos transtulit.* Antiquiores typis expressi habent *oculos et animos.* Verum *oculos* Pigh. expunxit, quia ab omnibus codicibus MSS. id abesse videret. Abest etiam fere ab omnibus Torrenii.

4. *Revocatus*, scilicet ad denuo agendum, quod adeo populo placuisset.

5. *Attellani.* Attellæ civitas sunt Campanorum, quorum luxus in ejusmodi ludis nimius erat; ideoque apud ipsos Campanos Attellani inhonestissimi erant, sed a Romanis deinde magna severitate correcti. Attellanæ fabellæ etiam *exodia* vocatæ, et qui recitabat *exodiarius.* Hic apud veteres in fine tragœdiarum potissimum intrabat, quod ridiculus foret; ut, quidquid lacrymarum atque tristitiæ passi essent ex tragicis affectibus, hujus spectaculi risus detergeret. Vide Sueton. III, 45; Livium loco citato; et Inscriptiones Gruteri, p. 637, n. 1.

Digitized by Google

veritate temperatum, ideoque vacuum nota[1] est; nam neque tribu movetur, neque a militaribus stipendiis repellitur.

5. Et quia cæteri ludi ipsis appellationibus unde trahantur apparet, non absurdum videtur, secularibus[2] initium suum, cujus generis minus trita notitia est, reddere. Quum ingenti pestilentia urbs agrique vastarentur, Valesius, vir locuples, rusticæ vitæ, duobus filiis et filia ad desperationem usque medicorum laborantibus, aquam calidam iis a foco petens, genibus nixus, Lares[3] familiares, *ut puerorum periculum in ipsius caput transferrent*, oravit. Orta deinde vox est, « habiturum eos salvos, si continuo flumine Tiberi devectos Tarentum deportasset, ibique ex Ditis patris[4] et Proserpinæ ara petita calda recreasset. » Eo prædicto magnopere confusus[5], quod et longa et periculosa navigatio imperabatur, spe tamen dubia[6] præsen-

1. *Nota*, scil. infamiæ. Histriones enim apud Romanos infames erant: Attellani non item.

2. *Secularibus*. Ludos *seculares sæcularesve* inde dictos autumat Politianus, quod plerumque semel hominis ætate fierent; ut multa alia, quæ rara sunt, post seculum evenire, loquentium consuetudo usurpat. De ipso autem seculi spatio diversæ sunt sententiæ. Alii undenos decies annos accipiunt, alii post C annum rediisse eos ludos arbitrantur. Instituti primum a Valerio Poplicola.—*Trita*. *Certa* maluit pro *trita* Pighius. Sed monuit Lipsius, originem ludorum secul. satis quidem certam, sed non æque vulgatam sive tritam fuisse. Sic etiam legunt omnes antiqui libri typis expressi.

3. *Lares*. Lar et lars sunt hetruscæ voces et principem denotant, in eo tamen differunt, ut *lar* deum familiarem magis denotet, *lars* nomen proprium sit, e. gr. Lars Tolumnius. Quum autem antiquissimis temporibus interdum mortui in ædibus essent sepulti, hinc et pro diis familiaribus passim culti.

4. *Patris*. Commune *patris* nomen diis præcipuis: velut Jupiter, Liber pater, Marspiter, etc. Verosimile est, sub *patris* nomine *unum* hominum patrem deum coluisse veteres, cui pro ratione beneficiorum varia cognomina tribuerint. (*Servius*.) — *Calida*. *Caldæ* scilicet aqua, quam ægroti illi desideriis petierant.

5. *Confusus*. Vaticinio perturbatus.

6. *Spe tamen dubia*. Sensus est: tamen quum spes restituendi suis valetudinem, licet dubia, esset efficacior quam præsens et certus metus longæ et periculosæ navigationis,

Digitized by Google

tem metum vincente, pueros ad ripam Tiberis protinus detulit (habitabat enim in villa sua propter vicum Sabinæ regionis Eretum) ac lintre Ostiam petens, nocte concubia ad Martium campum appulit : sitientibusque ægris succurrere cupiens, igne in navigio non suppetente, ex gubernatore cognoscit, haud procul apparere fumum : et ab eo jussus egredi Terentum[1] (id ei loco nomen est), cupide arrepto calice, aquam flumine haustam, eo unde fumus erat obortus, jam lætior pertulit, divinitus dati remedii quasi vestigia quædam in propinquo nactum se existimans: inque solo magis fumante[2], quam ullas ignis habente reliquias, dum tenacius omen apprehendit, contractis levibus, et quæ sors obtulerat nutrimentis, pertinaci spiritu flammam evomuit, calefactamque aquam pueris bibendam dedit : qua potata, salutari quiete sopiti, diutina vi morbi repente sunt liberati, patrique indicaverunt, « vidisse se in somniis, nescio a quo[3] deorum spongia sua corpora pertergi, et præcipi, ut ad Ditis patris et Proserpinæ aram, a qua fuerat potio ipsis allata, furvæ hostiæ immolarentur,

quæ imperabatur. — *Eretum*. Auctore Servio, a Junone dictum, cujus nomen græcum est *Here*, et quæ ibi culta fuerit. — *Lintre*. Linter genus est naviculæ brevis, ex arbore cavatæ, fluminibus trajiciendis aptæ. — *Martium campum*. Campus Martius tunc extra urbem fuit, olim Tarquiniorum ager.

1. *Terentum*. Pars aliqua Tiberis in campo Martio, de qua plurimi, v. c. Ovidius, Martialis, Ausonius, mentionem faciunt.

2. *Fumante*. Locus ille fumabat, nec tamen ulla exhalantis ignis sub cinere latentis signa apparebant. — *Evomuit*, id est, elicuit continuo flatu flammam. Pighius ex codice Camp. legendum putat *emovit;* sed omnes cæteri codd. MSS. alteram lectionem habent. More minus usitato Valer. loquutum esse, negari nequit; attamen ipsum *emovit* non satis nobis placet, quum et hoc verbum potius significet *loco movere*, *expellere* quam *producere*, *excitare*. Ingeniose Torrenius conjicit, forte *evocavit* legendum esse.

3. *Nescio a quo*. Sic et Zosimus *unum* tantum divinæ formæ virum apparuisse refert. — *Furvæ*, id est nigræ. Superis enim mactabant alba animalia, inferis nigra. — *Lectisterniaque*. Diis *lectos sternebant*, in quibus eorum simulacra accumberent; tumque cibos apponebant. Cf. Liv. L, 59. Curabantur ea ab epulonibus, aut a duumviris sacr. fac.

Digitized by Google

lectisterniaque et ludi nocturni fierent. » Is, quod eo loci nullam aram viderat, desiderari credens, ut a se construeretur, aram empturus in urbem perrexit, relictis, qui fundamentorum constituendorum gratia terram ad solidum[1] foderent. Hi domini imperium exsequentes, quum ad XX pedum altitudinem[2] humo egesta pervenissent, animadverterunt aram Diti patri Proserpinæque inscriptam. Hoc postquam Valesius nuntiante servo accepit, omisso emendæ aræ proposito, hostias nigras, quæ antiquitus *furvæ* dicebantur, Terenti immolavit; ludosque et lectisternia, continuis tribus noctibus, quia totidem filii[3] periculo liberati erant, fecit.

Cujus exemplum Valerius Poplicola[4], qui primus consul fuit, studio succurrendi civibus sequutus, apud eamdem aram publice nuncupatis votis, cæsisque atris bubus, Diti maribus, feminis Proserpinæ, lectisternioque ac ludis trinoctio factis, aram terra, ut ante fuerat, obruit.

6. Religionem ludorum crescentibus opibus sequuta lautitia[5] est: ejus instinctu Q. Catulus[6] campanam imitatus

1. *Ad solidum*, id est profundum, ubi solidum ædificiorum fundamentum esse solet.

2. *Ad XX pedum altitudinem*. Hæc fossio nimis alta videtur Lipsio, qui propterea legendum putat, *X pedum*. Ast codd. MSS. tuentur vulgatum; et quamvis alta videri possit fossio, tamen in re miraculi cujusdam plena fossio nimis profunda censeri non debet, quum potius illa augeat miraculum.

3. *Totidem filii*. Rectius *liberi*. Fuerunt enim duo filii et una filia. Nisi forte sumere velimus, Valerium sub nomine *filii* comprehendisse etiam *filiam*, ut Liv. I, 39, per *reges* intelligit *regem* et *reginam*.

4. *Valerius Poplicola*. Hic solennia secularia fecit, liberandæ seu expiandæ civitatis gratia, quæ peste graviter erat afflicta, an. U. 249. — *Publice nuncupatis votis*. Solebant veteres *vota* jam suscepta scriptis subsignatisque tabulis confirmare, atque ipsas sæpe tabulas genibus deorum, quibus voverant, *cera* affigere, quod Juvenalis sat. X, vocat: « *genua incerare deorum*. » Vid. Plin. ep. ad Trajan. — *Trinoctio*. Auson. Idyll. XI, 34. *Trina Terentino celebrata Trinoctia ludo*.

5. *Lautitia*. Non in epulis solum, sed et in omni cultu atque apparatu vitæ, idem fere, quod splendor et magnificentia. Rectius tamen videtur *lætitia*.

6. *Q. Catulus*. Is, qui Capitolium

Digitized by Google

luxuriam, primus spectantium consessum velorum umbraculis texit; Cn. Pompeius ante omnes aquæ[1] per semitas decursu, æstivum minuit fervorem; Cl. Pulcher[2] scenam varietate colorum adumbravit, vacuis ante pictura tabulis extentam; quam totam argento C. Antonius, auro Petreius, ebore Q. Catulus prætexuit[3]; versatilem[4] fecerunt Luculli; argentatis choragiis[5] P. Lentulus Spinther adornavit; translatum[6], antea pœniceis indutum tunicis, M. Scaurus exquisito genere vestis, cultum induxit.

dedicavit, teste Plinio, XVIII, 1. — *Umbraculis.* Sic etiam *scena* ἀπὸ τῆς σκιᾶς vocata. Apud admodum antiquos enim scena parietem non habebat, sed de frondibus *umbracula* quærebant.

1. *Aquæ.* Aquas per fistulas aut tubos in circum, theatra, immo et privata ædificia immittebant. Unde Statius, Sylv. 1, *emissas per cuncta cubilia lymphas* refert. Dicebantur autem ejusmodi aquarum circumductiones *Euripi.*

2. *C. Pulcher.* Plin. l. c. nominat eum *Claudium Pulchrum. Habuit et scena*, inquit, *ludis Claudii Pulchri magnam admirationem picturæ, quum ad tegularum similitudinem corvi decepti imagine advolarent.* Vid. Ciceronem in Verrem orat. III, 34, 59. — *Vacuis ante pictura.* Id est, scena omnibus picturis antea carebat. Passim *picturam* legitur. Male. Scriba putavit, *ante* præpositionem esse.

3. *Prætexuit.* Incrustavit, obduxit.

4. *Versatilem.* Duplex erat scena: *versatilis*, quum tota machinis quibusdam subito vertebatur, et aliam atque aliam picturæ speciem ostendebat; et *ductilis*, quum hac atque illac ducta et jacta rota omnis pictura nudabatur interior. Vid. Virg. Georg. III, 25:

Vel scena ut versis discedat frontibus, utque
Purpurea intexti tollant aulæa Britanni.

Cæterum L. et M. *Lucullos* fratres simul ædiles fuisse, ludosque magnificentissimos dedisse constat. Versatiles scenas duas postea fecit C. Curio filius. Vide Plinium, Hist. Nat. lib. XXXVI, cap. 15.

5. *Choragiis.* Choragium ipse apparatus et instrumentum scenicum est. *Choragus* autem est, qui scenicis ornamenta ad agendam fabulam necessaria, vel accepta ab ædilibus, vel de suo suppeditat. Plinius ait, Lentulum carbasina in theatro vela duxisse ludis Apollinaribus.

6. *Translatum.* Variæ de hoc loco eruditorum sunt conjecturæ. Lipsius legendum putat *translatitium*, ut pro crebro ac recepto hoc sit. Sed ita nomen esse oporteret adject. quod hic non potest. Pighius *translatum* dici putat infimam ac vulgarem turbam ludionum, quæ sæpius per scenam hinc inde translata fuerit pro ludorum occasione. Hinc *translatitia* s. *translativa* quæcunque vulgaria, plebeia, vilia, circumforanea. Sic legimus apud Plin. *translativa officia*, et apud Cicer. II, in Verr.

Digitized by Google

7. Nam gladiatorium munus[1] primum Romæ datum in foro boario, Ap. Claudio, M. Fulvio coss: dederunt M. et D. Bruti, funebri memoria patris cineris honorando: athletarum[2] certamen a M. Scauri tractum est munificentia.

CAPUT V.

De Frugalitate et Innocentia.

1. Prima aurata statua in urbe. — 2. Jus civile cum fastis promulgatum. — 3. Veneficii prima quæstio. — 4. Tibicinum quinquatria prima. — 5. Frugalis antiquorum victus. — 6. Febris deæ sacella in urbe.

1. Statuam auratam[3] nec in urbe, nec in ulla parte Italiæ quisquam prius adspexit, quam a M. Acilio Glabrione equestris patri poneretur in æde Pietatis: eam au-

translatitium edictum, quippe non novum, sed aliunde translatum. At Salmasius vult *translatum* esse machinam, qua dii in scena aliquid loquuturi aut acturi, translati fuerint περιακτοῖς machinis: Valerium autem ipsos deos *translatum* appellare, qui in translato circumacti fuerint; velleque, Scaurum deos, quum antea puniceis tunicis induerentur, exquisito genere vestium in scenam induxisse. Rutgersius denique pro translatum, Var. Lect. VI, 13, vult *theatrum*. Hoc enim ante Scauri ætatem velis purpureis inumbratum fuisse; Scaurum autem in ædilitate sua veste attalica prætexisse.

1. *Gladiatorium munus*. Origo gladiatorum a re funebri. Nam quoniam olim animas defunctorum humano sanguine propitiari creditum erat, captivos vel ad id ipsum emptos servos in exsequiis immolabant. Postea placuit, impietatem voluptate adumbrare: itaque quos paraverant, armis, quibus tunc et qualiter poterant, eruditos, mox edicto die feriarum, apud tumulos erogabant: atque gladiatores illi a busti cineribus *bustuarii* dicti.

2. *Athletarum*. Athletæ sunt, qui lacertis et brachiis inter se luctantur. Contigit hoc A. U. 489, et 695. Vide Liv. XVI.

3. *Statuam auratam*. Tantum abest, ut *solidas ex auro statuas* ante Glabrionem habuerint, ut ne *auro* quidem *obductæ* invenirentur. Ipsam quoque, quam Glabrio posuit statuam, Livius, XL, 34, *auratam* vocat. Ammianus Marcellinus tenuibus auri bracteis induci statuas ait. An ante imperatores solidæ factæ sint, non liquet. Domitiano autem et aliis ex auro solido statuas fuisse positas, testis est Sueton. Glabrio contra in honorem patris sui ejusque victoriarum, qui

Digitized by Google

tem ædem P. Cornelio Lentulo et M. Bæbio Tamphilo coss. ipse dedicaverat, compos[1] voti factus, rege Antiocho apud Thermopylas superato.

2. Jus civile[2] per multa secula inter sacra cærimoniasque deorum immortalium abditum, solisque pontificibus notum, Cn. Flavius, libertino patre genitus, et scriba, cum ingenti nobilitatis indignatione factus ædilis curulis, vulgavit, ac fastos pæne toto foro exposuit: qui, quum ad visendum ægrum collegam suum veniret, neque a nobilibus, quorum frequentia cubiculum erat completum, sedendi loco reciperetur, sellam curulem[3] afferri jussit, et in

Antiochum regem Philippo juvante ex Asia pepulerat, atque Ætolos subegerat, statuam erexit: nec aureæ unquam statuæ erectæ fuerant his, qui rem bene gessissent. (A. U. 572.) De loco statuæ non consentiunt scriptores, sed adjacentem vicinitatem nominant. Aliquando eodem loco carcer plebis fuit, in quo quum filia matrem vinctam suis uberibus aluisset, impunitas illi concessa, et locus *Pietatis* numini dicatus est.

1. *Compos.* Aliquid deesse opinantur Pighius aliique, et addunt: *quia pater compos*, etc. Sed locus Livii, quem profert, non repugnat lectioni veteri, sed exinde apparet potius, eumdem M. Acilium Glabrionem ædem *Pietatis* et vovisse, et posthæc exstructam dedicasse. — *Thermopylas.* Thermopylæ sunt angustiæ quædam Œtæ, de quibus Strabo, IX. — Livius, lib. V de bell. maced. memorat, montem esse longissimum, qui mediam ita Græciam dividat, sicut Apenninus suo jugo scindit Italiam.

2. *Jus civile.* Omnis juris interpretandi scientia et actiones primum penes collegium pontificum erant; ita posset agi, necne, pauci quondam sciebant, præter pontifices: et populus prope per centum annos hac consuetudine usus est. Postea quum Appius Claudius proposuisset, et ad formam redegisset has actiones, Cn. Flavius ejus scriba subreptum librum populo tradidit. Et adeo gratum fuit id munus populo, ut tribunus plebis fieret et senator et ædilis curulis. De hoc etiam Livius, IX, 46. tradit: «Cn. Flavius jus civile in penetralibus repositum vulgavit, fastos in albo posuit, ut, quando cum populo agi liceret, sciri posset.» De ejus contemptu vid. quæ Gellius, VI, 9, ex Pisonis annalibus narrat. Vid. Nepos, XVIII, 1, 5. — *Fastos.* Libri, in quibus continebantur dies, quibus cum populo agi poterat, et quibus non liceret, a *fando* sunt denominati. Dies enim, quibus ad populum fari licebat, *fasti*, quibus non, *nefasti* dicti sunt. Vide Cicer. pro Muræna. c. 25; Plin. XXXIII.

3. *Sellam curulem.* Nomen hau-

Digitized by Google

ea honoris pariter atque contemptus sui vindex, consedit.

3. Veneficii[1] quæstio et moribus et legibus romanis ignota, complurium matronarum patefacto scelere orta est: quæ quum viros suos clandestinis insidiis veneno perimerent, unius ancillæ indicio protractæ, pars capitali[2] judicio damnatæ, centum septuaginta numerum expleverunt.

4. Tibicinum[3] quoque collegium solet in foro vulgi oculos in se convertere, quum inter publicas privatasque ferias, actiones, personis tecto capite variaque veste velatis, concentus edit: inde[4] tracta licentia. Quondam vetiti in æde

sit, vel a *Curibus*, civitate Sabinorum, unde hoc genus insignium tractum est a Romanis, sicut et toga prætexta; vel quia isti sellæ rotæ subjectæ essent, ut in quamcunque partem impelli et vehi seu *currere* posset. — *Honoris*. Honorem vindicavit, dum, quem alii ei ademptum ibant, ipse sumpsit sibi, sellam curulem afferri jubendo, inque ea sedendo: *contemptum sui* autem vindicavit, dum nobiles illos invidos ultus est, faciendo, quod eos ureret, eosque cogendo, ut adspicerent. Nam in limine eam apposuit, ne quis illorum exire posset. (A. U. 449.)

1. *Veneficii*. De *veneficio* leg. Liv. VIII; Oros. III, 10. (A. U. 422.)

2. *Pars capitali*. Pauperes præcipue capitali supplicio affectæ: aliarum vero pœna permissa traditur ipsarum maritis, propter infamiam.

3. *Tibicinum*. A. U. 442. Liv. IX, 30; Ovid. Fast. VI, 657; Plut. Problem. LV. — *Publicas privatasque*. Præter *publicas ferias* erant quoque *privatæ* singularum familiarum. *Publicæ* erant aut *statæ*, quæ stato tempore redibant, seu *conceptivæ*, quæ quotannis a magistratibus vel sacerdotibus concipiebantur, in dies vel certos vel etiam incertos; seu *imperativæ*, quæ pro re nata indicebantur; denique *nundinæ*, quum mercis causa conveniebant. Vide Macrob. I, 16. — *Concentus edit*. Mire torsit hic locus interpretes. *Persona* fuit capitis cooperimentum aliquod, quo utebantur; vulgo *larva* dicitur. *Varia vestis* dicitur, quæ non unius coloris est, sed multifarii. Sed quid sibi volunt hoc loco *feriæ*? quid *actiones*? Lipsius rescripsit: *publicas privatasque feriationes*, vocibus *ferias* et *actiones* sic conflatis: Vorst. prorsus fortasse expungendum *actiones* conjicit. Duo codd. habent *serias actiones*, eamque lectionem Torren. et Kapp. probant, atque ita explicant: *Tibicines oculos vulgi in se convertunt, quod, dum publice privatimque seriæ res ab omnibus agantur, illi hac utantur licentia, et sic ornati concentus edant*. Perizon. legendum suspicit *ferias et sacrificationes*, qualibus scil. verbis Noster gaudere solet, similiter paulo post *epulatio*. Notavit Theophil. unum ex antiquis exemplaribus non habere *actiones*.

4. *Inde*. Hæc particula non ad

Digitized by Google

Jovis, quod prisco more factitaverant, vesci, Tibur irati se contulerunt; quorum ministerio senatus deserta sacra[1] non æquo animo ferens, per legatos a Tiburtibus petiit, *ut eos gratia sua romanis templis restituerent*: quos illi in proposito perseverantes, interposita festæ epulationis simulatione, mero somnoque sopitos, plaustris in urbem devehendos curaverunt; quibus et honos pristinus[2] restitutus, et hujusce lusus jus est datum. Personarum[3] usus pudorem circumventæ temulentiæ causam habet.

5. Fuit etiam illa simplicitas antiquorum in cibo capiendo, humanitatis simul et continentiæ certissima index; nam maximis viris prandere[4] et cœnare in propatulo, verecundiæ non erat: nec sane ullas epulas habebant, quas populi oculis subjicere erubescerent: erant adeo continentiæ attenti, ut frequentior apud eos pultis usus, quam panis esset; ideoque in sacrificiis mola, quæ vocabatur[5], ex farre et sale constat; exta farre sparguntur, et pullis, quibus auspicia petuntur, puls[6] objicitur. Primitus enim ex libamentis[7] victus sui deos eo efficacius, quo simplicius, placabant.

6. Et cæteros quidem ad benefaciendum venerabantur; Febrem[8] autem ad minus nocendum, templis colebant,

præcedentia, sed ad sequentia referri debet. Sensus: *licentia, de qua dixi, sic orta est.*

1. *Quorum..... sacra.* Tibicines enim in sacrificiis præcinere soliti. — *Gratia sua.* Id est, si bona Tiburtinorum voluntate fieri posset.

2. *Honos pristinus.* Ut nimirum iterum in Jovis æde vescerentur.

3. *Personarum. Larvis* deinde usi sunt tibicines, quod puduit eos, se aliquando mero sopitos in urbem esse revectos.

4. *Prandere.* Hinc apparet, etiam *prandiá* antiquis in usu fuisse. Leges latæ fuerunt, ut patentibus ostiis cœnaretur.

5. *Vocabatur.* In nonnullis codd. rectius *vocatur*, quod ævo Valerii ita vocari non desierat. — *Farre.* Adoreum veteres appellavere. Plin. XXII, 25.

6. *Puls* vocatur et offa, itemque offa pultis. Vid. Cic. II, de Divin.

7. *Libamentis.* Libare (λείβειν, fundere) proprie est, partem et quidem primitias diis fundere. Primam potus partem libantes, se diis sacrificare dicebant.

8. *Febrem.* Vid. Plinium, II, 7,

Digitized by Google

quorum adhuc unum in Palatio, alterum in area[1] Marianorum monumentorum, tertium in summa parte Vici Longi exstat; in eaque remedia, quæ corporibus ægrorum adnexa fuerant, deferebantur. Hæc ad humanæ mentis æstus leniendos cum aliqua usus ratione excogitata : cæterum salubritatem suam industriæ certissimo ac fidelissimo munimento tuebantur; bonæque valetudinis eorum quasi quædam mater erat frugalitas, inimica luxuriosis epulis, et aliena nimiæ vini abundantiæ, et ab immoderato Veneris usu aversa.

CAPUT VI.

De externis Institutis.

1. Spartanorum frugalitas.— 2. Mos militaris eorumdem. —3. Atheniensium institutum contra otiosos et inertes. — 4. Areopagus eorumdem.— 5. Honos virtutis apud eosdem. —6. Animi ingrati actio apud eosdem. — 7. Massiliensium instituta varia. — 8. Ceiorum venenum publicum. — 9. Massiliensium lex de advenis armatis.— 10. Gallorum mos in mutuo dando.— 11. Cimbrorum Celtiberorumque mos in adeundis prælliis. — 12. Thracum opinio de vitæ calamitate. — 13. Lyciorum luctus. — 14. Indarum feminarum fidus amor erga maritos. — 15. Punicarum feminarum prostitutio. — 16. Persarum institutum in educandis liberis. — 17. Numidarum regum mos in auctoritate servanda.

1. Idem sensit proxima majorum nostrorum gravitati spartana civitas[2], quæ severissimis Lycurgi legibus obtem-

et Cic. de N. D. III, 25. Ælian. Var. hist. XII, 11; Augustin. de Civ. D. II, 14; Lactant. I, 20, 17; Minuc. Fel. XXV.

1. *In area Marianorum. Trophæa Marii* cimbrico bello parta, quæ a Sylla disjecta, et Cæsare dictatore instaurata esse, commemorat Sueton., a dextra viæ Prænestinæ, prope D. Juliani ædem exstant. Quæ quamvis mutilata, tamen horum in altero thorax cum clypeis, juvenisque captivi simulacrum brachiis post tergum revinctis, in altero vero varia belli instrumenta adhuc cernuntur. — *Vici Longi.* Cujus mentionem facit Liv. X, 23.

2. *Spartana civitas.* Nulla sane civitas, quantum novimus, cives magis luxuriæ contemptores et laboris patientiores effecit; sic, ut et virginibus palæstræ pulvis et venaticus labor placeret. Sic per Lycurgum assuefacti, diu principatum tenuerunt ; at per Lysandrum depravati, viribus paullatim sunt da-

Digitized by Google

perans, aliquamdiu civium suorum oculos a contemplanda Asia retraxit, ne illecebris ejus capti, ad delicatius vitæ genus prolaberentur : audierant enim, lautitiam[1] inde, et immodicos sumptus, et omnia non necessariæ voluptatis genera, fluxisse; primosque Ionas[2] unguenti, coronarumque in convivio dandarum, et secundæ mensæ ponendæ consuetudinem, haud parva luxuriæ irritamenta, reperisse. Ac minime mirum est, quod homines labore ac patientia gaudentes, tenacissimos patriæ nervos, externarum deliciarum contagione solvi et hebetari noluerunt; quum aliquanto faciliorem virtutis ad luxuriam, quam luxuriæ ad virtutem, transitum viderent : quod eos non frustra timuisse dux ipsorum Pausanias[3] patefecit, qui maximis operibus editis, ut primum se Asiæ moribus permisit, fortitudinem suam effeminato ejus cultu mollire non erubuit.

2. Ejusdem civitatis exercitus non ante ad dimicandum

stituti. Tanta Laconum continentia DCCC fere annos permansit. Vid. Xenoph. de Republic. Lacedæmon. Plerasque respub. nimiæ divitiæ et eximia fortuna, luxuriæ mater, pessum dedere. Inde cunctæ fere scelerum causæ, inde mollities animum enervavit : præcipiti via in singula fere vitia transcursum, eversa militaris disciplina, leges dissolutæ. — *Aliquamdiu.* Per D annos et quod excurrit, se ab Asia abstinuerunt. Cic. in or. pro Flacco DCC et amplius annos numerat.

1. *Lautitiam.* Idem quod splendor et magnificentia, ut supra, II, 4, 6. Mirum autem quod ut superiore illo, ita et hoc loco pro *lautitia* in quibusdam codd. sit *lætitia;* lectio est manifeste falsa, quæ ullo modo defendi nequit.

2. *Ionas.* Aut ab Javane, Noachi nepote, seu Ione, Xuthi filio, nomen traxisse feruntur. Herodotus, lib. I, ab Atheniensibus eos vult ortos. — *Unguenti.* Unguento non tantum linebant caput, sed pedes etiam, immo unicuique fere corporis parti idonea attribuerant unguenta. Coronis, e variis floribus consertis, unguentoque delibutis usi sunt ad prohibendam ebrietatem. Sertis autem caput et colla in conviviis amplectebantur, pocula cingebant, nec non ipsa triclinia ornabant. — *Secundæ mensæ.* Mensa secunda dicitur, quidquid ex fructibus aliisve rebus postremo loco apponitur.

3. *Pausanias.* De quo vide Nepotem nostrum, pag. 48, not. 3; et Thucyd. lib. I, cap. 130; — *Maximis operibus editis.* Mardonium præcipue, relictarum a Xerxe copiarum ducem, anno orbis 3505, apud Platæam devicit.

Digitized by Google

descendere solebant, quam tibiæ[1] concentu, et anapæsti pedis modulo cohortationis calorem animo traxissent, vegeto et crebro ictus sono strenue hostem invadere admoniti. Iidem ad dissimulandum et occultandum vulnerum suorum cruorem, puniceis[2] in prælio tunicis utebantur; non, ne ipsis adspectus ejus terrorem, sed ne hostibus fiduciæ aliquid afferret.

3. Egregios virtutis bellicæ spiritus Lacedæmoniorum, prudentissimi pacis moribus Athenienses subsequuntur: apud quos inertia[3] e latebris suis, languore marcens, in forum perinde ac delictum aliquod protrahitur, fitque, ut facinorosæ, ita erubescendæ rea culpæ.

4. Ejusdem urbis sanctissimum consilium[4] areopagus,

1. *Tibiæ*. Thucydides refert, Lacedæmonios non cornibus tubisve animum excitasse, sed potius *tibiarum* modulis temperasse. Nihil adeo in præliorum principiis ad virtutem salutemque aptius rati sunt, quam si mitioribus sonis permulsi, animi ferociam mitigarent. Plura hac de re leg. apud Gell. I, 11. — *Anapæsti*. Anapæstorum usu milites ad ictus crebro inferendos excitare voluerunt.

2. *Puniceis*. Vestimentis *rubris* in præliis utendi morem apud Numidas quoque et Persas obtinuisse, Plutarch. in Artax. et Xen. Cyrop. VI testantur. Romani etiam hoc colore usi, forsan ne cruor e vulneribus manans triste præberet spectaculum. Vide Lips. de Milit. Rom. IV, 12. Alias hujus coloris causas affert Ælian. VI, 6.

3. *Inertia*. Otii atque *inertiæ* publicam ap. Athenienses, mortalium cordatissimos, accusationem fuisse memoriæ proditum est. Cleanthes et Menedemus, philosophi, ejus rei coram areopagitis causam dixere. Singulis admodum annis cives coram judicio sese sistebant, rationem reddituri, cui arti quis se dedisset, quo quæstu vitam toleraret. Ita enim existimabat sapientissimus populus, vitam in actione consistere, ignavam plebem a civitatis suæ penetralibus arcendam. — *Latebris*. Inertis est, in otio atque tenebris delitescere. — *Facinorosæ*. Sic omnes edd. et MSS. Perizon. contendit tamen, omnino legendum *non facinorosæ*, quia *inertia*, nec bonis nec malis artibus operam dans, non videatur dici posse *facinorosa*. Athenienses tamen eam ut delictum et facinus puniebant, et ita eam pro *facinorosa*, non tantum pro *erubescenda*, habebant.

4. *Ejusdem.... consilium*. Quatuor codd. habent: *Est et ejusdem urbis sanctissimum concilium*, ac mox pro *quid quisque* potius *ubi quisque*. Verum pro nostra lectione stant codd. Torren. omnes et veteres editiones. — *Areopagus*. De Areopago (Ἀρείῳ

Digitized by Google

quid quisque Atheniensium ageret, aut quonam quæstu sustentaretur, diligentissime inquirere solebat; ut homines honestatem, vitæ rationem memores reddendam esse, sequerentur[1].

5. Eadem bonos cives corona decorandi primo consuetudinem introduxit, duobus oleæ connexis ramulis clarum Periclis[2] cingendo caput. Probabile institutum, sive rem, sive[3] personam intueri velis. Nam et virtutis uberrimum alimentum est honos; et Pericles dignus, a quo talis muneris dandi posteritas[4] potissimum initium caperet.

πάγῳ) Martio vico seu colliculo, legimus apud Pausan. in Atticis: Nomen suum inde adeptus, quod Mars ibi primus, Halirrhotio interfecto, judicio se sistere fuerit coactus. Hicce senatus, quem velut alteram ancoram populari imperio adhærere voluerat Solon, judicium exercebat de crimine capitali, præcipue vero de impietate, quod apparet ex eo, quod de Theodoro atheo narrat Laertius. Neminem quoque latet, cur Socrates ab areopagitis damnatus sit. Fuit hæc judicum curia sita non procul Acropoli, nempe circa προπύλαια, quæ vocant. Antequam actio intenderetur, cogebantur actor et reus, gravissimo se jurejurando obstringere, et bis inde causam orare. Judices autem sedebant in duobus argenteis scabellis, quorum unum *contumeliæ*, alterum *impudentiæ* dicebant, atque ita noctu et sub die summo cum silentio audiebant causas, adempta conciliandorum affectuum facultate, ne judicium animus a norma recti deflecteret. Inter judices, qui numero erant novem, erat olim et regi locus, qui corona deposita, judicabat. Jam ante Solonem hoc extitisse judicium vero simillimum est. Horum judicum in numerum cooptabatur nemo, nisi et stemmate nobilis et perspecta virtute dignus censeretur Græciæ totius judex. Hi etiam diligenter inquirebant, quid ageret Atheniensium quisque.

1. *Ut homines ..... sequerentur.* Sensus est: ut, si homines semper meminissent, rationem vitæ ipsis esse reddendam, honestatem sequerentur, neque turpi vita se macularent.

2. *Periclis.* Pericles, philosophus, orator et dux Atheniensium clarissimus, qui rempublic. athen. per XL annos mira prudentia gubernavit. Hic suggestum conscendens precari solitus est, ut nullum ex ore suo verbum exiret, quo populus offenderetur. Quintil. XII, 9; Ælian. Var. hist. IV, 10.

3. *Sive rem, sive.* Pighius prius *sive* omisit, nisi forte operarum typographicorum incuria evanuit. Potest tamen abesse, quum nihil frequentius sit, quam semel illam particulam poni, ubi bis videtur requiri.

4. *Posteritas.* Alii, *potestas.* Cur

Digitized by Google

6. Age, quid illud institutum Athenarum, quam memorabile? quod convictus a patrono libertus ingratus jure libertatis exuitur[1]. « Supersedeo te, inquit, habere civem[2], tanti muneris impium æstimatorem. Nec adduci possum, ut credam urbi utilem, quem domui scelestum cerno: abi igitur, et esto servus, quoniam liber esse nescisti. »

7. Inde Massilienses[3] quoque ad hoc tempus usurpant disciplinæ gravitatem, prisci moris observantia, caritate populi romani præcipue conspicui; qui tres in eodem manumissiones rescindi permittunt, si ter ab eodem deceptum dominum cognoverint. Quarto errori subveniendum non putant; quia sua jam culpa injuriam accepit, qui ei se totiens objecit. Eadem civitas severitatis custos acerrima est, nullum aditum in scenam[4] mimis dando, quorum argumenta majore ex parte stuprorum continent actus; ne talia spectandi consuetudo etiam imitandi licentiam sumat. Omnibus autem, qui per aliquam religionis simulationem alimenta inertiæ quærunt, clausas portas

posteritas ferri nequeat, non intelligimus.

1. *Quod convictus..... exuitur.* Illud de *libertis* in servitutem retractis, qui patronos non coluerant, aut legibus imperata non præstitissent, imitati quoque Romani. Vide Taciti Annal. XIII, 26, 27; Suidas περὶ ἀποστασίου.

2. *Civem.* Errat hic Valerius, qui servos simul cum libertate etiam *civitatem* accepisse existimat.

3. *Massilienses.* Massilia a profugis ex Ionia Phocæensibus, Persarum dominatum aversantibus, in littore Galliæ est exstructa inter barbaros Salyas, quum Cyrus rerum in Asia potiretur. De eorum erga Romanos amicitia, potissimum gallico tumultu, leg. Strabo geogr. III et IV; Justin. XLIII, 5. De eorum fide in Romanos, initio belli punici secundi, Livius XXI, 20, seq. De ejus civitatis virtutibus Cicero pro L. Flacco et Just. XLIV, 3, nec non Athenæus, et Tacitus in Agricola.

4. *In scenam.* Ne probati illorum mores corrumperentur. *Scenici* enim *ludi* lasciviæ sunt imagò: ac nisi aliis rebus roborantur animi, scena nationem imbellem reddere potest. Maxima quidem apud Græcos Romanosque fuit illorum licentia, Romæ tamen actores infames habiti. Augustinus de C. D. II, 13. De quibus longe alia ævo nostro est sententia, quo fere justo pluris æstimantur. Laus iis debetur tamquam artificibus, si qui

Digitized by Google

habet[1], et mendacem et fucosam superstitionem submovendam esse existimans. Cæterum a condita urbe gladius est ibi, quo noxii jugulantur; rubigine quidem exesus, et vix sufficiens ministerio, sed index in minimis quoque rebus omnia antiquæ consuetudinis monumenta servanda.

Duæ etiam ante portas eorum arcæ jacent : altera, qua liberorum; altera, qua servorum corpora ad sepulturæ locum plaustro devehuntur. Sine lamentatione, sine planctu luctus funeris die, domestico sacrificio, adjectoque necessariorum convivio, finitur[2]. Etenim quid attinet, aut humano dolori indulgeri, aut divino numini invidiam fieri, quod immortalitatem suam nobiscum partiri noluerit? Venenum cicuta[3] temperatum in ea civitate publice custoditur, quod datur ei, qui causas sexcentis (id enim senatus ejus nomen est) exhibuit, propter quas mors sit illi expetenda : cognitione virili benevolentia[4] temperata, quæ nec egredi vita temere patitur, et sapienter excedere cupienti

sunt; conferre possunt ad actionem studiaque oratoria, sed virtutis studium parum ipsi augebunt. Apud Romanos Roscius et Æsopus histriones clari.

1. *Clausas portas habet*, id est portas claudit. Μακρολογία est, quam Cicero etiam interdum amat, exempli gratia, *domitas habere libidines*, pro, *domare*.

2. *Luctus..... finitur*. Luctus non producitur, sed finitur ipso illo funebri die. Legendum itaque omnino : *luctus funeris die finitur*. Alii legunt : *sine lamentatione, sine planctu luctus funeris dies;* alii omittunt *luctus;* alii delent *planctu* et legunt: *sine luctu;* alii habent *sine lamentatione, sine planctu, sine luctu*. Cf. Torrenium et Kappium.

3. *Cicuta*. De cicuta lege Plinium, H. N. XXV. — *Sexcentis*. Usi sunt Massilienses republ. aristocratica, quam optimatum Latini dicunt, optimis legibus descripta, in quo συνέδριον erat virorum DC qui per omnem vitam in honore manebant. Hos τιμούχους vocabant. Concilio huic præerant viri XV, quorum munus erat, negotia obvia et minoris momenti expedire : et his rursum præsidebant tres, qui plurimum poterant. In Timuchorum ordinem nemo admittebatur, cui liberi non essent, cujusve pater, avus et proavus cives non fuissent. Legibus vivebant ionicis, unde oriundi erant, in publico propositis, ut cognitioni omnium paterent. Vide Strabonem.

4. *Cognitione virili benevolentia*. Cognitio est judicis disquisitio,

Digitized by Google

celerem fati viam præbet; ut vel adversa, vel prospera nimis usus fortuna (utraque enim finiendi spiritus, illa, ne perseveret, hæc, ne destituat, rationem præbuerit) comprobato exitu terminetur[1].

8. Quam consuetudinem Massiliensium non in Gallia ortam, sed e Græcia translatam inde existimo, quod illam etiam in insula Cea[2] servari animadverti, quo tempore Asiam cum Sex. Pompeio petens, Julida oppidum intravi. Forte[3] enim evenit, ut tunc summæ dignitatis ibi femina, sed ultimæ jam senectutis, reddita ratione civibus, cur excedere vita deberet, veneno consumere se destinarit, mortemque suam Pompeii præsentia clariorem fieri magni æstimarit. Nec preces ejus vir ille, ut omnibus virtutibus, ita humanitatis quoque laudibus instructissimus, adspernari sustinuit. Venit itaque ad eam, facundissimoque sermone, qui ore ejus quasi e beato quodam eloquentiæ fonte manabat, ab incepto consilio diu nequidquam revocare conatus, ad ultimum propositum exsequi passus est: quæ nonagesimum annum transgressa, cum summa et animi et corporis sinceritate, lectulo, quantum dignoscere erat, quotidiana consuetudine cultius strato[4] recubans, et innixa

quæ hoc loco neque nimis severa, neque nimis facilis est, sed virili benevolentia temperatur.

1. *Comprobato exitu terminetur.* Si judex propositum hominis, mori cupientis, laudaverit, et adscensu suo comprobaverit, moritur. *Terminari* enim est pro *mori*, ut *finiri* infra l. III, c. 2, ext. 6; lib. IX, c. 12, ext. 4.

2. *Cea.* Ita in emendatioribus MSS. legitur, item *Cæo* vel *Ceo*, in aliis *Chio* vel *Coo*. Diversas autem insulas esse *Ceos* vel *Cæos*, *Chios* et *Cos*, cosmographorum omnium consensu et demonstratione manifestum est. Ex his *Ceon* olim Tetrapolim fuisse, postea duabus urbibus *Coressa Pocessaque* mari haustis in duas reliquas *Julida Carthæamque* habitatores earum migrasse, Strabo et Plinius tradunt. Sed temere confunduntur apud auctores tam græcos quam romanos dictarum insularum nomina, idque negligentia librariorum.

3. *Forte.* Circiter A. U. 771. — *Destinarit.* Tredecim MSS. *destinaret*, et mox totidem *æstimaret*, nonnulli *existimaret*.

4. *Cultius strato.* Mulier mori cupiens ornaverat lectum magnifi-

Digitized by Google

cubito, « Tibi quidem, inquit, Sex. Pompei, dii magis, quos relinquo, quam quos peto, gratias referant : quia nec hortator vitæ meæ, nec mortis spectator esse fastidisti. Cæterum ipsa hilarem fortunæ vultum semper experta, ne aviditate lucis tristem intueri cogar, reliquias spiritus mei prospero fine, duas filias, et septem nepotum gregem superstitem relictura, permuto[1]. » Cohortata deinde ad concordiam suos, distributo eis patrimonio, et cultu[2] suo sacrisque domesticis majori filiæ traditis, poculum, in quo venenum temperatum erat, constanti dextra arripuit. Tum defusis Mercurio delibamentis[3], et invocato numine ejus, ut se placido itinere in meliorem sedis infernæ deduceret partem, cupido haustu mortiferam traxit potionem. Ac sermone significans, *quasnam subinde partes corporis sui rigor*[4] *occuparet*, quum jam visceribus eum et cordi imminere esset eloquuta, filiarum manus ad supremum opprimendorum oculorum officium advocavit. Nostros autem,

centius, quod illum diem inter maxime festos referebat. — *Dii magis.* Id est, dii superi, non inferi : aut, Cæsar et senatus, non cælites.

1. *Reliquias spiritus..... permuto.* Id est, dum felix sum, vitam finio seu morior. In nonnullis codd. pro *permuto* legitur *permitto;* minus bene.

2. *Cultu suo.* Moris fuit, ut sacra domestica, quæ diis penatibus fiebant, majoribus natu liberis traderentur. Aliter explicant Torren. et Kapp. dum *cultum* potius intelligunt de vestibus, unionibus aliisque ornamentis a majoribus hereditate relictis, quæ apud veteres sacra habebantur.

3. *Delibamentis.* Libamen aut delibamentum erat vini aut alius potionis particula, quam inter epulas in honorem alicujus dei in mensam aut terram, vel inter sacra in aram effundebant. Liv. X, 42, in fin. Ita ergo et hæc ceensis femina potionis venenatæ aliquid Mercurio delibamentum defudit. Hic enim præesse animabus credebatur.

Animas ille evocat Orco
Pallentes, alias sub tristia Tartara mittit.

Virg. Æn. IV. — *Placido itinere.* Id est, sine mortis terroribus. — *Meliorem..... partem.* De campis *Elysiis*, aut fortunatis insulis, leg. Virg. lib. VI Æneidos.

4. *Rigor.* Conveniunt hæc prorsus cum iis, quæ de exitu Socratis narrat Plato in Phædone. — *Opprimendorum oculorum.* Mos antiquissimus ad nos usque translatus, ut propinquiores aut amici intimi lumina clauderent illius, qui modo animam efflasset.

Digitized by Google

tametsi novo spectaculo obstupefacti erant, suffusos tamen lacrimis dimisit.

9. Sed ut ad Massiliensium civitatem, unde in hoc deverticulum excessi, revertar, intrare oppidum eorum nulli cum telo licet; præstoque est, qui id custodiæ gratia acceptum, exituro reddat, ut hospitia sua, quemadmodum advenientibus humana sunt, ita ipsis[1] quoque tuta sint.

10. Horum mœnia egresso vetus ille mos Gallorum occurrit, quos memoria proditum est, pecunias[2] mutuas, quæ his apud inferos redderentur, dare solitos; quia persuasum habuerunt, animas hominum immortales esse: dicerem stultos, nisi idem braccati[3] sensissent, quod palliatus Pythagoras credidit.

11. Avara et fœneratoria Gallorum philosophia[4]: alacris et fortis Cimbrorum[5] et Celtiberorum, qui in acie

1. *Ipsis.* Ad *peregrinos* refert Rupert. immo de *Massiliensibus* intelligendum. Poterat vox plane abesse, si ad hospites referretur, sufficeret enim *advenientibus.*

2. *Pecunias.* Legas, quæ Mela, III, 2, de *Druidibus* refert.

3. *Bracoati.* Id est, *Galli.* Omnis enim Gallia olim in tres partes est divisa: in *togatam* (seu cisalpinam, Rubicone flumine et Alpibus terminatam), *comatam* (seu transalpinam, quæ est belgica, celtica, aquitanica), et *braccatam*, seu narbonensem, Romanorum provinciam. Braccati vero hoc loco sunt inprimis Druidæ. Nec soli Galli, sed et Germani et Sarmatæ, immo et Getæ et Persæ braccis usi sunt, quas barbarum tegmen Tacitus vocat. Romæ tamen postea invaluerunt ita, ut ab Honorio et Arcadio hoc vestimenti genus compesceretur legibus. Vide Cod. Theodosianum. — *Palliatus.* Id est, græcus, quia Græci palliis utebantur. Possit et ideo dictus videri *palliatus*, quod philosophus fuit. Philosophi enim palliis usi. De *Pythagora* ejusque μετεμψυχώσει cuivis constat. Hic tandem, quum diu, simulque ejus uxor *Theano*, profuisset Crotoniatis, et plurimis utilibus repertis nominis immortalitatem sibi peperisset, extra urbanos strepitus in remotissimis locis consenuit. Obiit Metaponti, atque ejus domus in templum mutata. Vide Jamblichum de vit. Pythag.

4. *Avara..... philosophia.* Quod præcipue Druides docerent, animas hominum esse immortales, et pecunias posse dari mutuas, quæ apud inferos redderentur.

5. *Cimbrorum.* An eorum nomen a *Gomer*, aut a *Kemper* seu *Kæmpfer* derivandum sit; an *Sicambri* pro victoria (*Sieg*) dimicantes de-

Digitized by Google

gaudio exsultabant, tamquam gloriose et feliciter vita excessuri; lamentabantur in morbo, quasi turpiter et miserabiliter perituri: Celtiberi etiam nefas esse ducebant, prælio superesse[1], quum is occidisset, pro cujus salute spiritum devoverant. Laudanda utrorumque populorum animi præsentia[2], quod et patriæ incolumitatem fortiter tueri, et fidem amicitiæ constanter præstandam arbitrabantur.

12. Thraciæ[3] vero illa natio merito sibi sapientiæ, laudem vindicaverit, quæ natales hominum flebiliter exsequias cum hilaritate celebrat: sine ullis doctorum præceptis, verum conditionis nostræ habitum[4] pervidit. Removeatur itaque naturalis omnium animalium dulcedo vitæ, quæ multa et facere et pati turpiter cogit; si ea mortua[5] ejus aliquanto felicior ac beatior finis reperietur.

notet, aliis dijudicandum relinquo. Cæterum bellis et latrociniis dediti dicebantur, ut et aliæ feræ aut semiferæ nationes. Vid. Ptolemæus et Mela. — *Celtiberorum.* Est hic populus Hispaniæ Tarraconensis. Legas de his et Gallorum *solduriis* Cæs. de B. G. III, 22, et simile quid, quod Tacitus de Germanis narrat, cap. 13, de comitibus. — Ita Celtiberi pro Sertorii salute spiritum devoverant. In bellum enim proficiscentes jurabant in manus imperatoris, se pro illius salute fortiter pugnaturos. — *In acie gaudio exsultabant.* Sic codd. MSS. Verum Cicer. Tusc. II, 27, unde Valer. hausit, *in prœliis.* Vocem *gaudio*, in multis edd. casu vel de industria omissam, Torr. reposuit.

1. *Prœlio superesse.* Idem de iisdem Sallustius prodidit. Cf. Cæsar de B. G. III, 22; vol. I, p. 123.

2. *Animi præsentia.* Gallorum puta et Celtiberorum. Nonnulli codd. habent *præstantia*; sensu minus apto. In plerisque MSS. est pn̄tia, quo compend. non *præstantia*, sed *præsentia* significatur.

3. *Thraciæ.* Observat Colerus, *Thracibus* id commune fuisse cum Agathyrsis, Cæsiis, Henlochis, Indis, Albanis, aliisque. Vide Herodotum, V; Melam, V, 1. Ex ritibus, opinionibus, sententiis, quæ communes sunt remotissimis gentibus, interdum populi originem conjicere licet. Sed cavendum ne in vagas conjecturas abeamus.

4. *Conditionis nostræ habitum.* Id est, vitæ nostræ miseriam.

5. *Ea mortua.* Expunxit Pighius; sed hæc verba plurium codd. auctoritate nituntur, nec possunt hic abesse. Dixit enim auctor de dulcedine vitæ; remorandam scil. eam esse. Hujus rationem addit: quod mortua, id est, remota, s. exstincta dulcedine vitæ, aliquanto felicior ipsius quoque vitæ finis reperiatur.

Digitized by Google

13. Quocirca recte Lycii[1], quum iis luctus incidit, muliebrem vestem induunt: ut deformitate cultus commoti, maturius stultum projicere mœrorem velint.

14. Verum quid ego fortissimos hoc in genere prudentiæ viros laudem? Respiciantur Indorum[2] feminæ, quæ quum more patrio complures eidem nuptæ esse soleant, mortuo marito, in certamen judiciumque veniunt, quam ex iis maxime dilexerit. Victrix gaudio exsultans, deductaque a necessariis lætum præferentibus[3] vultum, conjugis se flammis superjacit, et cum eo tamquam felicissima crematur: superatæ cum tristitia et mœrore in vita remanent. Protrahe in medium cimbricam audaciam, adjice celtibericam fidem, junge animosam Thraciæ sapientiam, annecte Lyciorum in luctibus abjiciendis callide quæsitam rationem; indico tamen rogo nihil eorum præferes, quem uxoris[4] pietas in modum genialis tori propinquæ mortis secura conseendit.

15. Cui gloriæ, punicarum feminarum, ut ex comparatione turpius appareat, dedecus subnectam. Siccæ[5] enim

1. *Lycii.* Lycia, minoris Asiæ provincia, Pamphyliæ, Cariæ Ciliciæque confinis. Cæteris claritate præstantior civitas erat *Patara*, in qua fuit Apollinis oraculum. Inde Lyciæ sortes.

2. *Indorum.* Vid. Solinus de India: de Thracibus autem hoc narrat Herod. V.

3. *Præferentibus.* Alii: *præferens.* Male. Nam de ipsa jam dixerat: *gaudio exsultans.*

4. *Uxoris.* Quinque MSS. et ed. Mog. habent *uxoria*, quod Torren. probat. — *Genialis tori.* Genialis torus seu lectus est, qui novæ nuptæ in ipsis nuptiis magnifice stratus est, ita dictus, quod sacer esset *Genio.* Hic fuit ex mente priscorum tutelare hominis numen, benignus voluptatis fautor, cui tranquillitas et gaudium curæ suæ commissi, cordi fuit. Inde loquutiones: defraudare genium, genio indulgere, etc.

5. *Siccæ.* Eo quidam referunt *Succoth Benoth*, Assyriorum et Phœnicum deam, a qua nomen traxisse dicitur colonia africana. Vid. Athanas. Orat. advers. gent.; Sozomen. Hist. eccl. I, 5 et V, 9; Plin. V, 2, 3; Mela I, 5 et reliqui geographi. *Matronæ* istæ *Siccenses* oriundæ erant ab illis Cypriis, quas Justinus, lib. XVIII, refert, ab Elissa raptas et in Africam translatas. Hæ morem, quem in patria didicerant, ad posteros in ipsa Africa transmiserunt. Similem morem Strabo II, Arme-

Digitized by Google

fanum est Veneris, in quod se matronæ conferebant, atque inde procedentes ad quæstum, dotes corporis injuria contrahebant, honesta nimirum tam inhonesto vinculo conjugia juncturæ.

16. Nam Persarum admodum probabile institutum fuit, quod liberos suos non prius adspiciebant, quam septimum[1] implessent annum, quo parvulorum amissionem æquiore animo sustinerent.

17. Ne Numidiæ[2] quidem reges vituperandi, qui more gentis suæ nulli mortali osculum[3] ferebant; quidquid enim in excelso fastigio positum est, humili et trita consuetudine, quo sit venerabilius, vacuum esse convenit.

CAPUT VII.

De disciplina militari observata a Romanis.

1. P. Scipione Æmilio cos. — 2. Q. Metello Numidico cos. — 3. P. Rupilio cos. — 4. C. Aurelio Cotta cos. — 5. Q. Fulvio Flacco cens. — 6. A. Postumio Tuberto dict., et T. Manlio Torquato cos. — 7. L. Quinctio Cincinnato dict. — 8. L. Papirio Cursore dict. — 9. L. Calpurnio Pisone cos. — 10. Q. Metello Macedonico procos. — 11. Q. Fabio Max. Serviliano procos. — 12. P. Africano majore procos. — 13. P. Africano minore procos. — 14. L. Æmilio Paullo procos. — 15. Senatu romano.

De disciplina militari observata ab Externis.

1. Senatu Carthaginiensi. — 2. Clearcho Spartanorum duce.

DE DISCIPLINA MILITARI[4] OBSERVATA A ROMANIS.

Venio nunc ad præcipuum decus, et ad stabilimentum romani imperii, salutari perseverantia ad hoc tempus

niis; Herodotus, I, 93 et Ælian. IV, 1, Lydis tribuunt. — *Corporis injuria*, id est, stuprum passæ. *Injuria* nimirum *passive* hoc loco dicitur.

1. *Septimum*. Herod. loco citato non ante *quintum* annum id factum esse scribit.

2. *Numidiæ*. Aliquot MSS. *Numidæ*, quod Torren. probat.

3. *Osculum*. Apud Romanos principes *osculo* excipere solebant cives digniores. Vide Sueton. et Plin.

4. *De disciplina militari*. Hic demum in MSS. et editionibus vete-

Digitized by Google

sincerum et incolume servatum, militaris disciplinæ tenacissimum vinculum[1]; in cujus sinu ac tutela serenus tranquillusque beatæ pacis status adquiescit[2].

1. P. Cornelius Scipio, cui deleta Carthago[3] avitum cognomen dedit, consul in Hispaniam missus, ut insolentissimos numantinæ urbis spiritus, superiorum ducum culpa nutritos, contunderet, eodem temporis momento, quo castra intravit, edixit, ut omnia ex his, quæ voluptatis causa comparata erant, auferrentur ac submoverentur; nam constat, tum maximum inde institorum[4] et lixarum numerum cum duobus millibus scortorum abisse. Hac turpi atque erubescenda sentina vacuefactus[5] noster exercitus, qui paullo ante metu mortis, deformi se fœderis ictu

ribus est initium capitis *secundi*.

1. *Vinculum*. Vid. infra c. 9, *init*.

2. *In cujus sinu ..... adquiescit*. Prima *bellicæ artis* velut origo, reperitur apud Ægyptios, quum antea permista barbarorum turba temere se invicem et quibuscunque armis, sicut et nunc incultæ gentes, adoriretur. Nec non Israelitæ composita acie decertasse videntur. Parum sane artis erat in expeditionibus Herculis, plus forsan in bello thebano. Regulas quasdam accuratiores sequuti Græci cum Trojanis bellantes. Magis exculta est bellandi ars in tot Græcorum bellis, et inter se et cum Persis : sed nulla natio multiplicem hanc artem magis perfecit, quam Romani, quibus per DCC fere annos bis tantum contigit, clauso Jani templo, pace frui; nec apud ullam gentem severior erat disciplina militaris; qua de re leg. Polybius et Vegetius.

3. *Deleta Carthago*. Non facile ullius causam belli fuisse injustiorem, fatetur Florus, II, 18. — *Numantinæ urbis*. Numantia urbs Celtiberorum in Hispania.

4. *Institorum et lixarum*. Institores dicuntur, qui jumenta, quibus venalia vehuntur, agunt; erant enim negotiatores, qui res esculentas a loco ad locum trahebant : dicti sunt institores, eo quod instant jumentis, quæ mercibus suis onerata impellunt ad locum, ubi merces emere seu vendere consueverunt. *Lixæ* autem sunt mercenarii, qui exercitus in expeditione sequuntur, ut pistores, coqui; sed proprie sic dicuntur ministri militum, aquam illis afferentes; nam antiqui *lixam* aquam dixere : unde *elixum* aqua coctum, et *elixare* aqua mollire.

5. *Vacuefactus*. Vacuefieri legitur apud Nepotem, V, 2, 5 et XX, 3, 2. — *Deformi... maculaverat*. Pactum fœdus turpe per *Mancinum*, a Numantinis victum. Vide Liv. LV et LVI; Flor. II, 18. Ipse Mancinus hostibus deditus, ut omni religione populus roman. solveretur. An. U. 619. — *Merces*. Hoc est, præmium.

Digitized by Google

maculaverat, erecta virtute recreataque, acrem illam et animosam Numantiam incendiis exustam, ruinisque prostratam, solo æquavit: itaque neglectæ disciplinæ militaris indicium, Mancini miserabilis deditio; servatæ merces, speciosissimus Scipionis triúmphus exstitit.

2. Ejus sectam Metellus sequutus[1], quum exercitum in Africa, Jugurthino bello nimia Sp. Albini indulgentia corruptum consul accepisset, omnibus imperii nervis ad revocandam pristinæ disciplinam militiæ connisus est; nec singulas partes apprehendit, sed totam continuo in statum suum redegit; protinus namque lixas e castris submovit, cibumque coctum[2] venalem proponi vetuit; in agmine neminem militum ministerio servorum jumentorumque, ut arma[3] sua et alimenta ipsi ferrent, uti passus est; castrorum subinde locum mutavit: eadem, tamquam Jugurtha semper adesset, vallo fossaque aptissime cinxit. Quid ergo restituta continentia, quid repetita industria profecit? Crebras scilicet victorias, et multa tropæa[4] peperit ex eo hoste, cujus tergum, sub ambitioso imperatore, romano militi videre non contigerat.

3. Bene[5] etiam illi disciplinæ militari adfuerunt, qui

1. *Sectam...sequutus. Sectam sequi,* pro partes sequi, legitur etiam apud Ciceronem et Livium. An. U. 644. — *Sp. Albini.* De quo Sallust. bell. Jug. et Front. IV, 1.

2. *Cibumque coctum.* Vid. Varro de L. L. 6; Nepos, XVIII, 8, 7; Liv. XXI, 49.

3. *Ut arma.* Perizon. mutare vult locum. Sed nihil opus. Sensus est: *non passus est milites in agmine uti ministerio servorum, et sic coacti sunt milites ipsi et arma sua et alimenta portare.*

4. *Tropæa.* Tropæum est monumentum a victore erectum e congerie armorum hostibus ademptorum, et in stipite aut columna fixorum, eo, quo hostes in fugam verterant, loco. Nam tropæum a τρέπειν. Deinde etiam (vide Flor. III, 2) ex lapide fieri cœpta sunt tropæa. Romæ quoque fixerunt ea in arcibus e marmore exstructis; aut ipsis, quibus dimicaverant, locis saxeas erexere turres, quas hostilibus armis ornabant. Græci jam multo ante tropæa figere soliti erant. — *Ambitioso imperatore.* Albino, qui militum studia ambiens et captans, eorum libidini indulsit.

5. *Bene.* An. U. 621. In Sicilia

Digitized by Google

necessitudinum perruptis vinculis, ultionem vindictamque læsæ, cum ignominia domuum suarum, exigere non dubitaverunt. Nam P. Rupilius consul eo bello, quod in Sicilia cum fugitivis gessit, Q. Fabium generum suum, quia negligentia tauromínitanam[1] arcem amiserat, provincia jussit decedere.

4. Jam[2] C. Cotta P. Aurelium Pecuniolam, sanguine sibi junctum, quem obsidioni liparitanæ ad auspicia repetenda Messanam transiturus præfecerat, virgis cæsum, militiæ munere inter pedites fungi coegit, quod ejus culpa agger incensus, et pæne castra fuerant capta.

5. Q. etiam Fulvius Flaccus[3] censor, Fulvium fratrem, cohortem legionis, in qua tribunus militum erat, injussu

fuit hoc servile bellum, quod gessit Syrus Eunus. Post aliquam cladem Perpenna illud finiit crudeli servorum supplicio. Vide Florum, III, 19. Nec mirum, servos sæpe extrema ausos, quum durissima eorum inter Rom. sors fidem prope excedat.

1. *Tauromínitanam.* Tauromínium mons est Siciliæ, et in eo oppidum, quod incoluisse romanam coloniam asserit Ptolemæus. Vide Strabonem, VII.

2. *Jam.* An. U. 501. Front. IV, 31. — *Obsidioni liparitanæ.* Lipara, una septem insularum æoliarum. Vide supr. I, 1, 4. — *Ad auspicia repetenda.* Quod tabernaculum non rite esset captum. Solebant enim imperatores romani, quum malum omen incidisset, nonnunquam ab exercitu Romam reverti *ad auspicia repetenda* sive *renovanda.* Hic vero C. Cotta Messanam transiit, urbem capitalem Siciliæ, quæ ipsi provincia obvenerat. — *Militiæ munere.* Pigh. addidit *gregalis;* præter omnem necessitatem, quum id jam *militiæ* indicet. — *Agger.* Pro *agger* alii habent *ager;* pro *incensus* alii cum Lipsio, qui quærit, num terra incendi potuerit? textum mutare malunt. Sed bene se habet antiqua lectio, quum agger castrorum varia materia aggesta, trabibus etiam ac fascibus conficeretur, quod innumera aliorum scriptorum loca confirmant.

3. *Fulvius Flaccus.* An. U. 579 et 573. Vide Liv. XL et XLI. Factum est in bello servili Sicilia gesto. — *Cohortem.* Cohors habuit quatuor manipulos, hastatos, principes, triarios, velites. Omnis manipulus hominum CXX, præter triariorum, qui erat LX. Ita plena cohors hominum 420. Si pleniores manipuli et legiones, plenior et ipsa; inde cohortes quingenarias et sexcenarias legimus. Græci cohortem vulgo vocant σπεῖρον. Cohortes omnes in legionibus erant numero æquales, quia et manipuli tales. Sed primæ, nec non ejus centurioni, quidam dignitatis

Digitized by Google

consulis domum dimittere ausum, senatu movit. Non digna exempla, quæ tam breviter, nisi majoribus urgerer, referrentur. Quid enim tam difficile factu, quam copulatæ societati generis et imaginum, deformem in patriam reditum indicere? aut communioni nominis, ac familiæ veteris propinquitatis serie cohærenti, virgarum[1] contumeliosa verbera adhibere? aut censorium supercilium[2] adversus fraternam caritatem destringere? Dentur hæc singula quamvis claris civitatibus : abunde tamen gloria disciplinæ militaris instructæ videbuntur[3].

6. At[4] nostra urbs, quæ omni genere mirificorum exemplorum totum orbem terrarum replevit, imperatorum pro

primatus attribuebatur. Perizon. pro *cohortem* reposuit *consortem*. Non enim unam legionis cohortem, sed integram legionem *dimiserat*. Certe *consors* appellatur a Livio et Vellejo. Sed obstat emendationi auctoritas omnium MSS. — *Tribunus militum*. Tribuni seni in quaque legione erant. Creati primum a Romulo, ejusque exemplo a regibus et consulibus, donec et populus in hunc honorem jus et suffragium sibi sumpsit, circit. an. u. 393. Quum vero minus idonei crearentur per ambitum et gratiam, populus exclusus. Sed non ita multo post populus jus repetiit, ita tamen, ut parem numerum consules et populus crearent. Qui a populo creabantur, digniores habiti et *comitiati* dicti, quia Romæ in comitiis designabantur : qui a coss. in exercitu, *rutili* sive postea *rufuli* dicti. Prætores aut coss. aut qui pro eis, sæpe in provinciis creabant tribunos; hi vero in annos mutabantur. Tribunorum duplex genus : equites et plebeii. Plures ex equitibus, non raro etiam ex senatoribus, præsertim graviore bello : alioquin sæpe gradus hic ad senatorium ordinem erat. Inde eorum discrimen, quo laticlavii et angusticlavii nominati sunt. Hæc dignitas ambitiose petita, et quo pluribus gratificari possent, semestris facta. Quia etiam annulo aureo utebantur tribuni, hinc *semestre aurum* eorum dignitatem vocat Juvenalis.

1. *Virgarum*. Loquitur de Aurelio, quem Cotta virgis cædi jussit.

2. *Censorium supercilium*. Severitas : nam in torvo *superciliorum* motu quædam tristis severitas seu austeritas ostenditur. — *Destringere*. Minari seu exercere. A gladiatoribus desumpta vox, qui gladium *distringunt* in adversarios.

3. *Dentur*..... *videbuntur*. Id est, si civitates, quæ rerum sunt potitæ, singulæ unum tantum exemplum haberent eorum, quæ ostendimus, abunde tamen observasse viderentur severam disciplinam militarem.

4. *At*. An. U. 322. Vide Diodor. Sic. XII; Liv. IV; Gell. XVII, ult.

Digitized by Google

prio sanguine manantes secures, ne turbato militiæ ordine vindicta deesset, e castris publice speciosas, privatim lugubres, duplici vultu recepit: incerta, gratulandi prius, an alloquendi[1] officio fungeretur. Igitur ego quoque hæsitante animo vos bellicarum rerum severissimi custodes, Postumi[2] Tuberte, et Manli Torquate, memoria ac relatione complector; quia animadverto fore, ut pondere laudis, quam meruistis, obrutus, magis imbecillitatem ingenii mei detegam, quam vestram virtutem, sicut par est, repræsentem. Tu namque, Postumi dictator, A. Postumium, quem ad generis penetraliumque sacrorum[3] successionem propagandam genueras, cujus infantiæ blandimenta sinu atque osculis foveras, quem puerum literis, quem juvenem armis instruxeras, sanctum, fortem, amantem tui pariter ac patriæ, quia non tuo jussu, sed sua sponte præsidio progressus, hostes[4] fuderat, victorem securi feriri jussisti; et ad hoc peragendum imperium paternæ vocis ministerio sufficere valuisti; nam oculos tuos, certum scio, clarissima in luce tenebris offusos, ingens animi opus intueri nequivisse. Tu item[5], Manli Torquate, latino bello consul, filium, quod provocatus a Geminio Metio duce Tusculanorum ad dimicandum te ignaro descenderat, gloriosam victoriam et speciosa spolia referentem, abripi a lictore, et in modum hostiæ mactari jussisti; satius esse judicans, patrem forti filio, quam patriam militari disciplina carere.

1. *Alloquendi.* Alloqui sæpius denotat παραμυθεῖσθαι, consolari. Vid. Varro de L. L. V, et Valerius ipse infra IV, 6.

2. *Postumi.* Bello fidenati, de quo Livius loco citato.

3. *Penetraliumque sacrorum.* Mos erat antiquitus, fortasse ex Oriente translatus, ut domesticis sacris ex filiis majores natu præficerentur. — *Propagandam.* Propagari dicuntur præcipue vites, a quibus subterranea flagella deducuntur.

4. *Hostes.* Fidenates.

5. *Tu item.* An. U. 413. Liv. VIII, 7; Gell. IX, 13; Flor. I, 14; Aurel. Vict. de Vir. illustrib. 28, aliique. — *Te ignaro.* Prohibuerat pater, quidquam se absente in hostem moliri.

Digitized by Google

7. Age, quanto spiritu putamus usum L. Quinctium Cincinnatum dictatorem eo tempore[1], quo devictis Æquis et sub jugum missis, L. Minucium consulatum deponere coegit, quod castra ejus iidem hostes obsederant? Indignum enim maximo imperio credidit, quem non sua virtus, sed fossa vallumque tutum præstiterat; cuique verecundiæ non fuerat, arma romana metu trepida clausis portis contineri. Ergo imperiosissimi XII fasces[2], penes quos senatus, et equestris ordinis, et universæ plebis summum decus erat, quorumque nutu Latium, ac totius Italiæ vires regebantur, contusi atque fracti dictatoriæ se animadversioni substraverunt; ac ne inulta foret læsa gloria militaris, consul delicti omnis vindex punitus est. His, ut ita dicam, piaculis[3], Mars imperii nostri pater, ubi aliqua ex parte a tuis auspiciis degeneratum erat, numen tuum propitiabatur, affinium et cognatorum et fratrum nota, filiorum strage, ignominiosa consulum ejuratione[4].

8. Ejusdem ordinis est, quod sequitur[5]: Papirius dictator, quum adversus imperium ejus Q. Fabius Rullianus, magister equitum, exercitum in aciem eduxisset, quamquam fusis Samnitibus[6] in castra redierat, tamen neque

1. An. U. 295. Vide Liv. III; Dionys. X. — *Iidem hostes.* Æqui et Volsci.

2. *Imperiosissimi XII fasces.* Id est, *consul; cujus maxima potestas; cujusque nutu,* ut mox subjicit, *Latium ac totius Italiæ vires regebantur.* Sed hyperbolicum hic agit Valer. declamatorem. Nam tantum aberat, ut tempore Cincinnati tota Italia Romanis pareret, ut ne quidem *Italia propria* tunc in eorum ditione esset.

3. *Piaculis.* Id est, expiationibus. — *Mars..pater.* A diis trahere ortum, multi simularunt antiquarum gentium. Ita primos suos auctores, vel, qui primum coloniam in aliquam terram duxerant, in deorum retulere numerum. Sic Romanis honestius visum, a *Marte*, quam a mortali obscuro sane atque ignoto ducere originem.

4. *Ejuratione.* Ejuratio est abdicatio, quæ fit aut ab ipso consule, aut ab alio. Hic intelligere Valerius videtur consulum abdicationem, qua illi ab aliis sunt abdicati.

5. *Quod sequitur.* An. U. 429. Liv. VIII, 24, 25; et Front. IV et V.

6. *Samnitibus.* Samnites medii inter Picenum, Campaniam et Apu-

Digitized by Google

virtute ejus, neque successu, neque nobilitate motus, virgas expediri, eumque nudari jussit. O spectaculum admirabile, et Rullianus, et magister equitum, et victor, scissa veste, spoliatoque corpore, lictorum verberibus lacerandus[1] : ut in acie exceptorum vulnerum nodosis ictibus[2] cruore renovato, victoriarum, quas modo speciosissimas adeptus erat, titulos respergeret. Precibus deinde suis exercitus occasionem Fabio confugiendi in urbem dedit; ubi frustra senatus auxilium imploravit. Nihilominus enim Papirius in exigenda pœna perseveravit. Itaque coactus est pater ejus, post dictaturam tertiumque consulatum, rem ad populum[3] devocare, auxiliumque tribunorum plebis supplex pro filio petere. Neque hac re severitas Papirii[4] refrenari potuit; cæterum, quum ab universis civibus, et ipsis tribunis plebis rogaretur, testatus est, *non pœnam illam se Fabio, sed populo romano et tribunitiæ concedere*[5] *potestati.*

9. L. quoque Calpurnius Piso[6] consul, quum in Sicilia bellum adversus fugitivos gereret, et C. Titius, equitum

liam : vicini etiam Privernatibus. Vide Eutrop. II. Eorum regio ducatus beneventanus postea dictus ; *Abruzzo* hodie. — *Neque virtute..... motus.* Vide Cic. ad fam. l. IX, ep. ad Paetum.

1. *Lacerandus.* Non vere *lacerandum se* præbuit, sed antequam spoliaretur aufugit. Legendum scilicet omnino cum Pigh. *lacerandus*, neutiquam ut vulgo : *se verberibus lacerandum præbuit*, quidquid contra dicat Kapp. ut Valerium ita scripsisse ostendat. Torrenius mavult *præbuerit ;* frustra.

2. *Ictibus*, scilicet virgarum. — *Speciosissimas.....titulos.* Vulgo male et legunt et distinguunt : *speciosissimos adeptus erat titulos ;* nam comma ponendum est ante *titulos*, et legendum *speciosissimas*, ut recte habent viginti MSS. et edd. veteres

3. *Ad populum.* Penes *populum* enim summa erat potestas. Sic exempli causa lege Valeria cautum, ne quis ullum magistratum sine provocatione crearet; qui creasset, eum jus et fas erat occidi.

4. *Severitas Papirii.* Quæ sic exercitus animum a dictatore Papirio avertit, ut, quum possent deinde, eo duce vincere nollent.

5. *Concedere*, id est, remittere, condonare.

6. *Calpurnius Piso.* An. U. 620. Frontin. l. IV, c. 1. Pisonum domus Horatio teste de Arte poet. Numa deducebat originem.

Digitized by Google

præfectus, fugitivorum multitudine hostium circumventus arma iis tradidisset, his præfectum ignominiæ generibus affecit. Jussit eum toga laciniis[1] abscissis amictum, discinctaque tunica indutum, nudis pedibus, a mane in noctem usque ad principia per omne tempus militiæ adesse. Interdixit etiam ei convictum hominum[2], usumque balnearum: turmasque[3] equitum, quibus præfuerat, ademptis equis in funditorum alas transcripsit. Magnum profecto dedecus patriæ magno Pisonis decore[4] vindicatum est: quoniam quidem id egit Piso, ut qui, cupiditate vitæ adducti, cruce dignissimis fugitivis tropæa de se statuere concesserant, libertatique suæ servili manu flagitiosum imponi jugum non erubuerant, amarum lucis usum experirentur, mortemque, quam effeminate timuerant, viriliter optarent.

10. Nec minus Pisone acriter Q. Metellus[5]: qui quum apud Contrebiam[6] res gereretur, collocatas a se in qua-

1. *Jussit eum toga laciniis*, etc. Hanc pœnam postea instauravit Augustus, antiqui moris amantissimus, quod referunt Sueton., et Herodian. I, 2.

2. *Convictum hominum.* Ne cum aliis simul cibum caperet. — *Balnearum.* Priscorum Romanorum balnea admodum rara, præterquam quod brachia et crura quotidie abluebant, cum facie et manibus. Scipio quoque usum balnearum militibus suis interdixit. Sed deinde earum usus frequentior factus in ipso exercitu. Cæterum vel levissimæ res, quæ infamiæ maculam aspergunt, maximi sæpe sunt momenti in exercitu, ad imbellem ignaviam audaciori fortitudine compensandam: melius animi acres metu animadversionis mediocris quam pœnæ crudelis continentur.

3. *Turmasque.* Turma dicta, quasi terma, quia terdenos habuit equites: X earum compleverunt alam. Sunt ergo turmæ in ala, quot cohortes in legione, et decuriæ, quot manipuli; ternæ enim in turma. *Alæ* equitum sic dictæ, quod pedites tegebant alarum vice. — *Funditorum.* Funditores, genus militiæ vilissimum, qui glandes fundis in hostes torquebant, in quinta demum earum classium erant, quas Servius Tullius pedestres fecerat. Vide Liv. I, 45. At equites ex primoribus civitatis constabant.

4. *Magno Pisonis decore.* Passim *magno dedecore*, deleto *Pisonis*; idque Torrenio placet.

5. *Q. Metellus.* Qui Jugurtham primus terga dare coegit. Vide Aurelium Victorem, 61; Frontinum, IV, 1. An. U. 612.

6. *Contrebiam.* Contrebia oppi-

Digitized by Google

dam statione quinque cohortes, atque ex ea viribus hostium depulsas, repetere eamdem stationem e vestigio jussit : non quod speraret ab iis amissum locum recuperari posse, sed ut præteritæ culpam pugnæ, insequentis certaminis manifesto periculo puniret; edixit etiam, ut si quis ex his fugiens castra petiisset, pro hoste interficeretur : qua severitate compressi milites, et corporibus fatigatis, et animis desperatione vitæ implicatis, loci tamen iniquitatem, multitudinemque hostium superarunt. Humanæ igitur imbecillitatis efficacissimum duramentum[1] est necessitas.

11. In eadem provincia[2] Q. Fabius Max. ferocissimæ gentis animos contundere et debilitare cupiens, mansuetissimum ingenium suum, ad tempus deposita clementia, sæviore uti severitate coegit : omnium enim, qui ex præsidiis romanis ad hostes transfugerant, captique erant, manus abscidit, ut trunca præ se brachia gestantes defectionis metum reliquis injicerent : rebelles itaque manus a corporibus suis distractæ[3], inque cruentato solo sparsæ, cæteris, ne idem committere auderent, documento fuerunt.

12. Nihil mitius superiore Africano[4] : is tamen, ad firmandam disciplinam militarem, aliquid ab alienissima sibi crudelitate amaritudinis mutuandum existimavit[5]. Siquidem devicta Carthagine, quum omnes, qui ex nostris exer-

dum est Celtiberiæ. Victas cohortes testamentum etiam facere coegit.

1. *Duramentum*. Firmitas, stabilimentum.

2. *In eadem provincia*. Celtiberia. — *Sæviore*. Alii legunt *severiore*, qui lusus verborum a Valerio non sunt alieni. — *Coegit*. An. U. 612. Frontinus, IV. 1.

3. *Distractæ*, id est, separatæ seu disjunctæ.

4. *Africano*. Anno urbis conditæ 552. Vide Livium, XXX, in fine.

5. *Is tamen..... existimavit*. Quis enim belli dux immorigeros sæpe milites compesceret, nisi summa severitate? Perpetua benignitas, indulgentia, largitiones, etc., ad summam proterviam et scelera quælibet viam iis sternerent. Nimium laxatis imperii habenis, nonnunquam corruit simul respublica : cujus rei testes sunt, inter complures, Athenienses apud flumen Ægos.

Digitized by Google

citibus ad Pœnos transierant, in suam potestatem redegisset, gravius in romanos, quam in latinos[1] transfugas animadvertit. Hos[2] enim tamquam patriæ fugitivos crucibus affixit, illos tamquam perfidos socios securi percussit. Non prosequar hoc factum ulterius, et quia Scipionis est, et quia romano sanguini, quamvis merito perpesso, servile[3] supplicium insultare[4] non attinet; quum præsertim transire ad ea liceat, quæ sine domestico vulnere gesta narrari possunt.

13. Nam posterior[5] Africanus, everso punico imperio, exterarum gentium transfugas, in edendis populo spectaculis, feris bestiis objecit.

14. Et L. Paullus[6] Perse rege superato, ejusdem generis et culpæ homines elephantis proterendos substravit; utilissimo quidem exemplo, si tamen acta excellentissimorum virorum humiliter æstimare sine insolentiæ reprehensione permittitur: aspero enim et absciso castigationis genere militaris disciplina indiget[7]; quia vires armis constant:

1. *Latinos.* Notandum, *Latinos* et *Italicos* sæpe absolute *socios* appellari. Quin et aliquando Latini et Italici confundebantur. Ita Valerius Pelignos, qui Latini non erant, ita tamen appellavit. Latium autem discrevit Latinos ab Italicis, qui non erant in Latio: fœdus ab iis civibus romanis, qui agrum romanum possidebant, aut colebant in Latio; jus Latii ab iis Latinis, qui quum agrum latinum tenerent, non tamen Latii jure fruebantur. Ex fœdere autem, quod cum Latinis est percussum, jus illud emanavit. Quod et jus Latii vel Latinitas appellatur, atque constat jure quidem civium romanorum fuisse deterius, italico vero aliquando melius magisque integrum.

2. *Hos.* Romanos. Sic infra lib. III, c. 2, n. 1; III, c. 8, ext. 2. Vide Perizon. ad Sanct. Minerv. II, 9, in fine.

3. *Servile.* Cruci affigi erat præcipue servorum supplicium. Vide Lipsium et Salmasium de cruce.

4. *Servile supplicium insultare.* Id est, romanos cives irridere de supplicio crucis perpesso, quod servorum erat.

5. *Posterior.* Æmili Pauli filius, quem etiam Æmilianum dixere. — *Bestiis objecit.* An. U. 607.

6. *L. Paullus.* Æmilius: a. U. 586.

7. *Aspero ..... indiget.* Imperatores et duces exercituum si militem quempiam a militari disciplina declinantem punierint, tametsi id juste et merito faciant, tamen in-

Digitized by Google

quæ ubi a recto tenore desciverunt, oppressura sunt, nisi opprimantur.

15. Sed tempus est, eorum quoque mentionem fieri, quæ jam non a singulis, verum ab universo senatu pro militari more obtinendo, defendendoque, administrata sunt. L. Marcius[1], tribunus militum, quum reliquias duorum exercituum P. et Cn. Scipionum, quos arma punica in Hispania absumpserant, dispersas mira virtute collegisset, earumque suffragiis dux esset creatus, senatui de rebus actis a se scribens, in hunc modum orsus est: L. Marcius Propr.[2]: cujus honoris usurpatione uti eum patribus conscriptis non placuit; quia duces a populo, non a militibus creari solerent; quo tempore tam angusto, tamque gravi, propter immane reipublicæ damnum etiam tribunus militum adulandus[3] erat, quoniam quidem ad statum totius civitatis corrigendum unus suffecerat; sed nulla clades, nullum meritum, valentius militari disciplina[4] fuit; succurrebat enim illis, quam animosa severitate tarentino bello[5] majores eorum usi fuissent; in quo quassatis et attritis

humanitate potius quadam egisse judicantur, quia crimen in judicium non venit. Sed tarditas sententiarum dilatioque pœnæ locum ibi non habent; nam si per dispendia judiciorum exspectandum esset, ut de jure disceptaretur, nimis crescerent interdum militaris licentia. Celeri igitur, compendiosa et brevi castigatione hic opus est. Qua re et hodie nulla severior disciplina militari, et nullibi brevior criminis disquisitio.

1. *L. Marcius.* An. U. 541. Liv. XXVI. — *P. et Cn. Scipionum.* Qui bellantes adversus Asdrubalem et Magonem in Hispania, deficientibus deinde Celtiberis a Romanis, cum magna exercitus parte sunt deleti: sed *Marcius* virtute sua rem restituit.

2. *L. Marcius Propr.* Proprætor.

3. *Adulandus.* Adulari alicui et aliquem dici potest; inde etiam passive *adulandus*, uti et Cicero Off. I, loquitur: *ne nos adulari sinamus.*

4. *Disciplina.* Pighius ex duobus codd. addidit *apud senatum;* sed absunt duæ illæ voces ab omnibus cæteris codd. et abesse debere clamat sequens *illis*, quod referri ad *patres conscriptos* quivis videt. Quare Pigh. *illis* quoque tacite expunxit.

5. *Tarentino bello.* An. U. 475. Frontin. IV, 1. Appius Claudius sententiam tulit, ne, qui capti essent, pristino statu reciperentur, donec bina hostium spolia singuli retulissent.

Digitized by Google

reipublicæ viribus, quum magnum[1] captivorum civium suorum numerum a Pyrrho rege ultro missum recepissent, decreverunt, ut ex iis qui equo meruerant, peditum numero militarent, qui pedites fuerant, in funditorum auxilia transcriberentur; neve quis eorum intra castra tenderet[2], neve locum extra assignatum vallo aut fossa cingeret, neve tentorium ex pellibus haberet; recursum autem iis ad pristinum militiæ ordinem proposuerunt, si quis bina spolia ex hostibus tulisset: quibus suppliciis compressi, ex deformibus[3] Pyrrhi munusculis acerrimi hostes exstiterunt. Parem iram adversus illos senatus destrinxit, qui apud Cannas rempublicam deseruerant[4]; nam quum eos gravitate decreti ultra mortuorum conditionem relegasset, acceptis a M. Marcello literis, ut eorum sibi opera ad expugnationem Syracusarum uti liceret, rescripsit, indignos esse, qui in castra reciperentur; cæterum se ei permittere, ut faceret, quod expedire reipublicæ judicasset, dum ne quis ex eis munere vacaret[5], aut dono militiæ donaretur, aut in Italiam, donec hostes in ea essent, accederet: sic enerves animos odisse virtus solet. Age[6], quam graviter senatus tulit, quod Q. Petilium consulem fortissime adversus Ligures pugnantem occidere milites passi essent? legioni[7] enim neque stipendium anni procedere,

1. *Magnum*. Fuere CC teste Justino XVIII. — *Meruerant* scilicet stipendia, sive militaverant.

2. *Tenderet*, i. e. tentorium figeret.

3. *Deformibus*. Romani enim putabant, dedecori esse ipsorum majestati, quod Pyrrhus captivos Romam sine pretio remisisset.

4. *Parem iram*..... *deseruerant*. An. U. 537. Liv. XXII et XXIII. Quod sequitur factum an. U. 541. Vide Liv. XXV. — *Gravitate decreti*, id est, gravi et severo decreto.

5. *Munere vacaret*. Id est, nunquam haberet vacationem militiæ, sed semper militaret. — *Aut*.. *donaretur*. Etiamsi fortiter se gessisset, nullo donaretur militari munere, exempli causa, corona.

6. *Age*. An. U. 577. Vide Frontinum, IV, 1. — *Ligures*. Inter Varum et Macram siti, ab altero latere habuere Appenninum, ab altero mare, inde Ligusticum vocatum.

7. *Legioni*. Id est, ei legioni, in cujus acie consul occisus fuerat,

Digitized by Google

neque æra dari voluit; quia pro salute imperatoris, hostium telis se non obtulerant. Idque decretum amplissimi ordinis, speciosum et æternum Petilii monumentum exstitit, sub quo in acie, morte, in curia, ultione[1], clari cineres ejus acquiescunt. Consimili animo[2], quum ei Hannibal sex millium Romanorum, quæ capta in castris habebat, redimendorum potestatem fecisset, conditionem sprevit; memor, tantam multitudinem armatorum juvenum, si honeste mori voluissent, turpiter capi non potuisse. Quorum nescio utrum majus dedecus fuerit, quod patria spei, an quod hostis metus nihil in his reposuerit; hæc pro se, ille ne adversus se dimicarent, parvi pendendo. Sed quum aliquoties senatus pro militari disciplina severe excubuerit, nescio an tum præcipue, quum milites, qui Rhegium[3] injusto bello occupaverant, mortuoque duce Jubellio, M. Cæsium scribam ejus sua sponte imperatorem delegerant, carcere inclusit, ac M. Fulvio Flacco trib. pl. denuntiante, ne in cives romanos adversus morem majorum animadverteret, nihilominus propositum exsequutus est. Cæterum, quo minore cum invidia id perageretur, quinquagenos[4] per singulos

stipendium annuum ultra non datum. De his quæ in Germanis facta sint, Tacit. de Mor. Germ. c. 14. — *Æra*. Æs sumitur pro ipso stipendio; qui videlicet jam æra meruerant, iis tamen ut indignis non data.

1. *Ultione*. Animadversione in milites ignavos.

2. *Consimili*. An. U. 537. Livius, XXII. — *Ei*. Senatui. — *Sex*. Cicero de Off. III, et Liv. octo millia fuisse memorant. Ita noster in numero ab utroque dissentit.

3. *Qui Rhegium*. An. U. 482. Liv. XV; Polyb. I. Fuit hæc legio Campana, quæ initio belli tarentini Rhegium in præsidium missa, interfectis per scelus principibus civitatis, per X annos eum locum tenuit. — *Injusto*. Non legitime indicto. — *Ne.....animadverteret*. Non enim leges permittebant, civem roman. virgis cædi, vel capite puniri : sed si deprehensus foret, perpetuo carcere mulctabatur, tamquam libertate, qua ad securitatem publicam turbandam erat abusus, indignus : sin extra urbem fuisset, ita ut comprehendi non posset, exsilio puniebatur.

4. *Quinquagenos*. De numero discrepant scriptores. Frontinus IV. millia, Livius totam legionem nominat. Polybius autem trecentorum

Digitized by Google

dies virgis cæsos, securi percuti jussit, eorumque corpora sepulturæ mandari, mortemque lugeri vetuit.

DE DISCIPLINA MILITARI OBSERVATA AB EXTERNIS.

1. Leniter hoc patres conscripti, si Carthaginiensium senatus in militiæ negotiis procurandis violentiam intueri velimus; a quo duces bella pravo consilio gerentes, etiamsi prospera fortuna subsequuta esset, cruci tamen suffigebantur: quod bene gesserant, deorum immortalium adjutorio; quod male commiserant, ipsorum culpæ imputantes.

2. Clearchus[1] vero, Lacedæmoniorum dux, egregio dicto disciplinam militiæ continebat, identidem exercitus sui auribus inculcando, a militibus imperatorem potius, quam hostem, metui debere. Quo aperte denuntiabat futurum, ut spiritum pœnæ impenderent, quem pugnæ acceptum ferre dubitassent[2]; idque a duce præcipi non mirabantur, maternarum blanditiarum[3] memores, quæ exituros eos ad præliandum monebant, ut aut vivi cum armis in conspectum earum venirent, aut mortui in armis

tantum meminit. Ex sententia Casauboni plurimi sine dubio in diuturna obsidione perierunt, ita ut restarent tantum CCC. — *Eorumque .... vetuit.* Tamquam infamium.

1. *Clearchus.* Byzantinis auxilio missus, deinde eorum tyrannus.

2. *Ut spiritum..... dubitassent.* Id est, ut spiritum et vitam in pœnam fugæ amitterent, quæ fortiter pugnando servare noluissent. Vide Frontin. IV, 1, 16. Magna cæterum hic lect. varietas. Perizonus legit: *quem fugæ acceptum ferre non dubitassent.* Sciopp. vult: *acceptum referre.* Torren. lectionem Cod. Voss. *quem pugnæ dubitassent*, id est quem dubitassent impendere pugnæ, omisso *acceptum ferre*, haud incommodam esse pronuntiat. Gesnerus in Thes. L. L. sub voce *acceptus*, egregie monet: Non puto quidquam hic mutandum. *Qui fugit intempestive ex prælio, ille* dubitat pugnæ acceptum ferre spiritum, id est, *putat se pugnando servare vitam vix ac ne vix quidem posse, quare mavult pedibus quam armis suam vitam debere.*

3. *Maternarum..... blanditiarum.* Id est, quibus matres excitabant ad virtutem abeuntes, quum aliarum nationum matres blandiri, immo et lugere soleant. Cui non veniat in mentem Lacænarum istud: *aut cum hoc, aut in hoc?*

Digitized by Google

referrentur. Hoc intra domesticos parietes accepto[1] signo, spartanæ acies dimicabant. Sed aliena prospexisse tantummodo satis est, cum propriis, multoque uberioribus et felicioribus exemplis gloriari liceat.

CAPUT VIII.

De jure triumphandi.

1. Leges duæ de triumpho. — 2. C. Lutatii cos. et Q. Valerii præt. altercationes de triumpho. — 3. Cn. Fulvius Flaccus triumphum spernens. — 4. Q. Fulvio et L. Opimio cur negatus triumphus. — 5. Cur item P. Scipioni majori et M. Marcello. — 6. Convivia triumphantium. — 7. Qui ex civili victoria non triumpharunt.

Disciplina[2] militaris acriter retenta, principatum Italiæ romano imperio peperit; multarum urbium, magnorum regum, validissimarum gentium regimen largita est; fauces[3] pontici sinus patefecit; Alpium Taurique[4] montis convulsa claustra tradidit, ortumque e parvula Romuli casa totius terrarum orbis fecit columen. Ex cujus sinu quoniam omnes triumphi[5] manarunt, sequitur, ut de triumphandi jure dicere incipiam.

1. *Accepto signo.* Id est, tessera sive signi monitu, loco accepto.

2. *Disciplina.* In omnibus fere MSS. et edd. ante Pighium hujus capitis præfat. refertur ad fin. capit. sequentis. — *Multarum.* Vulgo : *et multarum.* Sed in omnibus MSS. Torren. aliisque copula bene omissa.

3. *Fauces.* Lucullo imperante, de quo Cicero pro Archia. *Fauces* sunt hic bosporus Thracicus. Neque maris inter terras solum, sed et terrarum inter maria, aut montes, angustiæ, fauces appellantur, exempli gratia, Thermopylæ, isthmus corinthius, etc.

4. *Taurique.* Taurus est Asiæ mons fere maximus, qui ab Indico mari exsurgens, vertice alto tollitur : dein dextro latere ad septemtrionem, sinistro meridiem versus procedit, in occidentem rectus et perpetuo jugo : multarumque gentium, qua dorsum agit, terminus : sed pro gentium ac linguarum varietate diversa habet nomina.

5. *Triumphi.* De triumpho ejusque magnifico ritu satis constat ex antiq. scriptoribus; sed non satis, quisnam primus triumpharit : alii enim Tarquinium Priscum, alii Valerium Public., alii Camillum no-

Digitized by Google

1. Ob levia prælia quidam imperatores triumphos sibi decerni desiderabant: quibus ut occurreretur, lege[1] cautum est, ne quis triumpharet, nisi qui quinque millia hostium una acie cecidisset; non enim numero, sed gloria triumphorum, excelsius urbis nostræ futurum decus majores existimabant. Cæterum ne tam præclara lex cupiditate laureæ obliteraretur, legis alterius adjutorio fulta est, quam L. Marius et M. Cato tribuni pl. tulerunt[2]: pœnam enim imperatoribus minatur, qui aut hostium occisorum in prælio, aut amissorum civium falsum numerum, litteris senatui ausi essent referre: jubetque, « eos, quum primum urbem intrassent, apud quæstores urbanos[3] jurare, de utroque numero vere ab his senatui esse scriptum. »

2. Post has leges judicii illius tempestiva mentio introducetur, in quo de jure triumphandi inter clarissimas personas et actum et excussum est. C. Lutatius consul et Q. Valerius[4] prætor circa Siciliam insignem Pœnorum

minant. Sine dubio etiam Romanorum θρίαμβος erat imitatio Græcorum, qui gloriosa hac pompa inter alios victores in olympicis ludis decorarunt.

1. *Lege*. De qua videsis Dionem lib. XXXVII. — *Qui*. Nonnulli MSS. omittunt. — *Quinque.... cecidisset*. Accedit et illud, quod ad triumphum quoque necesse erat, ne multo sanguine victoriam parassent: inde ut auctum esset imperium; neque recuperata bello, quæ amissa fuerant. Deinde, ne contra servos, fugitivos, piratas, aut simile genus hominum bellatum foret. Denique civili bello, etsi re felicissime gesta, neque imperatorium nomen acclamari poterat, neque supplicationes decerni: non triumphantes, ne ovantes quidem urbem ingredi fas erat. Vide Sigonium de antiquo Jure civium roman. Item nec aras, nec signa diis statuebant, nisi ob externas victorias. Vide Tacit. Annal. III, qui de Tiberio: « *idem*, inquit, *quum Valerius Messalinus signum aureum in æde Martis Ultoris, Cæcina Severus aram Ultioni statuendam censuissent, prohibuit: ob externas victorias sacrari dictitans, domestica mala tristitia operienda.* » — Eadem de causa spolia civili bello capta in postibus nulla fixa fuisse, verosimile est.

2. *Tulerunt*. An. U. 691. Vide Dionys. Halicarn. XXXVII.

3. *Quæstores urbanos*. Qui ærarium Romæ procurabant, et pecunias receptas et expensas in tabulas publicas referebant.

4. *Q. Valerius*. Is classem Pœno-

Digitized by Google

classem deleverant : quo nomine Lutatio consuli triumphum senatus decrevit. Quum autem Valerius sibi eum quoque decerni desideraret, negavit id fieri oportere Lutatius, ne in honore triumphi minor[1] potestas majori æquaretur; pertinaciusque progressa contentione, Valerius sponsione Lutatium provocavit[2], *Ni suo ductu punica classis esset oppressa.* Nec dubitavit restipulari[3] Lutatius. Itaque judex inter[4] eos convenit Atilius Calatinus : apud quem Valerius in hunc modum egit, « consulem ea pugna in lectica claudum jacuisse, se autem omnibus imperatoriis partibus functum. » Tunc Calatinus, priusquam Lutatius causam suam ordiretur, «Quæro,» inquit, «Valeri, a te, si, dimicandum necne esset, contrariis inter vos sententiis dissedissetis, utrum quod consul, an quod prætor imperasset, majus habiturum fuerit momentum?» Respondit Valerius, « non facere se controversiam, quin priores partes consulis essent futuræ. » « Age deinde, »

rum delevit, quum Lutatius propter infirmam valetudinem prælio interesse non posset.

1. *Minor*, id est, prætoria.

2. *Provocavit.* Subintelligantur verba : *non se petiturum triumphum*, quæ in nonnullis edd. præter sponsionis formulam adjiciuntur. Sic legimus Cicer. Offic. lib. III : « *ni vir bonus esset.* »

3. *Restipulari.* Stipulari significat stipem, hoc est, pecuniam obligare. Tractum autem est a stipe, quæ species erat numismatis. Stips autem dicta est a stipando : nam antiqui pecuniam pensare, non numerare solebant, quam pecuniam *æs grave* Livius appellat, et Plin. l. XXXIII, *militum*, inquit, *stipendiorum, hoc est, stipis ponderandæ pensatores, libripendes dicuntur.* Unde etiam nomina nummis remanserunt apud antiquos a pensatione, sicut as, dodrans, quadrans, unciæ, minæ, denarius, et similia. Porro pecuniam non in loculis servare solebant, sed in thesauris stipare et condensare; nam stipare, est in locum angustum reponere. Ergo *restipulari*, est retro se obligare, i. e. contra sponsionem a Valerio factam pecuniam obligare.

4. *Judex .. convenit.* Pro : *de* judice inter eos convenit. Sed Valerii dicendi formulam etiam probatissimi scriptores habent. — *Atilius Calatinus.* Is cos. quum in locum a Pœnis circumsessum temere exercitum duxisset, M. Calpurnii trib. mil. virtute evasit, qui cum CCC militibus eruptione facta, hostes in se converterat. De Atilio legimus quædam apud Cicer. de Senectute.

Digitized by Google

inquit Calatinus, « si diversa auspicia accepissetis[1], cujus magis auspicio staretur?» Item respondit Valerius : « Consulis. » At judex, « Jam mehercule, » inquit, « quum de imperio et auspicio inter vos disceptationem[2] susceperim, et tu utroque adversarium tuum superiorem fuisse fatearis, nihil est, quod ulterius dubitem; itaque, Lutati, quamvis adhuc tacueris, secundum te litem do[3]. » Mirifice judex, quod in manifesto negotio tempus teri passus non est. Probabilius Lutatius, quod jus amplissimi honoris constanter defendit; sed ne Valerius quidem improbe, quia fortis et prosperæ pugnæ, ut non legitimum[4], ita se dignum præmium petiit.

3. Quid facias Cn. Fulvio Flacco[5], qui tam expetendum aliis triumphi honorem, decretum sibi a senatu ob res bene gestas, sprevit ac repudiavit? Nimirum non plura præcerpens[6], quam acciderunt; nam ut urbem intravit, continuo ipse quæstione publica afflictus, exsilio multatus est,

1. *Si... accepissetis.* Auspicia cepit, qui summum habuit imperium, exempli gratia, dictator sive consul: quo fit, ut ductu et auspicio, itemque imperio et auspicio subinde conjungantur.

2. *Disceptationem.* Disceptare non tantum idem, quod litigare, sed et cognoscere et judicare.

3. *Secundum... do*, i. e. *dico*, litem dirimo in tui favorem, in commodum tuum : formula forensis.

4. *Non legitimum.* Quia legibus non ipsi, sed consuli debebatur. — *Ita.* Amat Valer. *ita — ut*, pro *quamvis — tamen :* quod et passim apud alios.

5. *Cn. Fulvio Flacco.* Flaccus hic Vardæos in Illyrico et Alpinos Ligures domuit, Massiliensibus opem tulit adversus Gallos, et demum cum Ætolis bellavit : quum vero Ambraciam obsessam in deditionem accipere nollet, nec prius flecti posset, quam id precibus Rhodii cujusdam Attici a senatu impetraretur; graviter id tulit senatus. Visus est enim, contra jus fecisse, quod supplices repudiare voluit, nec non contra Romanorum legem : *parcere subjectis et debellare superbos.* — *Tam expetendum*, id est, qui plerumque expetitur. Participio in *ndus* non semper notio debiti et necessitatis, aut temporis futuri, sed interdum quoque præsentis est subjecta. Accidit a. U. 542. Livius, XXVII.

6. *Non plura præcerpens.* Id est, antequam evenirent, mens futuri præsaga vidit, se post triumphum exsilio iri mulctatum. Est igitur *præcerpens*, idem quod, prospiciens.

Digitized by Google

ut si quid[1] religionis insolentia commisisset, pœna expiaret.

4. Sapientiores igitur Qu. Fulvius[2], qui Capua capta, et L. Opimius, qui Fregellanis ad deditionem compulsis, triumphandi potestatem a senatu petierunt. Uterque editis operibus magnificus; sed neuter petitæ rei compos. Non quidem invidia patrum conscriptorum, cui nunquam aditum in curia esse voluerunt; sed summa diligentia observandi juris, quo cautum erat, ut pro aucto imperio, non pro recuperatis, quæ populi romani fuissent, triumphus decerneretur. Tantum enim interest, adjicias aliquid, an[3] detractum restituas, quantum distat beneficii initium ab injuriæ fine.

5. Quin etiam jus, de quo loquor, sic custoditum[4] est, ut P. Scipioni ob recuperatas Hispanias, M. Marcello ob captas Syracusas, triumphus non decerneretur; quod ad eas res gerendas sine ullo missi erant magistratu[5]. Probentur nunc[6] cujuslibet gloriæ cupidi, qui ex desertis montibus, myoparonumque piraticis rostris, laudis inopes,

1. *Si quid... commisisset.* Scilicet in supplices, aut quia triumphum contempsisse videbatur.

2. *Qu. Fulvius.* Hic est ille, qui litteras a senatu missas, quibus Campanis parcere jubebatur, antequam eas legeret, in sinu posuit, et lege agi jussit suppliciumque peregit. Vide Liv. XXVI. — *Fregellanis.* Fregellæ, civitas olim clarissima, inter Formias et Sinuessam sita non procul a Liri amne, cujus rudera hodieque ostenduntur, quæ amplitudinem urbis demonstrant. Hodie *Ponte Corvo* dicitur. Vide Plin. III, 5. — An. U. 542, 629. Amm. Marcell. p. 355.

3. *Adjicias aliquid, an.* Passim *utrum adjicias*, etc. sed sæpe priorem particulam omittit auct. more aliorum. — *Injuriæ fine.* Quem facit, qui ablata reddit.

4. *Custoditum.* Pro *observatum*, passim videre licet apud alios etiam. An. U. 542.

5. *Sine ullo... magistratu.* Ut privati cum auctoritate publica erant missi. Conf. Liv. XXVIII, 38; et Perizon. Animadv. hist. c. 6, p. 235.

6. *Probentur nunc.* Ironice dictum, ut, i nunc, abi, etc. — *Qui ex desertis.* Glarenus Lucullum et Pompeium hic pungi putat. — *Myoparonumque.* Myoparo a Tyrrhenis inventus creditur; et piratarum navem sic appellari, Nonius Ciceron., Sallustii et Sisennæ auctoritatibus comprobat. Sextus Pom-

Digitized by Google

laureæ ramulos festinabunda manu decerpserunt. Carthaginis imperio abrupta Hispania, et Siciliæ caput abscisum Syracusæ, triumphales jungere currus nequiverunt; et quibus viris? Scipioni et Marcello, quorum ipsa nomina instar[1] æterni sunt triumphi; sed clarissimos solidæ veræque virtutis auctores, humeris suis salutem patriæ gestantes, etsi coronatos intueri senatus cupiebat, justiori tamen reservandos laureæ putavit.

6. His illud subnectam: moris erat[2], ab imperatore triumphum ducturo consules invitari ad cœnam; deinde rogari, *ut venire supersedeant*[3]; ne quis eo die, quo ille triumpharit, majoris in eodem convivio sit imperii.

peius: « Myoparonem, inquit, esse genus navigii ex duobus dissimilibus formatum. Sunt quidem parones, quos et pirones vocat Ethicus Hister. His navibus, eodem teste, utebantur Albani, Mæotæ, Mazetæ, Gangines. Hæ et alio nomine tulchiæ vocantur. Porro parones dictos Suidas innuit ab insula Paro, cui et Aristophanis interpretes assentiuntur. » Sic *Gyraldus*. At *Thysius*: « Quid si gallica vel germanica vox sit? Nam et parones, sive varones a navigando dictos, vetus lexicon belgicum attestatur. *Vaeren* enim est navigare. » *Scaligeri* sententia hæc est: Myoparo ex myo et parone componitur. A forma autem μυῶνες, hoc est, angusta et oblonga: ut myobarbum, angustus et oblongus Liberi patris cantharus. — *Laudis inopes*. Forsan, *laudis appetentissimos*; qua nempe nunquam satiantur, sed se semper *egenos* et *inopes laudis* queruntur. Sic certe hæc verba interpretatus est Kapp. contra Torrenium, qui ea maluit ad *ramulos* referre et explicare: *laureæ ramulos, veram laudem non habituros*. — *Laureæ*. Cujus usus in triumphis erat: *laureatique* milites currum triumphantis sequebantur. Notat igitur hic eos, qui ob exiguas res triumphum aut ovationem postularunt. Et pertinet huc illud Ciceronis epp. ad Attic. V, ep. 20, *laureolam in mustaceo quærere*: quod usurpat de Bibulo, qui, postquam Cicero Amanum jam diripuerat atque vastaverat, triumphi cupiditate ductus cum obscuris et infirmis hominibus confligere voluit. *Mustaceum* genus libi est, cui lauri folia subjiciebantur. — *Festinabunda*. Quia nondum res gesserant, quibus merito sibi triumphus decerneretur.

1. *Instar*. Est substantiv. et significat *speciem*, *similitudinem*, *modum*, *imaginem*. Sic Sueton. Cæs. 61, dicit: *equi sui instar*, i. e. simulacrum. Liv. XXVIII, 17, habet *parvum instar*, i. e. speciem.

2. *Moris erat*. Codd. MSS. complures exhibent *moris est*.

3. *Ut venire supersedeant*. Id est, omittant venire ad cœnam.

Digitized by Google

7. Verum quamvis quis præclaras res, maximeque utiles reipublicæ civili bello gessisset, imperator tamen eo nomine appellatus non est, nec ullæ supplicationes[1] decretæ sunt; neque aut ovans[2], aut curru triumphavit: quia ut necessariæ istæ, ita lugubres semper existimatæ victoriæ sunt, ut pote non externo, sed domestico partæ cruore: itaque et Nasica Ti. Gracchi, et Opimius C. Gracchi factiones mœsti trucidarunt; Q. Catulus[3], M. Lepido collega suo cum omnibus seditiosis copiis exstincto, tantum[4] moderatum præ se ferens gaudium, in urbem revertitur; C. etiam Antonius[5] Catilinæ victor abstersos gladios in castra retulit; L. Cinna[6] et C. Marius hauserant quidem avidi civilem sanguinem; sed non protinus ad templa deorum et aras tetenderunt[7]: item L. Sulla[8], qui plurima bella civilia confecit, cujus crudelissimi et inso-

1. *Supplicationes.* Id est, festæ populi conventiones vel ad unius dei ædem, vel ad omnia fana, ob res bene gestas gratulandi et gratias agendi causa, pro magnitudine victoriæ, vel in unum diem vel in biduum etc. celebrandæ. Eamdem rem Sallustius *supplicium* dixit.

2. *Ovans.* Ovabat, qui hostes in fugam verterat: equo albo vectus in Capitolium ascendens ibi ovem sacrificabat. Fuit igitur ovatio minus honoratum triumphi genus. Differt autem a triumpho, 1° quod in ovatione dux pedibus, aut equo vectus, cum exercitu urbem ingrediebatur, non autem quadrigis, quibus juncti albi equi; 2° quod non gestabat togam pictam et clavis aureis distinctam, neque trabea neque laurea corona ornatus, uti triumphans; 3° quod non sceptrum manu tenebat. In cæteris vero ovatio triumpho par erat. Dionys. Halicarn.

3. *Q. Catulus.* De quo leg. Epit. Livii, lib. XC.

4. *Tantum.* Deest in quatuordecim MSS. Torren. quare Ald. omisit. Pigh. quum in trib. codd. vocem reperisset, adjiciendam putavit, addito *non*.

5. *C. etiam Antonius.* Ciceronis collega, per legatum tantum erat victor: nam ipse pedibus æger adesse non poterat. Vide Sallust. de bello Catil. — *Abstersos.* Quasi civilem sanguinem abominarentur.

6. *L. Cinna.* Vide Plut. et Dion. XXXVII. — *Hauserant.... sanguinem. Haurire sanguinem*, idem quod interimere: et, *dare sanguinem*, idem quod interimi. Vid. Ep. Liv. LXXX.

7. *Ad templa....tetenderunt.* Ut de parta victoria diis gratias agerent, sacrificantes more triumphantium. Conf. supra not. 2.

8. *L. Sulla.* De eo vid. Plutarch. et Epit. Liv. LXXXVIII.

Digitized by Google

lentissimi successus fuerunt, quum consummata atque constricta[1] potentia sua triumphum duceret, ut Græciæ et Asiæ multas urbes, ita civium romanorum nullum oppidum vexit.

Piget tædetque per vulnera reipublicæ ulterius procedere[2]. Lauream nec senatus cuiquam dedit, nec quisquam sibi dari desideravit, civitatis parte lacrimante. Cæterum ad quercum[3] pronæ manus porriguntur, ubi ob cives servatos corona danda est; qua postes Augustæ domus sempiterna gloria triumphant.

CAPUT IX.

De censoria severitate[4].

1. M. Camilli et M. Postumii in caelibes. — 2. M. Valerii Max. et C. Junii Brati in L. Antonium. — 3. M. Catonis in L. Flaminium. — 4. C. Fabricii in P. Rufinum. — 5. M. Antonii et L. Flacci in M. Duronium. — 6. C. Neronis et M. Salinatoris in se mutuo et populum romanum. — 7. M. Messallæ et P. Sempronii in quadringentos equites. — 8. M. Reguli et P. Phili in reliquias Cannenses. — 9. Qui notati ad censuram postea pervenerunt.

Castrensis disciplinæ tenacissimum vinculum militaris

1. *Atque constricta.* Hæc verba, a Pigh. expuncta, Torren. recte reposuit. Nil aliud sibi volunt, quam *corroborata, stabilita, quæ non facile dissolvi potest,* ut, bene monente Kappio, sensus sit : Quum Sulla potentiam suam ad summum fastigium perduxisset (*consummata*), eamque ita corroborasset, ut non facile solvi posset (*atque constricta*). — *Urbes.* Pro urbium simulacris, quæ erant vehenda in pompa triumphali. — *Ita...vexit.* Significans, se non de civibus, licet esset crudelissimus, sed de externis triumphare.

2. *Ulterius procedere.* MSS. quatuor, *ulterius pergere.*

3. *Quercum.* Querna corona dari solebat, si servati cives essent : et hæc corona sæpe fiebat ex ramis de quercu, quæ ante ædes Julii Cæsaris erat, decerptis.

4. *De censoria severitate.* Et hoc fuit egregium institutum, populi mores, facile degenerantes, severa auctoritate, Spartanorum exemplo, coercendi : aliter enim, nisi servatis probis moribus, florere respublica nequit; et tam diu Romani quoque libertate sua sunt gavisi, quam hæc auctoritas maneret intemerata; qui simul ac in dissolutos abiere mores et frena recusarunt, potentiorum tyrannidi sunt subjecti.

Digitized by Google

rationis diligens observatio admonet me, ut ad censuram[1], pacis magistram custodemque, transgrediar. Nam ut opes populi rom. in tantum amplitudinis imperatorum virtutibus excesserunt, ita probitas et continentia censorio supercilio[2] exanimata est. Opus effectu par bellicis laudibus; quid enim prodest foris esse strenuum, si domi male vivitur? Expugnentur licet urbes, corripiantur gentes, regnis injiciantur manus; nisi foro[3] et curiæ officium ac verecundia sua constiterit, partarum rerum æquatus cælo cumulus sedem stabilem non habebit: ad rem igitur pertinet nosse, atque adeo recordari acta censoriæ potestatis.

1. Camillus et Postumius censores, æra pœnæ nomine eos, qui ad senectutem cælibes[4] pervenerant, in ærarium deferre jusserunt: iterum puniri dignos, si quo modo de tam justa constitutione queri sunt ausi[5]; quum in hunc modum increparentur: « Natura vobis, quemadmodum nascendi, ita gignendi legem scribit; parentesque vos alendo, nepotum nutriendorum debito (si quis est pudor) alligaverunt. Accedit his, quod etiam fortuna longam præstandi hujusce muneris advocationem[6] estis assecuti; quum interim consumpti sint anni vestri, et mariti, et patris nomine vacui. Ite igitur; et nodosam exsolvite stipem[7] utilem posteritati numerosæ. »

1. *Censuram*. De censura ejusque origine vide Liv. de an. U. 211. Primi censores fuere Papirius et L. Sempronius Atratinus.

2. *Censorio supercilio*. Rigiditate sive severitate. Vide supra libr. II, cap. 7, §. 5.

3. *Foro*. In *foro* judicia exercebantur, in *curia* dicebantur sententiæ.

4. *Cælibes*. An. U. 301. Plut. Cam. p. 504; Gell. I, 6; II, 15; Sueton. Aug. 89; Legg. XII tabb.: *Censores cælibes esse prohibento*.

5. *Queri s. a.* Sc. cælibes tum quum jussi sunt æra deferre in ærarium.

6. *Advocationem*. Tractum id genus loquendi a judiciis: qui enim parum instructi erant ad respondendum, *advocationem* petere solebant, id est, tempus deliberandi advocandique amicos. Sensus igitur hujus loci est: accusationem cælibum eo graviorem fieri, quod fortuna longum illis spatium concesserit ad ineundum matrimonium ac procreandos liberos.

7. *Nodosam exsolvite stipem*. Nodosam stipem dicere videtur æra.

Digitized by Google

2. Horum[1] severitatem M. Valerius Max. et C. Junius Bubulcus Brutus censores in consimili genere animadversionis imitati, L. Antonium senatu moverunt, quod, quam virginem in matrimonium duxerat, repudiasset, nullo amicorum in consilium adhibito. At hoc crimen nescio an superiore majus : illo namque conjugalia sacra spreta tantum, hoc etiam injuriose tractata sunt. Optimo ergo judicio censores indignum eum aditu curiæ existimaverunt.

3. Sicut[2] M. Porcius Cato L. Flamininum, quem e numero senatorum sustulit, quia in provincia quemdam damnatum securi percusserat, tempore supplicii ad arbitrium et spectaculum mulierculæ, cujus amore tenebatur, electo. Et poterat inhiberi respectu consulatus, quem is gesserat, atque auctoritate fratris ejus V. C.[3] T. Flaminini : sed et censor, et Cato, duplex severitatis exemplum, eo magis illum notandum statuit, quod amplissimi honoris majestatem tam tetro facinore inquinaverat, nec pensi duxerat[4], iisdem imaginibus adscribi meretricis oculos hu-

quæ mulctæ nomine inviti pendebant. Nodus enim pro difficultate ponitur. Oliverius putat, voce *nodosam* Valerium cælibum avaritiam accusare; quod nimirum ideo cælibes viverent, quod timerent, ut uxorem et liberos alere possent. Sed hoc non in omnes quadrat. Lips. *numerosam* legere mavult, sed auctoritate codd. non suffultus.

1. *Horum*, etc. An. U. 646. De *repudio* vide supr. II, 1, 4.

2. *Sicut*, etc. An. U. 569. Vid. Liv. XXXIX, 62; Plut. in Cat. Pigh. ex cod. Cauch. pro *sicut* edidit : *Sic M. Porcius Cato;* novum enim, ait, incipit exemplum, meliusque *sic* initio periodi collocari putat. Verum omnes reliqui codices stant pro nostra lectione, et sæpe Pigh. præter necessitatem mutavit contextum, dum novum putat inchoari exemplum; quum maximam artificii sui partem auctor in connectendis commoda et arguta transitione exemplis positam habuerit.

3. *V. C.* Id est, viri clarissimi. — *T. Flaminini.* Qui totam Græciam subegerat et Philippo Macedonum regi magnam regni partem ademerat.

4. *Pensi duxerat.* Pensi ducere seu habere idem, quod æstimare; perpendere, ponderare. — *Imaginibus.* Jus imaginum nobilibus rom. proprium, imaginibusque nomina ac res gestæ adscribebantur. Sic igitur Flaminini imaginibus erat

Digitized by Google

mano sanguine delectatos, et regis Philippi supplices manus.

4. Quid[1] de Fabricii Luscini censura loquar? narravit omnis ætas, et deinceps narrabit, ab eo Cornelium Rufinum, duobus consulatibus et dictatura speciosissime functum, quod decem pondo vasa argentea[2] comparasset, perinde ac malo exemplo luxuriosum, in ordine senatorio retentum non esse. Ipsæ medius fidius mihi litteræ seculi nostri obstupescere videntur[3], quum ad tantam severitatem referendam ministerium accommodare coguntur, ac vereri, ne non nostræ urbis acta commemorare existimentur: vix enim credibile est, intra idem pomerium[4] decem pondo argenti, et invidiosum fuisse censum, et inopiam haberi contemptissimam.

adscribendum, eum oculos meretriculæ hominis captivi supplicio pavisse. Indecorum autem erat, hoc adponere fratris victoriæ de Philippo.

1. *Quid.* An. U. 478; Liv. XIV; Gell. IV, 8. Tanta temperantia atque abstinentia olim conspicuus erat populus rom., ut jam ob eas imperium totius universi, si ab his virtutibus solis penderet, meruisse suo jure videretur. Nam ita luxuriam et immodicam divitiarum sitim sunt exosi, ut et divitem esse fere probro haberetur. Æstimare aurum propter ostentationem seu ad perditum luxum, verissimæ servitutis indicium. Luxuria et avaritia pestes sunt rerum publicarum, quas plus lædunt, quam hostile ferrum. Publicam quidem dilexit magnificentiam populus romanus, sed privatam habuit odio.

2. *Decem...argentea.* Ellipsis est, pro: pondo librarum seu libras argenti, etc. Vide Gell. II, 8, et Gronov. de Pecunia veterum, I, 7.

3. *Ipsæ medius.....videntur.* Torrenius recte monet, *catachresin* esse, auctori nostro familiarem. Dicere vult: *Horret animus, litteris mandare, in eadem urbe potuisse olim decem pondo argenti facti (minutam summulam!) invidiam creare, in qua nunc homines minus divites maxime contemnuntur. Tanta immutatio facta est temporum!* Hæc Valer. more suo ita exornare studet, ut dicat, ipsas litteras, quæ adhibentur ad narrandam pristinam censorum severitatem, obstupescere ac vereri, ne non videantur acta urbis Romæ commemorare.

4. *Pomerium.* Est h. l. eadem mœnia. Alias denotat locum post muros. Est autem pomerium magis circa murum locus, quem in condendis urbibus quondam Etrusci, qua murum ducturi erant, certis circa terminis inaugurato consecrabant, ut neque interiore parte ædificia mœnibus continuarentur, quæ nunc vulgo etiam conjunguntur, et extrinsecus puri aliquid ab humano

Digitized by Google

5. M. autem Antonius[1], et L. Flaccus censores Duronium senatu moverunt, quod legem de coercendis conviviorum sumptibus latam tribunus plebis abrogaverat. Mirifica notæ[2] causa; quam enim impudenter Duronius rostra conscendit, illa dicturus : « Freni sunt injecti vobis, Quirites, nullo modo perpetiendi : alligati et constricti estis amaro vinculo servitutis; lex enim lata est, quæ vos esse frugi jubet : abrogemus igitur istud horridæ vetustatis rubigine obsitum[3] imperium. Etenim quid opus libertate, si volentibus luxu perire non licet? »

6. Age[4], par proferamus æquali jugo virtutis honorumque societate junctum, instrictum autem æmulationis hamo dissidens. Claudius Nero, Liviusque Salinator[5], secundi punici belli temporibus firmissima reipublicæ latera, quam destrictam simul egerunt censuram? Nam quum equitum centurias recognoscerent, et ipsi propter robur

cultu pateret soli. Hoc spatio, quod neque habitari, neque arari fas erat, non magis quod post murum esset, quam quod murus post id, pomerium Romani appellarunt. Liv. I, 44. — *Inopiam haberi contemptissimam.* Scil. ætate Valerii auctoris.

1. *M. autem Antonius.* An. U. 656 vel 654. — *Tribunus plebis.* Junia lege nemo poterat esse tribunus pleb. nisi plebeius; sed postea patricii quoque creari cœperunt.

2. *Notæ.* Pro *pœnæ :* inde *notare* pro *punire* passim apud Ciceronem aliosque.

3. *Obsitum.* Velut rigore circumdatum.

4. *Age.* An. U. 549. Liv. XXIX, 37; Aurel. Vict. 50. — *Æquali jugo.* Quia uterque res præclaras e republica gessit. Ambo consules et censores simul fuerunt. — *Instrictum.* Instringere est impedire, implicare, compescere. Sic etiam Catullus hac voce, epigr. 71, utitur. Valerius paronomasia non illepida ait : instrictos æmulationis hamo censores *destrictam* seu distractam (ut habetur in Atrebatensi) simul egisse censuram, severam, justam, asperam, emunctam : metaphora aut a distringentibus gladium sumpta, aut ab iis, qui sordes corporis strigili detergunt in balneo, aut abradunt.

5. *Liviusque Salinator.* Dictus Salinator, quod novum vectigal salis commentus fuit, et legem tulit, ne quis salem venderet, quum antea omnibus jus esset vendendi salis, quam ob legem etiam damnatus est. — *Firmissima reipublicæ latera.* Quia alter causa fuerat, ut Asdrubal, cum omni exercitu in Italia deleretur; alter ut Annibal ex Italia discedere cogeretur. Translatio est a corpore sumpta : ut enim *lateribus*

Digitized by Google

ætatis etiam nunc eorum essent e numero, ut est ad Polliam ventum tribum, præco lecto nomine Salinatoris, citandum necne sibi esset, hæsitavit. Quod ubi intellexit Nero, et citari collegam, et equum[1] vendere jussit, quia populi judicio damnatus esset. Salinator quoque eadem animadversione Neronem persecutus est, adjecta causa, quod non sincera fide secum in gratiam rediisset[2]. Quibus viris si quis cælestium significasset futurum, ut eorum sanguis illustrium imaginum serie deductus, in ortum salutaris principis[3] nostri conflueret, depositis inimicitiis, arctissimo se amicitiæ fœdere junxissent, servatam ab ipsis patriam communi stirpi servandam relicturi. Salinator vero quatuor et triginta tribus inter ærarios[4] referre non dubitavit; quod, quum se damnassent[5], postea consulem atque censorem fecissent: prætexuitque causam, quia necesse esset eas alterutro facto, crimine temeritatis, vel perjurii teneri[6]. Unam tantummodo tribum Mœciam vacuam nota reliquit; quæ eum suffragiis suis, ut non damnatione, ita ne honore quidem, dignum judicaverat. Quam constantis et prævalidi illum putamus ingenii fuisse, qui neque tristi judiciorum exitu compelli, neque honorum magnitudine adduci potuit, quo se blandiorem in administratione reipublicæ gereret?

corpora stabiliuntur, ita his duobus respubl. confirmata videbatur.

1. *Equum*. Equus ille publicus erat, quem jure ordinis acceperat, quique publica impensa alebatur.

2. *Quod non.....rediisset*. Addit et aliam causam Liv. XXIX, 32, quod et falsum adversus ipsum testimonium dixisset.

3. *Salutaris principis*. Adulatur et hic Tiberio. — *Communi stirpi*. *Tiberio*, ut qui et ad Claudium Neronem et ad Livium Salinatorem genus referret. Vide Suetonium.

4. *Ærarios*. Ærarii dicti, qui nullum jus habuerunt in curia et tribu sua suffragii ferendi, sed tantum pro capite suo tributi nomine æra pendebant.

5. *Quum se damnassent*. Ita per dilemma argumentatus est: Si injuste me damnastis, sine dubio censoria nota digni estis; si juste, nunquam consulatum nec censuram, utpote indigno, mihi debuistis demandare.

6. *Perjurii teneri*. Quia tribus jurabant, se honores et magistratus nullis, nisi dignis, collaturas.

Digitized by Google

7. Equestris[1] quoque ordinis bona magnaque pars, quadringenti juvenes, censoriam notam patiente animo sustinuerunt, quos M. Valerius, et P. Sempronius, quia in Sicilia ad munitionum opus explicandum ire jussi, facere id neglexerant, equis publicis spoliatos, in numerum ærariorum retulerunt.

8. Turpis etiam metus censores summa cum severitate pœnam exigerunt. M. enim Atilius Regulus, et P. Furius Philus, L. Metellum quæstorem, compluresque equites[2] romanos, qui post infeliciter commissam Cannensem pugnam cum eo abituros se Italia juraverant, direptis equis publicis, inter ærarios referendos curaverunt; eosque[3] gravi nota affecerunt, qui quum in potestatem Hannibalis venissent, legati ab eo ad senatum missi de permutandis captivis, neque impetrassent, quod petebant, in urbe manserunt: quia et romano sanguini fidem præstare conveniens erat, et M. Atilius Regulus censor perfidiam notabat, cujus pater per summos cruciatus exspirare, quam fallere Carthaginienses, satius esse duxerat. Jam hæc censura ex foro in castra[4] transcendit, quæ neque timeri, neque decipi voluit hostem.

9. Sequuntur duo ejusdem generis exempla[5], eaque adjecisse satis erit. C. Geta, quum a L. Metello et Cn. Domitio censoribus senatu motus esset, postea censor factus est.

1. *Equestris.* An. U. 501. Livius, XVIII; Frontin. lib. IV, cap. 1. — *Explicandum*, id est, ad exitum perducendum, ad perficiendum, quod arduum erat.

2. *Equites.* An. U. 539. Livius, XXIV. Hi equites, patriæ diffidentes, et eam paulo post ruituram, vel in hostium potestatem venturam metuentes, Italiæ deserendæ consilia inierant, quibus obstitit Scipio. — *Direptis*, id est, ereptis, ablatis. Conf. lib. III, c. 2, ext. 4, et c. 7, n. 6.

3. *Eosque.* Vide Gell. VII, 18.

4. *In castra*, id est, ad rem militarem.

5. *Exempla.* An. U. 638, 645 et 599; Cicero pro Cluent. c. 42. — *Adjecisse.* Lips. in lib. vet. invenit *injecisse*, quod rectum censet et explicat: *delibasse.* Nobis minus placet.

Digitized by Google

Item M. Valerius Messalla censoria nota perstrictus[1], censoria postmodum potestate imperavit. Quorum ignominia virtutem acuit: rubore enim ejus excitati, omnibus viribus incubuerunt, ut digni civibus viderentur, quibus dari potius, quam objici censura deberet.

CAPUT X.

De majestate Romanorum.

1. Q. Metelli Numidici apud judices. — 2. P. Africani majoris apud Antiochum regem et exteros. — 3. L. AEmilii Paulli apud Macedonas. — 4. P. Africani minoris apud Masinissam et Pœnos. — 5. P. Rutilii exsulis apud Asiæ civitates. — 6. C. Marii proscripti apud Minturnenses. — 7. M. Catonis Uticensis apud senatum. — 8. Ejusdem apud populum romanum.

De majestate Externorum.

1. Harmodii et Aristogitonis apud Xerxem regem. — 2. Xenocratis apud Atheniensses.

DE MAJESTATE ROMANORUM.

Est et illa quasi privata censura majestas clarorum virorum sine tribunalium fastigio, sine apparitorum ministerio, potens in sua amplitudine obtinenda; grato enim et jucundo introitu animis hominum illabitur admirationis prætexta[2] velata: quam recte quis dixerit longum et beatum honorem esse sine honore.

1. *Perstrictus*, id est, perculsus, læsus. — *Item.....imperavit.* Nec mirum, quum talibus vel ad dictaturam aditus pateret. Mamerco Æmilio non obfuit nota censoria, quin postea dictator crearetur. Pœnæ enim non semper ad perdendos, sed ad corrigendos cives potius irrogatæ; quare redeuntes ad meliorem frugem ex ærariis exempti, in altiorem censum relati, equus honestius sese gerentibus redditus, immo iis non occlusus est aditus ad summos honores.

2. *Prætexta.* Hæc aliis vestimentis superimponi solebat: sic magnorum virorum majestas admirationis quasi prætexta condecoratur. — *Longum.* Alii honores non diu durant, et vel semestres, vel annui, vel paucorum annorum sunt, ut dictatura, consulatus, censura: at ma-

Digitized by Google

1. Nam quid plus honoris[1] tribui potuit consuli, quam est datum reo Metello? qui quum causam repetundarum diceret, tabulæque ejus ab accusatore expostulatæ ad nomen inspiciendum[2] circa judicium ferrentur, totum consilium ab earum contemplatione oculos avertit; ne de aliqua re, quæ in his relata erat, videretur dubitasse. Non in tabulis[3], sed in vita Q. Metelli argumenta sincere administratæ provinciæ legenda sibi judices crediderunt: indignum rati, integritatem tanti viri exigua cera[4] et paucis litteris perpendi.

2. Sed quid mirum, si debitus honos a civibus Metello tributus est, quem superiori Africano[5] etiam hostis præstare non dubitavit? Siquidem rex Antiochus bello, quod cum Romanis gerebat, filium ejus a militibus suis inter-

jestas perpetuus, vel sine magistratu honor est. — *Sine honore.* Id est, ut modo diximus, *sine magistratu.* Potest enim majestatem et is habere, qui magistratum non gerit. Quidam codd. tamen habent *sine onere;* idque Pighius in margine notavit.

1. *Honoris.* Coler. censet, hanc vocem nihil nisi glossam esse, ortam ex proximis superioribus *honorem sine honore.* Abest sane a quindecim codicibus MSS. — *Metello.* Anno Urbis 641. Metellus post partum ex Numidia triumphum repetundarum expostulatus; quarum accusabatur, quia credebatur provinciam seu socios populi rom. pecunia expilasse, vel judicium tulisse, quod in sua commoda cederet. Pecunia tunc restituenda repetebatur. Conf. Cic. pro Balbo, 5, et ad Attic. I, 16.

2. *Ad nomen inspiciendum.* Nomen inspicere est exquirere, quantum quis adhuc debeat. — *Consilium.* Denotat h. l. consiliantes, senatum: sic etiam Cicero, Nepos, aliique loquuntur. Nonnulli edidere *concilium*, contra plerorumque MSS. fidem.

3. *Tabulis*, id est, libellis, in quibus acta provinciæ et rationes continebantur. Vide Cic. pro Arch.

4. *Cera.* Idem, quod tabula. Tabulas enim antiquitus cera obducere solebant, in quibus stilo ferreo aut eburneo scribebatur. Inde *prima*, *secunda*, aut *extrema cera* usitata fuit antiquis locutio, ubi de testamentis erat sermo. — *Perpendi.* Lips. monet, in quibusdam codd. esse *perdi:* indeque legendum conjicit *prodi.* Quod quidem Colero displicet, qui monet, in codice Dan. esse *pendi.* Perizon. adscripsit: an *defendi?* Nihil mutandum, quum *pendi* vel *perpendi* hic manifeste nihil aliud sit, quam *æstimari*, *censeri.*

5. *Africano.* An. U. 563, Liv. XXXVII; et An. U. 666.

Digitized by Google

ceptum, honoratissime excepit, regiisque muneribus donatum ultro et celeriter patri remisit : quamquam ab eo tum maxime finibus imperii pellebatur; sed et rex lacessitus[1], majestatem excellentissimi viri venerari, quam dolorem suum ulcisci, maluit. Ad Africanum[2] eumdem, in Liternina villa se continentem, complures prædonum duces videndum eodem tempore forte confluxerant. Quos quum ad vim faciendam venire existimasset, præsidium domesticorum in tecto collocavit; eratque in his repellendis et animo et apparatu occupatus. Quod ut prædones animadverterunt, dimissis militibus abjectisque armis, januæ appropinquant, et clara voce nuntiant Scipioni[3], « non vitæ ejus hostes, sed virtutis admiratores venisse : conspectum et congressum tanti viri quasi cæleste aliquod beneficium expetentes. Proinde securum se spectandum[4] præbere ne gravetur. » Hæc postquam domestici Scipioni retulerunt, fores reserari, eosque intromitti jussit. Qui postes januæ tamquam religiosissimam aram sanctumque templum venerati, cupide Scipionis dexteram apprehenderunt; ac diu deosculati, positis ante vestibulum donis[5], quæ deorum immortalium numini consecrari solent,

1. *Lacessitus*. Provocatus ad iram ob illatum bellum.

2. *Ad Africanum*. Post maximas res gestas clarissimosque triumphos *Scipio* ab ingrata patria pulsus, in villa prope Liternum (oppidum Campaniæ littorale) commoratus est, quæ deinde Scipionis sepulcro fuit nobilis. Seneca, quam ipse postea possedit, villam descripsit ep. 87.

3. *Et clara...Scipioni*. Pigh. ex cod. Atreb. edidit : *clara voce nuntiantes*, omissa copula *et* nomineque proprio *Scipioni* eraso. Quæ quidem lectio Pighii, quamvis a brevitate et continuo sententiæ ductu aliquam habet commendationem, tamen vix defendi poterit, quia pronomen *ejus*, quod sequitur, ipsum nomen *Scipioni* ante se requirit.

4. *Se spectandum*. Plurimi codd. MSS. infarciunt *nobis*, eamque lectionem in textum recepere Torren. et Kapp. auctoritate codd. moti. Nos quidem in textu dedimus lectionem Pighianam, itidem fide MSS. nixam. Neque enim *se nobis spectandum* probari potest, nisi sumere velis, Valerium, quod duriuscule factum esset, obliquam prius orationem sic in directam mutavisse.

5. *Donis*. Serta, thura, pateras,

Digitized by Google

læti quod Scipionem vidisse contigisset, ad lares reverterunt. Quid hoc fructu majestatis excelsius? quid etiam jucundius? Hostis iram admiratione sui placavit: spectaculo præsentiæ suæ latronum gestientes oculos obstupefecit[1]. Delapsa cælo sidera[2] hominibus si se offerant, venerationis amplius non recipient.

3. Et hæc quidem vivo Scipioni: illud autem Æmilio Paullo[3] exanimi contigit. Nam quum exsequiæ ejus celebrarentur, ac forte tunc principes Macedoniæ legationis nomine Romæ morarentur, funebri lecto[4] sponte sua sese subjecerunt. Quod aliquanto majus videbitur, si quis cognoscat, lecti illius frontem[5] macedonicis triumphis fuisse

coronas et similia, quæ ante deorum immortalium simulacra in donum majores ponere consueverunt, ea prædones ante Scipionis domum deposita reliquerunt. — *Ad lares.* Decem MSS. addunt *proprios.* Frustra. Cod. Wassian. commutat in *alacres.* Male. Torren. conjicit *ad naves*, vix melius. *Revertere* seu *reverti ad lares* nonne usitatissima loquendi ratio pro *domum* vel *in patriam* redire?

1. *Obstupefecit.* Unde viginti codices *vidit;* in uno codice *stupefecit.* Unde Torrenius conjicit *vidit et stupefecit;* acute, sed tamen non ita probabiliter, ut in textum lectionem recipere audeamus.

2. *Sidera.* Pro *diis* ponuntur, quoniam, præclaris hominibus in deorum numerum relatis, eorum nomina sideribus data sunt.

3. *Æmilio Paullo.* An. U. 593. Plutarch. Æmil. 39, p. 322, *Æmilius*, devicta Macedonia et Iberia, quum CCL oppida cepisset, ne drachma ditior in patriam rediit.

4. *Funebri lecto.* Non omnes eodem modo efferebantur. Ditiores *lectis*, et quidem interdum plurimis (uti de L. Cornelio proditum est, sex millia lectorum eum in funere habuisse); tenuioris sortis homines capulis seu feretris sunt elati. Qui funus prosequebantur, gestabant manibus candelas, funalia, faces, unde *funus* a funibus accensis. Plerumque enim noctu efferebant cadavera, ob diurnam sacrorum celebrationem. Cadaverum funeratores *vespæ* seu *vespillones* dicti, quod vespertino tempore mortuos conderent sepulcris. Dicti etiam *designatores*, qui designandæ funebri pompæ præerant. — Cadavera aqua lota septem dierum spatio servabant, conclamantes per intervalla: inde ungebant pollinctorum opera, qui mortuos curabant, et denique candida veste ornabant prius, quam efferrent: eratque illa in funere tacito aut vulgari toga vulgata, in magistratibus toga prætexta, in censoribus tota purpurea. Efferebant etiam mortuos ad tibiam.

5. *Lecti illius frontem.* Primam

Digitized by Google

adornatam. Quantum enim Paullo tribuerunt, propter quem gentis suæ cladium indicia[1] per ora vulgi ferre non exhorruerunt? quod spectaculum funeri speciem alterius triumphi adjecit: bis enim te, Paulle, Macedonia urbi nostræ illustrem ostendit: incolumem, spoliis suis; fato functum, humeris.

4. Ne filii quidem tui Scipionis Æmiliani[2], quem in adoptionem dando, duarum familiarum ornamentum esse voluisti, majestati parum honoris tributum est: eum enim adolescentem admodum a Lucullo consule petendi auxilii gratia ex Hispania in Africam missum, Carthaginienses et Masinissa rex de pace disceptatorem[3], velut consulem et imperatorem habuerunt. Ignara quidem fatorum suorum Carthago: orientis enim illud juventæ decus, deorum atque hominum indulgentia[4], ad excidium ejus alebatur, ut superius cognomen *Africanum* capta, posterius eversa, Corneliæ[5] genti daret.

5. Quid damnatione, quid exsilio miserius? atqui P. Rutilio[6] conspiratione publicanorum perculso, auctoritatem adimere non valuerunt: cui Asiam petenti omnes pro-

summamque lecti partem sustinuerunt Macedoniæ principes: quod speciem præbuit novi triumphi, quasi post victum Persen hi principes denuo in triumpho ducerentur.

1. *Indicia.* Id est signa et monumenta cladium.

2. *Scipionis Æmiliani.* Africano superiori filius fuit adeo tenuis et exilis naturæ, ut liberos procreare, et ex suo nomine genus propagare non posset; quare Æmilii filium adoptavit, qui *Æmilianus* et, quum Carthaginem evertisset, Africanus minor vocatus est. Anno U. 602.

3. *Disceptatorem.* Disceptator est, qui inter duos dissidentes eligitur ad litem dijudicandam.

4. *Indulgentia.* Gratia, largo honore.

5. *Corneliæ.* Scipio Africanus prior patrem habuit *Cornelium*, qui patrem oculis orbum *scipionis* vice duxit, atque suffulsit, indeque Scipionis nomen est sortitus.

6. *P. Rutilio.* De quo infra, VI, 4, 4. Anno U. 660. Liv. LXX. Senec. epist. 81. — *Publicanorum.* Publicani sunt, qui publica vectigalia et alios populi romani reditus, exteris nationibus imperatos, nec non tributa, quæstus sui causa, constituto pretio exigenda redimebant, vel a fisco conducebant. Hoc munus potissimum equitibus romanis esse collatum, Cicero testatur.

Digitized by Google

vinciæ illius civitates legatos, secessum[1] ejus opperientes, obviam miserunt. Exsulare aliquis hoc loco, an[2] triumphare, justius dixerit?

6. C. etiam Marius[3] in profundum ultimarum miseriarum abjectus, ex ipso vitæ discrimine beneficio majestatis emersit. Missus enim ad eum occidendum in privata domo Minturnis clausum servus publicus[4], natione Cimber, et senem, et inermem, et squalore obsitum, strictum gladium tenens, aggredi non sustinuit: sed claritate

Alii publicani *mancipes*, alii *prædes*, alii *socii* erant. *Mancipes*, sunt, qui aliquid a populo emerant conduxerantve; ita vulgo nominati, quia sublata manu significabant, se emptionis auctores esse. Hi fuere publicanorum principes, qui quæstus sui causa exigenda a sociis suo periculo exigebant et reipublicæ tradebant. *Prædes* populo sese obligabant, promittentes, si quid incommodi accideret, plene se satisfacturos. Ita dicti a *præstando* seu præstandis, quæ promiserant. Præs igitur est satisdator in lite numaria; unde differt a vade, qui vadimonium dat in re capitali. *Socii* denique erant qui pro publicanis partim conducebant, partim societatem cum iis inibant, partim pro his bona fortunasque suas reipubl. obligabant. Vectigalia exigebantur ex agris, vel ex portubus publicis. In agris publicis cives romani collocati erant qui aratores sive agricolæ dicti, decumam frumenti populo romano dabant; in pascuis pastores, qui certum æs solvebant, quod *scripturam* nominabant, unde *scripturarius ager*. Exinde etiam varia sunt publicanorum nomina: qui decumas redimebant, *decumani;* qui pascua, *pecuarii;* qui portus, *portitores;* et vectigalia ipsa decuma, scriptura ac portitorium vocabantur. In ultro tributis autem occupabantur, quum conducerent et exigerent sumptus operum publicorum, quorum locatio quinto quoque anno a censoribus facta est. — *Perculso.* Sententia equestrium judicum.

1. *Secessum.* Donec in aliquem locum secederet, quem pro exsilio caperet.

2. *Hoc loco, an.* Permulti MSS. *loco hoc aut*, unde Torren. conjecturam Perizonii *loco* delentis, confirmari ait.

3. *C. etiam Marius.* Vid. I, 5, 5, et Epit. Liv. LXXVII, et Plutarch. Velleius Paterc. II, 19. — An. U. 665. Marius primo nudus in paludibus, deinde in domo Fanniæ cujusdam delituit. *Minturnæ* fuere Latii urbs et colonia ad Lirim fluvium, in ea regione, ubi nunc *Trajetto.* — *In profundum.... abjectus.* Quia hostis patriæ erat judicatus.

4. *Servus publicus.* Servi publici et in urbe et in provinciis, libertini generis erant, quorum ministerio magistratus utebatur. Varro de Lingua Lat. VII; Gell. XII, 3.

Digitized by Google

viri occæcatus, abjecto ferro, attonitus inde ac tremens fugit. Cimbrica nimirum calamitas[1] oculos hominis perstrinxit, devictæque suæ gentis interitus animum comminuit; etiam diis immortalibus indignum ratis, ab uno ejus nationis interfici Marium, quam totam deleverat[2]. Minturnenses autem majestate illius capti, compressum jam et constrictum dira fati necessitate, incolumem præstiterunt. Nec fuit his timori asperrima Sullæ[3] victoria, [ne in eos conservationem Marii ulcisceretur;] quum præsertim[4] ipse Marius eos a conservando Mario absterrere posset.

7. M. quoque Porcium Catonem[5] admiratio fortis et sinceræ vitæ adeo admirabilem senatui fecit, ut, quum invito C. Cæsare consule adversus publicanos dicendo

1. *Cimbrica nimirum calamitas.* Cimbros Teutonesque e Germania veteri in Galliam transiisse, bonitate agri illectos, putat Beatus Rhenanus. Nam illos avitarum sedium ad Germanicum mare in Saxonia jam tædebat. Proinde facto per Chaucos et Frisios itinere trans Rhenum, in ultimis Galliarum oris ad septemtrionalem oceanum consedere. Ubi quum diutius manere non possent, ob maris Gallici inundationem, per Gallias errabundi ad Rhenum usque venere, ibique sedes figere constituerunt. Dum autem vagarentur in Gallia, conjunxerunt se illis Tigurini Ambronesque, gallicæ nationes, et ipsæ regionibus suis pulsæ, novas sedes quæritantes. Itaque ferociores facti virium incrementis, quum terram a Romanis tamquam stipendium dari sibi postulassent, et repellerentur, contra legatos armis insurrexerunt, Syllanoque et Servilio Cæpione et M. Manlio fugatis, castrensi præda, eaque ingenti potiti sunt. Hos postea vicit C. Marius partim in tractu Cottiarum Alpium ad Aquas Sextias, partim in Italia, in campo raudino. Vid. Tacit. Germ. cap. 37, cum editis a Kappio notis Longolianis.

2. *Quam totam deleverat.* Quæ nimirum in Italiam transcenderat.

3. *Sullæ.* Quum ex Asia victor rediisset. — *Ne in eos.... ulciscceretur.* Desunt hæc verba in plurimis MSS. ac pro glossa expungenda censet Perizonius, cui Torren. et Kappius assentiuntur.

4. *Quum præsertim.* Vereri poterant Minturnenses, ne, quomodo Mario metuendum erat, ne vita privaretur, ita et ipsi afficerentur suppliciis.

5. *M. quoque Porc. Catonem.* An. U. 694. Gell. IV, 10; Cæsar de B. C. I, 31. — *Publicanos.* Quum publicani peterent vectigalium re-

Digitized by Google

in curia diem extraheret, et ob id ejus jussu a lictore in carcerem duceretur, universus senatus illum sequi non dubitaret: quæ res divini[1] animi perseverantiam flexit.

8. Eodem ludos Florales[2], quos Messius ædilis faciebat, spectante, populus, ut mimæ nudarentur, postulare erubuit. Quod quum ex Favonio, amicissimo sibi, una sedente cognovisset, discessit e theatro, ne præsentia sua spectaculi consuetudinem impediret. Quem abeuntem ingenti plausu[3] populus prosecutus, priscum morem jocorum in scenam revocavit; confessus plus se majestatis uni illi[4] tribuere, quam universo sibi vindicare. Quibus opibus, quibus imperiis, quibus triumphis hoc datum est? exiguum viri patrimonium, adstricti continentia mores, modicæ clientelæ, domus ambitioni clausa, paterni generis una imago[5], minime blanda frons; sed omnibus nu-

missionem, eos tertia parte mercedum C. Cæsar liberavit. Cato contra noluit, quidquam publicanis remitti. Ne igitur in senatu aliquid confici posset in eorum gratiam, orationem longiorem habuit, qua diem extraxit. Licuit enim olim senatori sententiam rogato, dicere, quod vellet. Deinde huic eloquentiæ quasi frena sunt injecta per Cn. Pompeium. Vid. Rosini Ant. Rom. pag. 948, de clepsydris. Catonis *sincera vita* probatur in eo, quod nemo illum unquam potuit nec gratia, neque precibus, nedum pretio a recto justoque deducere.

1. *Divini.* En iterum Cæsarum adulationem. — *Animi.... flexit.* Id est, animum Cæsaris mitigavit, ut Catonem mitti juberet.

2. *Ludos Florales.* Hi ludi in honorem deæ Floræ Romæ celebrabantur, in quibus turpia quædam committebantur, inprimis, quod nudabantur mimæ, quod et Lactantius perstringit.

3. *Ingenti plausu.* Quo significarunt, placere sibi Catonem discedere, ut pristina ludorum consuetudo revocaretur in theatrum. Hoc plausu populus huic uni plus majestatis et honoris tribuit, quam sibi universo: nam quod præsente Catone fieri non fuerant passi, id se universis spectantibus passi sunt.

4. *Uni illi.* In aliquot codd. vocula *illi* deest, sed retinenda ob sequens *universo sibi.*

5. *Paterni generis una imago.* Catoni non multæ majorum suorum *imagines* fuerunt, sed unica patris. In horum Catonum laude omnes consentiunt veteres, quos ad cælum usque extollunt. Ipse Augustus, quum domum, in qua Cato habitarat, intrasset, ac Strabo quidam in ejus adulationem de Catonis pervicacia male judicasset:

Digitized by Google

meris perfecta virtus : quæ quidem effecit, ut quisquis sanctum et egregium civem significare velit, sub nomine[1] Catonis definiat.

DE MAJESTATE EXTERNORUM.

1. Dandum est aliquid loci etiam alienigenis exemplis, ut domesticis aspersa, varietate ipsa delectent. Harmodii et Aristogitonis[2], qui Athenas tyrannide liberare conati sunt, effigies æneas Xerxes, ea urbe devicta, in regnum suum transtulit : longo deinde interjecto tempore, Seleucus in pristinam sedem reportandas curavit. Rhodii quoque eas urbi suæ appulsas, quum in hospitium publice invitassent, sacris etiam pulvinaribus[3] collocaverunt. Nihil hac memoria felicius, quæ tantum venerationis in tam parvulo ære possidet.

2. Quantum porro honoris Athenis Xenocrati[4], sapientia pariter ac sanctitate claro, tributum est? Qui quum testimonium dicere coactus ad aram accessisset, ut more ejus civitatis[5] juraret, omnia se vere retulisse, universi

« Quisquis, inquit, præsentem statum civitatis commutari non volet, et civis et vir bonus est. » Vid. Macrob. II, 4.

1. *Sub nomine.* Vid. Juv. II, 40; Tertull. Apolog. II; Martial. XII, 6.

2. *Harmodii et Aristogitonis.* Harmodius et Aristogiton, indigne ferentes Hipparchi et Hippiæ tyrannidem, primi fuerunt, qui in libertatem vindicandam Athenienses excitarunt, eodem fere tempore, quo et Roma regum habenas recusavit. Athenienses in eorum honorem effigies æneas erexerunt, quas a Xerxe ablatas restituit in earum locum postea Seleucus. Vid. Gell. XVII, 21. Sed Pausanias in Atticis memorat, statuas eorum remissas Atheniensibus ab Antiocho esse. — *Xerxes.* Multi codices MSS. et edd. addunt *rex.*

3. *Pulvinaribus.* Pulvinaria aut lectisternia in templis posita, in quibus deorum simulacra locabantur.

4. *Xenocrati.* Cujus vitam vide in Diogenis Laert. vitis. Cf. Cicer. pro Balbo, c. 5.

5. *More ejus civitatis.* Testimonium apud Athenienses vel coram dicebant testes, vel tabulis inscriptum exhibebant; idque lege sancitum, ne quis testimonium corrumpat, radat, mutet. Testimonio dicto in liberorum capita jurabant, se vera dicere.

Digitized by Google

judices consurrexerunt, proclamaruntque, *ne jusjurandum diceret :* quodque sibimetipsis postmodum dicendæ sententiæ loco remissuri non erant, sinceritati[1] ejus concedendum existimarunt.

1. *Sinceritati.* Sinceritas vox non occurrens apud Ciceronem, cujus loco ille adhibet vocabula *fides*, promissorum *constantia*, *veritas*, velut pro P. Quintio, 20 : veritas alicujus, id est, æquitas et justitia. Atque omnino non in usu videtur esse apud auctores latinos aureæ ætatis, interque conservatos Valerius noster primus est (opinor) qui usurparit. Post eum occurrit apud Colum. De re rust. IV, 26; Sen. De vit. beat. cap. XV; et alios recentiores.

Digitized by Google

VALERII MAXIMI

FACTORUM DICTORUMQUE MEMORABILIUM

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

De indole exempla romana.

1. Æmilii Lepidi pueri. — 2. M. Catonis Uticensis. — 3. C. Cassii Longi.

De indole externum exemplum.

Alcibiadis atheniensis.

DE INDOLE CUJUS EXEMPLA SUNT ROMANA.

Attingam nunc quasi cunabula quædam et elementa virtutis: animique procedente tempore ad summum gloriæ cumulum [1] perventuri, certo cum indolis experimento datos gustus referam.

1. Æmilius Lepidus [2], puer etiam tum progressus in aciem, hostem interemit, civem servavit: cujus tam memorabilis operis index est in Capitolio statua bullata [3], et

1. *Cumulum*. Quidam *culmen*. Magis eleganter; sed vid. infra lib. VI, c. 8, n. 7; et lib. VII, c. 1, n. 1. — *Gustus*. Sic prima pars cœnæ dicta est. Vide Martial. XI, 53. « *Hæc satis in gustu.* » Inde factum, ut prima animi specimina et rudimenta Noster per metaphoram *gustum animi* diceret. Nec est, quod cum Aldo aliisque legas *gestus*, quam lectionem Pigh. jam rejecit.

2. *Æmilius Lepidus*. Contigit sub Tib. Graccho, bello celtiberico. Simile facinus L. Tarquinii filii Macrob., I, refert. Vide Servium, ad lib. IX, Æneid.

3. *Statua bullata*. Bulla fiebat ex auro, argento aut alio metallo, in

Digitized by Google

incincta prætexta, S. C. posita : iniquum enim putavit, eum honori nondum tempestivum videri, qui jam virtuti maturus fuisset. Præcurrit igitur Lepidus ætatis stabilimentum[1] fortiter faciendi celeritate, duplicemque laudem e prælio retulit[2], cujus eum vix spectatorem anni esse patiebantur; arma enim infesta, et destricti[3] gladii, et discursus telorum, et adventantis equitatus fragor, et concurrentium exercituum impetus, juvenibus quoque aliquantum terroris incutit. Inter quæ Æmiliæ gentis pueritia coronam[4] mereri, spolia rapere valuit.

2. Hic[5] spiritus ne M. quidem Catonis pueritiæ defuit: nam quum in domo M. Drusi avunculi sui educaretur, et ad eum tribunum plebis[6] Latini de civitate impetranda

formam cordis, concava, in qua contra fascinum continebantur remedia; eaque dependebat præ corde puerorum, præsertim nobilium, ut cordati viri evaderent et a turpibus quibuscunque se abstinerent. Asconius hæc habet: «Simul cum prætexta bulla suspendi in collo infantibus ingenuis solet aurea, libertinis scortea, quasi bullientis aquæ sinus communiens pectus puerile.» Vid. Festus et Macrob. I, 6. — *Prætexta*. Quæ fuit non magistratuum tantum, sed et puerorum nobilium vestis, a prætexta purpura sic dicta, qua utebantur ad ætatis annum usque fere XVII, quasi insigni hoc vestitu monerentur mature, ad summa eniti. Unde *prætextati* iidem qui pueri. Cave interim credas, prætextam semper *nobilium* duntaxat puerorum vestem fuisse, quæ etiam *libertinorum* filiis fuerit concessa, ut vel ex ipso Macrobii loco apparet.

1. *Ætatis stabilimentum*. Id est, annos pubertatis.

2. *Duplicemque..... retulit*. Nam puer etiam tum coronam meruit ob civem servatum, et spolia ab hoste obtruncato retulit. — *Cujus ..... patiebantur*. Nam anno ætatis XVI, aut XVII, jam militabat, quamvis plerumque puerorum animos incessere solet formido, ut pugnæ *spectatores* esse nolint. Vid. Gell. X, 28; Liv. XXV.

3. *Destricti*. Vulgo *districti*. Minus bene. Vide Nott. Gronov. ad Liv. XXVII, 13. — *Aliquantum*. Passim *aliquantulum*, diminutive sensu fere eodem.

4. *Coronam*. Quernam, civicam ex servato cive. — *Rapere*. Id est, avide et raptim capere.

5. *Hic*. An. U. 662. Vide Plutarchum in Catone.

6. *Tribunum plebis*. Torrenius et qui eum sequitur Kapp. legunt *tribunum*, ut illum tunc temporis tribunum plebis fuisse significetur. Lectio *tribuni* exstat in edd. quam plurimis: sed tamen sentimus plane cum Kappio, qui *tribuni* male

Digitized by Google

convenissent, a Q. Poppedio, Latinorum principe, Drusi autem hospite, rogatus, *ut socios apud avunculum adjuvaret*, constanti vultu *non facturum se* respondit; iterum deinde, ac sæpius interpellatus, in proposito perstitit. Tunc Poppedius in excelsam ædium partem levatum, abjecturum inde se[1], nisi precibus obtemperaret, minatus est; nec hac re ab incepto moveri[2] potuit. Expressa est itaque illa vox hominum[3]: « Gratulemur nobis, Latini socii, hunc esse tam parvum; quo senatore ne sperare quidem nobis civitatem licuisset. » Tenero ergo animo Cato totius curiæ gravitatem percepit[4], perseverantiaque sua

legi dicit. Alii habent *Trib. tunc*, quod forte ex *tribunum* ortum esse recte conjicias. — *Q. Poppe dio.* Nonnulli MSS. *Pompedio*, item *Popedio*. Ed. Mog. *Q. Oppedio. Pompedio* scribendum esse censet Voss. ad Vell. Pat. II, 16. Sed incerta admodum est hujus nominis scriptura. Vid. Nott. eruditor. ad Flor. III, 18, 6. — *Latiorum principe.* Torren. et Kapp. legunt: *Latinorum.* Alii vett. edd. *Latini*, quæ quidem lectio in permultis codd. reperitur, unde Coler. *Latii principe* legendum conjiciebat. Aliquot MSS. *Latino.* abbreviate, pro *Latinorum*, ut Kappio videtur. — *Socios.* Notandum, Latinos et Italicos sæpe absolute socios appellari. Quin et aliquando Latini et Italici confunduntur. Ita Valerius Pelignos, qui Latini non erant, sic tamen appellat. Latium autem distinguit Latinos ab Italicis, qui non erant in Latio: fœdus ab iis civibus romanis, qui agrum romanum possidebant aut colebant in Latio; jus Latii ab iis Latinis, qui quum agrum latinum tenerent, non tamen Latii jure fruebantur. Ex fœdere autem, quod cum Latinis est percussum, jus illud emanavit. Constat denique, jus Latii seu Latinitatem jure civium romanorum fuisse deterius, italico vero commodius.

1. *Abjecturum inde se.* Klokk. legebat: *abjecturus inde, nisi.* Nonnulli codd. et MSS. et edd. *abjecturum se eum inde.* Sed nihil mutandum.

2. *Moveri.* Passim *movere*; sensu plane eodem.

3. *Hominum.* Lipsius legendum censet *homini*, ut id referatur ad solum Poppedium, quia e narratione Valeriana et clarius e Plutarcho appareat, illum unum auctorem honorificæ istius in Catonem vocis fuisse. Notandum etiam, latinis solenne esse, ut si quem nomine proprio jam designarint, deque eodem aliquid amplius dicere velint, ipsum nomen proprium non repetant, sed nomen commune *hominis* pro eo ponant. Cujus plurima ubique sunt exempla. Vide hujus capitis calcem, et Cicer. ad fam. I, ep. 2.

4. *Percepit.* Id est, plane, omni-

Digitized by Google

Latinos jura nostræ civitatis apprehendere cupientes repulit.

Item[1] quum salutandi gratia prætextatus ad Sullam venisset, et capita proscriptorum in atrium allata vidisset, atrocitate rei commotus pædagogum suum Sarpedonem nomine interrogavit, quapropter nemo inveniretur, qui tam crudelem tyrannum occideret : quumque is, non voluntatem hominibus, sed facultatem deesse, quod salus ejus magno militum præsidio custodiretur, respondisset; ut ferrum sibi daret[2], obsecravit, affirmando, perfacile se eum interfecturum, quod in lecto illius considere soleret. Pædagogus et animum Catonis agnovit, et propositum exhorruit, eumque postea ad Sullam excussum[3] semper adduxit. Nihil hoc admirabilius. Puer in officina crudelitatis[4] deprehensus, victorem non extimuit, tum maxime consules, municipia, legiones, equestris ordinis[5] majorem partem trucidantem. Ipsum Marium si quis[6] illo loci

no intellexit; nec opus conjectura Perizon. *præcepit.*

1. An. U. 671. Plut. in Catil. Torren. et Kapp. habent *idem;* sed conjunctio *item* (*de même*) nobis magis placet. — *Proscriptorum.* Qui proscripti sunt, eorum nomina scripta in foro exponebantur, et jus omnibus erat eos interficiendi. Quod quum suspicarentur, continuo civitate excesserunt. Eorum bona pro arbitrio proscribentis rapta, vendita, domus sæpe dirutæ. Multi autem, antequam proscriberentur, deprensi, occisi sunt et eorum capita ad Sullam delata. — *Sarpedonem.* Ita quoque dicitur Plutarcho. Alii *Serpedonem* et *Scarpedonem.*

2. *Daret.* Nempe is, cum quo colloquebatur, qui eum custodiebat, pædagogus ejus. Unde omnino *daret* legendum, neutiquam *daretur*, ut est in aliquot codd. — *In lecto.* Antiqui stratis *tribus lectis* epulabantur, unde et *triclinium* sterni dicitur. Thys. ait : *errant, qui dicant, triclinium esse basilicam ipsam, sive cœnationem.* Sed errare mihi ipse Thysius hoc loco videtur, qui putat, de cœna esse sermonem.

3. *Excussum. Excutere* hoc loco est scrutari, si quis quid absconditum secum habeat, quod fere fit *excutiendus* amictus. Vid. Cicer. pro Roscio Amerin. 97, ac infra l. V, c. 4, n. 7.

4. *In officina crudelitatis.* Id est in Syllæ ædibus. Vid. Epit. Liv. l. LXXXVIII.

5. *Equestris ordinis.* Bis mille equites delecti sunt ad supplicium.

6. *Si quis.* A nonnullis codd. ab-

Digitized by Google

statuisset, celerius aliquid de fuga sua, quam de Sullæ nece cogitasset.

3. Cujus filium[1] Faustum C. Cassius condiscipulum suum in schola proscriptionem paternam laudantem, ipsumque, quum per ætatem potuisset, idem facturum minitantem, colapho percussit. Dignam manum, quæ publico parricidio[2] se non contaminaret!

DE INDOLE EXTERNUM EXEMPLUM.

Et ut a Græcis aliquid[3], Alcibiades ille, cujus nescio utrum bona, an vitia patriæ perniciosiora fuerint (illis enim cives suos decepit, his afflixit), quum adhuc puer ad Periclem avunculum suum venisset, eumque secreto tristem sedentem vidisset, interrogavit, quid ita tantam in vultu confusionem[4] gereret. At illo dicente, mandato se civitatis Propylæa[5] Minervæ, quæ sunt januæ arcis,

est, unde Lips. conjicit legendum: *ipsum Marium eo loci statuisses.* Alii: *qui ipsum Marium;* alii: *et qui ipsum Marium.* Torren. malit: *atqui ipsum Marium illo loci statuisses, et celerius,* etc. Kapp. sibi non liquere ait. Nec tamen facile mutaverimus quidquam, quum cohæreant inter se omnia. — *Illo loci.* Quod cum Torren. et Kapp. pro *eo loci* nonnullor. codd. in textum recepimus. Intelligitur autem officina illa crudelitatis, de qua prædictum, id est, domus Sullæ.

1. *Cujus filium.* Anno Urb. 678 circiter. Fuit hic Cassius, qui cum aliis Jul. Cæsarem interfecit. — *Faustum.* Sulla post victoriam creatus dictator perpetuus, voluit se *Faustum* atque felicem, uxorem *Faustam*, liberos quoque *Faustos* appellari. — *Ipsumque.* Pighius ex ingenio edidit: *ipsum quoque;* eumque Coler. et Thys. sunt sequuti.

2. *Publico parricidio.* Quoniam Cæsarem tamquam patrem patriæ confodit.

3. *Et ut..... aliquid.* Subintelligas *adjiciam* aut simile quidquam. Solet Noster ita abrupte loqui, ut v. c. lib. III, c. 2, n. 3 et alibi. — *Alcibiades.* De cujus vitiis atque virtutibus vide Nepotem, Plutarchum, Justinum.

4. *Confusionem.* Perturbationem sive tristitiam.

5. *Propylæa.* Vestibulum. Græco vocabulo utitur, quia græcam tractat historiam. Civitas mandaverat Pericli, ut januas arcis Minervæ conficiendas curaret, et in eam rem de publico data est pecunia: hic vero ingentem pecuniam in hoc opere consumpsit: unde

Digitized by Google

ædificasse, consumptaque in id opus ingenti pecunia, non invenire, quo pacto ministerii rationem redderet, atque ideo conflictari : « Ergo, » inquit, « quære potius, quemadmodum rationem non reddas. » Itaque vir amplissimus atque prudentissimus, suo consilio defectus, puerili[1] usus est, atque id egit, ut Athenienses finitimo implicati bello rationibus exigendis non vacarent. Sed viderint Athenæ, utrum Alcibiadem[2] lamententur, an glorientur : quoniam adhuc inter exsecrationem hominis et admirationem dubio mentis judicio fluctuatur[3].

etiam Demetrius Phalereus vituperavit Periclem, quod tantam pecuniam in præclara ista *propylæa* projecerit. Vid. Cic. offic. II. In arce Athenarum templum erat Minervæ, ut in Capitolio Jovis.

1. *Puerili.* Alii *pueri ;* alii *pueruli.* — *Finitimo.* Peloponnesiaco.

2. *Alcibiadem.* Casus quartus regitur a verbo proximo *lamententur*, nulla verbi sequentis *glorientur* habita ratione. Statuit quidem Vorst. *gloriari* cum quarto casu reperiri, sed is pronominis erit, aut adjectivi, ut *hoc, illud gloriari, multa gloriari.* Contra vitiose diceretur v. c. *Roma gloriatur Ciceronem, Athenæ Demosthenem.*

3. *Fluctuatur.* Non *fluctuantur* quod Pigh. maluit; nam *fluctuatur* impersonaliter dictum. Causa, cur inter Alcibiadis exsecrationem et admirationem dubio mentis judicio fluctuari dicit, hæc est, *quod*, teste Nepote, *nihil illo fuit excellentius vel in vitiis, vel in virtutibus.*

Digitized by Google

CAPUT II.

De fortitudine, cujus exempla romana sunt:

1. M. Horatius Cocles. — 2. Cœlia virgo. — 3. Romulus. — 4. A. Cornelius Cossus. — 5. M. Marcellus. — 6. Certaminum singularium victores T. Manlius Torquatus, M. Valerius Corvus, et P. Scipio AEmilianus. — 7. C. Atilius. — 8. Equites rom. in prælio apud Verruginem. — 9. Iidem in prælio contra Samnites. — 10. Milites rom. in retinenda classe punica. — 11. Miles rom. in prælio cannensi. — 12. P. Licinius Crassus procos. — 13. Q. Metellus Scipio procos. — 14. M. Cato Uticensis. — 15. Porcia M. Jun. Bruti uxor. — 16. M. Cato majoris Catonis filius. — 17. P. Scipio Nasica. — 18. M. AEmilius Scaurus. — 19. C. Julius Cæsar procos. — 20. Tres milites, Vibius Accusus, Valerius Flaccus, T. Pedanius. — 21. Q. Cotius Achilles. — 22. C. Acilius. — 23. M. Cæsius Scæva. — 24. L. Sicinius Dentatus.

De fortitudine, cujus exempla externa sunt:

1. T. Jubellius campanus. — 2. Darius persa. — 3. Leonidas spartanus. — 4. Othryadas spartanus. — 5. Epaminondas thebanus. — 6. Theramenes atheniensis. — 7. Theogenes numantinus. — 8. Hasdrubalis pœni uxor. — 9. Harmonia Gelonis regis filia.

DE FORTITUDINE[1] EXEMPLA ROMANA.

Nos[2] quia jam initia, procursusque virtutis patefecimus, actum ipsum prosequamur; cujus ponderosissima vis, et

1. *De fortitudine.* Magna fuit veterum Romanorum in fortium virorum præclare gestis laudandis propagandisque sollertia, ut nominis immortalitate potirentur. Unde ille ardor, tot immortalia exempla sequendi, quum scirent, egregie facta tantam sequi gloriam, quæ omni alio præmio magis incitat. Nos, in alia bellandi ratione, in vulgus militum sæpe sumus injurii. Quam pauca enim heroici animi documenta, quum et nostra ætate plurima vel a gregariis militibus gesta sint immortalitate digna, ab historicis mandantur memoriæ! At Veterum animos accendebat inprimis laus et gloria.

2. *Nos.* Hæc usque ad *consistunt* referuntur in plerisque codd. MSS. et edd. vett. ad caput præcedens. — *Prosequamur.* Pigh. edidit *persequemur.* Verum omnes codd. MSS. et edd. habent *prosequamur* vel *prosequemur.* Falli autem Torrenium, qui *prosequamur* huc melius accommodatum esse ait, quum *prosequi* laudi, *persequi* vituperio magis conveniat, recte Kapp. animadvertit. Nam *persequi* utroque adhibetur.

Digitized by Google

efficacissimi lacerti[1], in fortitudine consistunt. Nec præterit me, conditor urbis nostræ, Romule, principatum tibi hoc in genere laudis assignari oportere : sed patere, obsecro, uno te præcurri exemplo, cui et ipse aliquantum honoris debes : quia beneficio illius effectum est, ne tam præclarum opus tuum Roma dilaberetur.

1. Hetruscis[2] in urbem ponte Sublicio irrumpentibus, Horatius Cocles extremam ejus partem occupavit, totumque hostium agmen, donec post tergum suum pons abrumperetur, infatigabili pugna sustinuit ; atque, ut patriam periculo imminenti liberatam vidit, armatus se in Tiberim misit : cujus fortitudinem dii immortales admirati, incolumitatem sinceram ei præstiterunt ; nam neque altitudine dejectus[3] quassatus, neque pondere armorum pressus, nec ullo vorticis circuitu actus, nec telis quidem, quæ undique congerebantur, læsus, tutum natandi eventum habuit. Unus itaque tot civium, tot hostium in se oculos convertit, stupentes illos admiratione, hos inter lætitiam et metum hæsitantes[4] ; unusque duos acerrima pugna consertos exercitus, alterum repellendo, alterum propugnando, distraxit ; denique unus urbi nostræ tantum scuto suo, quantum Tiberis[5] alveo, munimenti attulit.

1. *Efficacissimi lacerti.* Validissimum robur.

2. *Hetruscis.* An. U. 245. — *Ponte Sublicio.* Pons Romæ in Tiberi fuit ad eam partem, qua Janiculum ab urbe dirimitur, ea arte constructus, ut trabes sine fulturis eximi possent. Dictus est *Sublicius*, quod ligneus esset et sublicis fulciretur : ita enim vocant palos ad pontis sustentationem in aqua defixos. Vid. Fest. — *Horatius Cocles.* De quo Liv. II ; Dionys. V ; Plut. Flor. aliique.

3. *Dejectus.* Nomen habere vult Lipsius, dejectionem altitudinis intelligens. Sed nil obstat, quo minus retenta vulgari lectione Colerum sequamur, qui vocem *dejectus* per *elisus*, seu deorsum in profundum usque jactus, explicat. — *Vorticis.* Vortex est contorta in se aqua. Vid. Quint. Inst. or. VII. — *Quæ undique congerebantur.* Nonnulli addunt *in eum* ; sed frustra, quum per se satis intelligatur.

4. *Inter.... hæsitantes.* Læti erant ob ejus fortitudinem ; sed metuebant simul, ne deficiens viribus mergeretur, aut telis opprimeretur.

5. *Tiberis.* Antiquum nomen fe-

Digitized by Google

Quapropter discedentes Hetrusci dicere potuerunt : *Romanos vicimus, ab Horatio victi sumus.*

2. Immemorem[1] me propositi mei Clœlia pæne facit; eadem enim[2] tempestate, certe adversus eumdem hostem, et in eodem Tiberi, inclytum ausa facinus; inter cæteras enim virgines obses hosti Porsennæ data, nocturno tempore custodiam egressa, equum conscendit, celerique trajectu fluminis, non solum obsidione, sed etiam metu[3] patriam puella solvit, viris lumen virtutis præferendo.

3. Redeo nunc ad Romulum[4], qui ab Acrone Ceninensium rege ad dimicandum provocatus, quamquam et numero et fortitudine militum superiorem se crederet, tutiusque erat toto cum exercitu, quam solum in aciem descendere, sua potissimum dextra omen victoriæ rapuit :

runt Volturrenum seu Volturnum, teste Annio viterbiensi, cujus tamen testimonia cæteroquin parum habent auctoritatis; nec non Albulam, quod Livius, Silius et Virgilius Æn. VIII, v. 230 sqq. affirmant. Dirimit Latium ab Etruria, et XV ab urbe lapide, duobus ostiis, in mare devolvitur.

1. *Immemorem.* Quia se unum modo exemplum præpositurum Romuli exemplo dixerat.

2. *Enim.* Deest hæc particula in nonnull. codd. eamque suspectam habent Lips. et Perizon. Sed non causalis hoc loco est, verum tantum inservit transitioni.

3. *Metu ..... præferendo.* Aldus aliique ediderunt : *patriam metu solvit, viris puella lumine virtutis præferenda.* Sed rectius hoc, *lumen præferendo.* Sensus est: *Clœlia solvit metu patriam, dum viris puella facem ad virtutem præfert, eosque exempli sui fulgore accendit, ut deposito omni hostis metu virtutis opera fortiter capessant.* Ita Torren. explicat, jamque ante eum ita explicuit Periz. qui cæterum dubitavit, an paulo ante legendum esset *obsidio se*, vel *obsidione se.*

4. *Romulum.* An. U. 4. Liv. I; Plut. Dionys. II; Propert. IV. — *Ceninensium.* Cenina Latii oppidum a Romulo deletum. Plin. VIII, 5. — *Erat.* Passim *esset*, ut cum præcedenti *crederet* conveniat. At variatio modorum et temporum in una periodo non infrequens est vel bonis auctoribus. Cf. supra lib. II, c. 6, n. 11. — *Rapuit.* Ita Aldus, quem Pigh. et alii sequuti. At nonnullæ editiones veteres habent *corripuit*, quod et in utroque cod. Brand. reperitur. Præferenda omnino nostra lectio : nam *rapere* est verbum Valer. valde usitatum in simili re, ad aviditatem celeritatemque apprehendentis significandam. Conf. l. VII, c. 2, n. 5; l. VII, c. 3, n. 3; lib. VII, c. 3, ext. 1.

Digitized by Google

nec incepto ejus fortuna defuit. Occiso enim Acrone, fusisque hostibus, opima de eo spolia[1] Jovi Feretrio retulit. Hactenus istud, quia publica religione consecrata virtus, nulla privata laudatione indiget[2].

4. A Romulo proximus Cornelius Cossus[3] eidem deo spolia consecravit, quum magister equitum ducem Fidenatium in acie congressus interemisset. Magnus initio hujusce generis inchoatæ gloriæ Romulus : Cosso quoque multum acquisitum est, quod Romulum imitari valuit[4].

5. Ne M. quidem Marcelli[5] memoriam ab his exemplis separare debemus, in quo tantus animi vigor fuit, ut apud Padum Gallorum regem ingenti exercitu stipatum, cum paucis equitibus invaderet: quem protinus obtruncatum armis exuit, eaque Jovi Feretrio dicavit.

6. Eodem[6] et virtutis et pugnæ genere usi sunt T. Manlius Torquatus, et Valerius Corvus, et Æmilianus Scipio.

1. *Opima de eo spolia.* Opima spolia, præter Romulum, Cossus a Larte Tolumnio, et M. Marcellus a Viridomaro retulerant. — *Jovi Feretrio.* Feretrius dictus a feretro, instrumento ligneo, de quo suspendebantur spolia, ut commode ferri possent.

2. *Quia publica..... indiget.* Id est, quia Romulus in deorum numerum relatus per se ipsum amplissimam laudem et gloriam habet.

3. *Cornelius Cossus.* An. U. 325. Liv. IV, 17. — *Fidenatium.* Fidenæ, urbs Latii mediterranea. Plin. III, 5. Aliquot MSS. habent *Fidenatum.* Fuit vero proprie rex Veientum, et ad eum defecerant Fidenates, ut notum ex Livio.

4. *Quod..... valuit.* Pro *quod* nonnulli *qui*, et pro *valuit* alii *voluit*.

5. *Ne M. quidem Marcelli.* An. U. 531. Vid. Plutarch. Florum et Liv. XX. Marcellus bellavit contra Boios et Insubres, qui nunc Mediolanenses dicuntur. — *Padum.* Padus, quem auriferum Italiæ fluvium dicunt (Plin. XXXIII), nomen gessit etiam Eridanus, Bodincus et Botigus. Ex imis Vesuli radicibus ortus, XXX aliis fluminibus brevi spatio secum consociatis, in Adriaticum mare excurrit. Isidorus autem ex Alpium jugis eum profluere mavult ex tribus fontibus, quorum unus Padus dictus fuerit. Vid. Melam, II, 4. Danvillii geogr. ant. p. 408. Hodie *Po* vocatur.

6. *Eodem.* An. U. 392, 404, 602. Vid. Livium, VII, et XLVIII; Gellium, IX; Eutrop. II, 2, 3. — *Valerius Corvus.* Sic reposuit Pigh. ex tabb. capitolinis, ubi recte scriptum dicit exstare hoc ejus nomen.

Digitized by Google

Hi enim ultro provocantes hostium duces interemerunt; sed quia sub alienis auspiciis[1] rem gesserant, spolia Jovi Feretrio non posuerunt consecranda. Idem Scipio Æmilianus, quum in Hispania sub Lucullo[2] duce militaret, atque Intercatia prævalidum oppidum circumsederetur, primus mœnia ejus conscendit; neque erat in eo exercitu quisquam aut nobilitate, aut animi indole, aut futuris actis[3], cujus saluti magis parci et consuli deberet; sed tunc clarissimus quisque juvenum, pro amplificanda et tuenda patria, plurimum laboris ac periculi sustinebat, deforme sibi existimans, quos dignitate præstaret, ab his virtute superari; ideoque Æmilianus hanc militiam aliis propter difficultatem vitantibus, sibi depoposcit.

7. Magnum inter hæc fortitudinis exemplum antiquitas offert[4]. Romani Gallorum exercitu pulsi[5], quum se in Capitolium et in arcem conferrent, inque his collibus mo-

Codd. MSS. habent *Corvinus*. — *Æmilianus Scipio*. Æmilianus seu Scipio Africanus junior, qui Carthaginem et Numantiam delevit. Hic in Hispania cum Paullo patre agens, apud Intercatiam provocatorem singulari certamine interemit. — *Provocantes*. Pigh. dedit *provocatos*, quod est in majore parte MSS. Corruptum est forsan, ut Torrenius conjicit, ex compendio scribendi, pro *provocatores*. Certe enim *provocati* ipsi nominatim non erant, sed ultro se ad certamen cum *provocatoribus* obtulerant, venia ad eam rem a ducibus postulata.

1. *Sub alienis auspiciis*. Sub aliis ducibus et imperatoribus, nempe consulibus. Ex quo etiam patet, Cossum non, uti vult Noster, fuisse magistrum equitum, sed, uti Liv., consulem; si enim non suo, sed alieno ductu et imperio vicisset, opima spolia Jovi consecrare non potuisset.

2. *Lucullo*. Hic adversus Celtiberos bellum gessit. Ei successit M. Marcellus, qui Vaccæos, Cantabros aliasque antea ignotas gentes imperio populi rom. subjecit.

3. *Futuris actis*. Futurum erat, ut Carthaginem everteret. Perizon. legit *actibus*, quod ineptum sit, vocari *acta*, quæ *futura* sint. Quam lectionem confirmant sane codd. MSS. aliquot et usus ipsius Valerii.

4. *Antiquitas offert*. An. U. 363. Liv. V; Plut. in Camillo.

5. *Gallorum exercitu pulsi*. Apud Alliam. Alliensis dies deinde nefastus habitus. Quasi latine loquutus auct. non fuisset, nisi addita præpositione, ita eam intrusit Pigh. dum invitis omnibus MSS. et edd. codd. legit *a Gallorum exercitu*. Frustra. Cf. infra lib. IV, c. 7, n. 5.

Digitized by Google

rari omnes non possent, necessarium consilium in plana urbis parte seniorum relinquendorum ceperunt, quo facilius juventus reliquias imperii tueretur; cæterum ne illo quidem tam misero, tamque luctuoso tempore civitas nostra virtutis suæ oblita est; defuncti enim honoribus, apertis januis, in curulibus sellis[1], cum insignibus magistratuum, quos gesserant, sacerdotiorumque, quæ erant adepti, consederunt, ut et ipsi in occasu suo[2] splendorem et ornamenta vitæ præteritæ retinerent, et plebem ad fortius sustinendos casus suo vigore provocarent. Venerabilis eorum aspectus primo hostibus fuit, et novitate rei, et magnificentia cultus, et ipso audaciæ[3] genere commotis: sed quis dubitaret, quin et Galli et victores illam admirationem mox in risum, et in omne contumeliæ genus conversuri essent? Non exspectavit igitur hanc injuriæ maturitatem C. Atilius[4]; verum barbam suam permulcenti Gallo scipionem vehementi ictu capiti inflixit, eique propter dolorem ad se occidendum ruenti cupidius corpus obtulit[5]. Capi ergo virtus nescit; patientia[6] dedecus

1. *Curulibus sellis.* Vid. Gellius, III, 81.

2. *In occasu suo.* Imminente morte. Sic vocabulo *occasus* utuntur etiam Cicero atque Nepos. — *Et plebem..... provocarent.* Badio videtur verosimilius, id eos hoc consilio fecisse, ut majestate religionis, cujus Galli semper fuerint observantissimi, ab injuria tuti essent.

3. *Audaciæ.* Quia inermes consederant, hoste urbem diripiente.

4. *C. Atilius.* Pro *Atilio* Livius et Plut. M. Papirium nominant.

5. *Eique propter.... obtulit.* Sunt, qui hunc ordinem præferant: *corpus cupidius obtulit;* qui etiam est in codd. MSS. aliquot. Præferendus sane videtur, quia in eo minus dubites, utrum ad *ruenti* referendum sit τὸ *cupidius*, an ad *obtulit;* cum quo omnino conjungendum. Id enim vult, Atilium, quamvis impetu ad eum occidendum ferretur Gallus, non minore ardore se ipsi occidendum obtulisse. In cod. Copes. erat: *corpus cupidus obtulit;* quod præ altero sibi placere Perizon. significat.

6. *Patientia.* Sic in omnibus codd. MSS. et edd. legitur. Soli codd. Barber. prim. et Copes. habent *patientiæ*, quod Modius ex conjectura legerat, Perizon. in MS. invenerat et ediderat. Eamdem lectionem Torren. in textum recepit, quia nihil hic laudis tribui potest *patientiæ*, cujus contrarium fuit in

Digitized by Google

ignorat; fortunæ succumbere tristius ducit omni fato; nova et speciosa genera interitus excogitat, si quisquam interit, qui sic exstinguitur.

8. Reddendus[1] est nunc romanæ juventuti debitus honos et gloriæ titulus, quæ, C. Sempronio Atratino consule cum Volscis apud Verruginem parum prospere dimicante, ne acies nostra jam inclinata propelleretur, equis delapsa, se ipsam centuriavit, atque hostium exercitum irrupit. Quo dimoto[2], proximum tumulum occupavit, effecitque, ut omnis Volscorum in se conversus impetus legionibus nostris ad confirmandos animos salutare laxamentum daret. Itaque quum jam de tropæis[3] statuendis cogitarent, prælium nocte dirimente, victoresne, an victi discederent, incerti abierunt.

eo, quem laudat auctor, *C. Atilio.* Neque enim pati potuit, a milite barbam suam contumeliose demulceri. Ac quamvis Valer. in cap. seq. laudet *patientiam*, non laudat tamen *patientiam contumeliæ* sive *patientiam turpem;* quod idem est, ac si dicas *patientiæ dedecus.* Kapp. lect. vulg. defendere conatur, dum ait, vocem *patientia* non esse casum primum, sed sextum, neque ad sequentia pertinere, sed ad præcedentia, ita ut Valer. dixerit: *Capi ergo virtus nescit patientia: dedecus ignorat;* i. e. nihil admittit, quod sibi dedecori sit. Aliter igitur interpungi debere autumat, neque tamen textum mutata interpunctione emendavit. Prætulerim *patientiæ*, si esset in codd. compluribus.

1. *Reddendus.* An. U. 330. Liv. IV, 38, seq. — *Honos et gloriæ titulus.* Hæc verba recipienda censuerim, quum, licet absint in codd. Brand. aliorum tamen prob. codd. auctoritate nitantur. Pigh. quoque sic edidit. Torren. et Kapp. edidere: *debitus gloriæ titulus.* — *Verruginem.* Nomen oppidi Volscorum, cujus ne vestigia quidem amplius exstant. — *Se ipsam centuriavit:* i. e. in centurias peditum se distribuit. Nam *centuriare* est peditum, *decuriare* equitum. Cf. Liv. XXII, 38, 3. Multi codd. MSS. habent *se ipsa*, eleganter pro *se ipsam.* — *Irrupit.* Pigh. maluit *rupit*, eumque Coler. ac Thys. sequuti sunt. Sane insolentius paulo est, verbum *irrumpere* cum quarto casu sine præpositione ponere; exempla tamen videsis ap. Drak. ad Sil. Ital. II, 378.

2. *Dimoto.* Codd. aliquot *demoto;* minus bene. Nam *demovere* est depellere, *dimovere* perrumpere. Sæpius autem prius verbum corruptum esse in posterius, in vulgus notum est. — *Laxamentum.* Remissionem pugnæ.

3. *Tropæis.* De his vid. supra

Digitized by Google

9. Strenuus[1] ille quoque flos ordinis equestris, cujus mira virtute Fabius Maximus Rullianus magister equitum bello, quod adversus Samnites gerebatur, male commissi prælii crimine levatus est: namque Papirio Cursore propter auspicia repetenda in urbem proficiscente, castris præpositus, ac vetitus in aciem exercitum ducere, nihilominus manus cum hoste, sed non tam feliciter, quam[2] temere, conseruit: procul enim dubio superabatur. Cæterum optimæ indolis juventus, detractis equorum frenis, vehementer eos calcaribus stimulatos, in adversos Samnites egit, obstinataque animi præsentia extortam manibus hostium victoriam, et cum ea spem maximi civis[3] Rulliani patriæ restituit.

10. Qualis deinde[4] roboris illi milites, qui vehementi ictu remorum concitatam fugæ punicam classem, nantes lubrico pelagi, quasi camporum firmitate, pedites in littus retraxerunt?

11. Ejusdem temporis[5] et notæ miles, qui cannensi

Flor. III, 2; Strabo, IV. — *Discederent, incerti abierunt.* Pigh. vocibus permutatis dedit: *abirent, incerti discesserunt.* Nostra lect. omnium codd. auctoritate nititur.

1. *Strenuus.* An. U. 429. Liv. VIII, 30. — *Magister equitum* dicebatur, hoc est, eligebatur a dictatore, et præerat equitibus; dictator, cujus magistratus semestris erat, legionibus, immo universo exercitui.

2. *Quam temere.* Livius refert: Fabium, quod per exploratores comperisset, perinde omnia soluta esse apud hostes, ac si nemo romanus in Samnio esset, exercitum instruxisse. Sed in eo temeritatem ponit, quod ferox adolescens indignitate sit accensus, quod omnia in dictatore videretur esse reposita.

3. *Maximi civis.* Filium Fabii Maximi; hunc etiam, quod vir eximiæ virtutis esset, et non nominaretur tantum Maximus, *maximum civem* vocat.

4. *Deinde.* Pigh. exhibuit *demum;* et nostra lectio per codd. firmior est. — *Fugæ.* In quam compulsi sunt a Duillio primo bello punico. An. Urb. 535 circiter. Guyet. et Gud. malint casu sexto *fuga*, id est fugiendi studio. Quod haud spernendum.—*Lubrico.* Multi MSS. *lubricis*, aliquot *lubrici.* Torrenio placet *lubricis.* — *Quasi camporum.* Tamquam essent in continenti terra. Malunt quidem nonnulli *brachiorum* pro *camporum;* sed perperam.

5. *Ejusdem temporis.* An. U. 537. Liv. XXII, 51. — *Cannensi.* Can-

Digitized by Google

prælio, quo Hannibal magis vires Romanorum contudit, quam animos fregit, quum ad retinenda arma inutiles vulneribus manus haberet, spoliare se conantis Numidæ cervicem complexus, os, naribus et auribus corrosis, deforme reddidit, inque plenæ ultionis morsibus exspiravit. Sepone iniquum pugnæ eventum : quantum interfectore fortior interfectus? Pœnus enim in victoria obnoxius morienti solatio fuit[1] : Romanus in ipso fine vitæ vindex sui exstitit.

12. Militis hujus in adverso casu tam egregius tamque virilis animus, quam[2] relaturus sum imperatoris. P. enim Crassus, cum Aristonico[3] bellum in Asia gerens, a Thracibus, quorum is magnum numerum in præsidio habebat, inter Elæam et Smyrnam exceptus, ne in ditionem ejus perveniret, dedecus, arcessita ratione mortis, effugit :

næ in Apulia Dauniorum, campo Diomedeo, ad Aufidi ostia. — *Plenæ*. In codd. MSS. et edd. vett. complurib. est *plenis*, quod Torren. censet præferendum. *Ultio* ipsa enim, ait, non poterat dici *plena*, quippe vivum reliquit Numidam. Sed *morsus* erant *pleni* ultionis.

1. *Pœnus enim..... fuit*. Pro *in victoria*, passim legitur : *in victoriam*. Deinde *solatio fuit* tamquam glossema e textu eliminandum Gud. et Guyet. Neutrum admiserim. Sensus nimirum est : *Pœnus, qui, in acie victor, in romani militis vulnerati potestatem venerat, ipsi Romano morienti fuit solatio*.

2. *Quam relaturus sum imperatoris*. Addunt nonnulli voculam *quem*, nec abesse posse videtur, quia alioquin, non esset, quod respiceret ad vocem *relaturus*. Plena oratio esset : militis hujus animus tam egregius fuit, quam fuit animus imperatoris, quem relaturus sum. *Quem* etiam in uno cod. Brand. invenire licet, necnon in cod. Leid. Tert. et Ultraject. primo. Torrenius ejiciendum putat, neque Kappius in textum recepit. — An. U. 623. Florus, l. II, c. 20, in fin. Orosius, lib. V, cap. 10.

3. *Aristonico*. Filius fuit Eumenis, regis Pergameni, non justo matrimonio, sed ex pellice Ephesia, citharistæ cujusdam filia genitus. Is post mortem Attali, qui populum romanum regni heredem reliquerat, Asiam velut paternum regnum invasit. Vid. Justin. XXXVI, 4. Hunc Aristonicum postea C. Perpenna vicit. — *Smyrnam*. De Smyrnæ origine non consentiunt Veteres. Herodotus eam tribuit Theseo, qui urbem uxoris suæ nomine, sicut Lacedæmon Spartam, vocarit. Vid. Strab. lib. XIV. — *Ditionem*. Nonnulli *deditionem* edidere, quod in quibusdam codd. MSS. reperitur.

Digitized by Google

virgam enim, qua ad regendum equum usus fuerat, in unius barbari oculum direxit[1], qui, vi doloris accensus, latus Crassi sica[2] confodit; dumque se ulciscitur, romanum imperatorem majestatis amissæ turpitudine liberavit[3]. Ostendit fortunæ Crassus, quam indignum virum tam gravi contumelia afficere voluisset; quoniam quidem injectos ab ea libertati suæ miserabiles laqueos prudenter pariter ac fortiter rupit, donatumque se jam Aristonico, dignitati suæ reddidit.

13. Eodem mentis proposito usus est Scipio[4]; namque infeliciter[5] Cn. Pompeii generi sui defensis in Africa par-

1. *Direxit*. Cod. Ultraject. prim. *duxerat*. Minus bene.

2. *Sica*. Sica fuit ferreus culter, seu gladiolus recurvatus : ξίφη ἐπικαμπῆ Suidas vocat. Josephus, Antiquitat. XX, tradit, latrones usos cultellis, qui magnitudine similes essent recurvis Persarum acinacibus. Aprorum dentibus eas comparat Athenæus. Occulte eos, ad obvios clanculum transfodiendos, gestabant : unde eorum usus Romæ prohibitus lege adv. sicarios.

3. *Majestatis.... liberavit*. Si enim vivus in hostium potestatem venisset, ex imperatore servus esset factus.

4. *Scipio*. An. U. 707. Liv. 114. App. B. C. II. Summopere Veteres eos laudant, qui in rebus perditis necem sibi consciscunt ipsi. At hoc non fortitudinis, sed potius trepidi ac pusilli animi est argumentum, omnem spem deponere, et, ne duriora patiamur, leviora quæ videntur, subire; superbiæ maximæ, fortunæ cedere nescium esse; summæ stultitiæ, injuriam ab aliis illatam, quum in illis non possimus, in nobis ipsis ulcisci. Sed naturali tantum instinctu Veteres, rectiore morum doctrina nondum emendati, ferebantur modo ira, modo superbia, modo aliis affectibus effrenatis in atrocia quævis, quibus vel in se ipsos sævirent. Et impium sane, quum Numini spiritum nobis datum debeamus, homicidium est, quod quis in se committit ipse. Ita recte alii Veterum non penes nos esse dixerunt, animam, quam Deus custodiendam nobis, donec eam evocarit, dederit, pro lubitu ejicere.

5. *Namque infeliciter*, etc. Dicitur Cæsar, quum audisset, adversarios suos vetusto quodam confidere vaticinio, quo semper in Africa vincere fatale Scipionum generi foret (haud facile dictu est, utrum, ut hostium imperatorem Scipionem per jocum floccipenderet, an, ut serio sibi id vindicaret augurium), quemdam ex Corneliorum familia, hominem sane abjectum et despectissimum, Scipionem, cognomento Salutionem, inter prælianduum perinde ac exercitus ducem

Digitized by Google

tibus, classe Hispaniam petens, quum animadvertisset navem, qua vehebatur, ab hostibus captam, gladio præcordia sua transverberavit; ac deinde prostratus in puppi, quærentibus Cæsarianis militibus, *ubinam esset imperator*, respondit : *Imperator bene se habet;* tantumque eloqui valuit, quantum ad testandam animi fortitudinem æternæ laudi satis erat.

14. Tui quoque clarissimi excessus, Cato[1], Utica monumentum est, in qua ex fortissimis vulneribus tuis plus gloriæ, quam sanguinis, manavit. Siquidem constantissime in gladium incumbendo, magnum hominibus documentum dedisti, quanto potior esse debeat probis dignitas sine vita, quam vita sine dignitate?

15. Cujus filia minime muliebris animi[2]: quæ[3] quum Bruti viri sui consilium, quod de interficiendo Cæsare ceperat, ea nocte, quam dies teterrimi facti secutus est, cognovisset, egresso cubiculum Bruto, cultellum tonsorium quasi unguium resecandorum causa poposcit, eoque velut forte elapso, se vulneravit; clamore deinde ancillarum in cubiculum revocatus Brutus, objurgare eam cœpit, quod tonsoris præripuisset officium: cui secreto Porcia[4],

proposuisse, ita ut cum hoste interdum congredi cogeretur, et quasi eadem fortuna ex nomine Scipionis uteretur. Cæterum de Scipionis atque Catonis morte leg. Cæsar. de B. Afr. cap. 96 et 89, et Senecæ epist. ad Lucilium 25.

1. *Cato.* Hunc Cæsar dicere solitus erat, invidisse gloriæ suæ, quod sub ejus noluisset esse imperio. Cato enim, nisi liber et cum dignitate, vivere noluit. — An. U. 707. Plut. Appian. Civ. II. — *Utica.* Punicarum in Africa urbium, si Carthaginem demas, nulli cedebat Utica. Sexaginta autem stadiis a Carthagine distabat, ut testatur Appianus, versus occasum. Justin. lib. XVIII, Tyriorum coloniam fuisse affirmat. Antiquitate præferebatur Carthagini. Vid. Sil. Ital. III. Velleius Patercul. circa Codri tempora Tyrios paucis annis post Gades Uticam condidisse refert.

2. *Cujus filia.... animi.* An. U. 709. Plut. in Bruto.

3. *Quæ.* Hæc vocula Perizon. suspecta est; haud recte, opinor.

4. *Porcia.* Hæc postea, audita mariti morte, cui superesse nullo modo constituisset, carbones ardentes in os conjecit ac devoravit,

Digitized by Google

«Non est, inquit, hoc temerarium factum meum, sed in tali statu nostro amoris mei erga te certissimum indicium; experiri enim volui, si tibi propositum ex sententia parum cessisset, quam æquo animo me ferro essem interemptura.»

16. Felicior progenie sua[1] superior Cato, a quo Porciæ familiæ principia manarunt: qui quum ab hoste in[2] acie vehementi periculo peteretur, vagina gladius ejus elapsus decidit; quem subjectum præliantium globo, et undique hostilibus pedibus circumdatum, postquam abesse sibi animadvertit, adeo constanti animo in suam potestatem redegit, ut illum non periculo oppressus rapere, sed metu vacuus sumere videretur: quo spectaculo attoniti hostes, postero die ad eum[3] supplices pacem petentes venerunt.

17. Togæ quoque fortitudo militaribus operibus inse-

nulla alia ad mortem voluntariam via reperta, quoniam genus omne telorum inde esset amotum; itaque novo mortis genere consumpta est. Simile exemplum edidere Arria et Senecæ uxor.

1. *Progenie sua felicior.* I. e. quam Cato Uticensis. — *Cato.* An. U. 585. Vid. Justin. XXXIII. Audi et ipsum loquentem in Ciceronis Catone majore. — *Porciæ familiæ.* Porcia gens plebeia, e qua M. Cato, qui Censorius appellatus est, Tusculo municipio oriundus, primus ad honores est evectus. Vid. Gell. XIII, 18.

2. *In acie.* In bello adversus Persen, regem Maced. — *Vehementi periculo.* Omnes codd. MSS. pro *vehementi* legunt *vehementer*, et *parvulo*, *parvulus*, itemque *perulo*, pro *periculo*: quibus lectt. manifeste aliquid mendi inest. Unde hic locus in vett. edd. varie emendatur. Vorst. edidit *vehementer percito* sc. hoste. *Vehementer parmula* conjicit Perizonius, ut magis concussus fuerit quam vulneratus, quare et facilius gladium excidere potuisse autumat. In lib. Dan. ad oram not. *vehementi tragula*, unde Colerus malit *vehementi ictu*, quod verisimile sit, ex eo ictu gladium vagina elapsum esse. Torren. *perulo* forsan ex *prælio* ortum esse credit. Vulgatam sequuti sumus lectionem, idoneo sensu haud destitutam.

3. *Ad eum.* Non est verisimile, ad Catonem tunc admodum juvenem, munere publico nondum fungentem, pacem petitum venisse hostium legatos. Conjicit igitur Lipsius, legendum esse *ad Paullum*: hoc enim congruere cum historia; quia universi Macedones, teste Plutarcho, illo biduo fidei se Paulli Æmilii permiserint. Colero τὸ *ad eum* plane insititium videtur.

Digitized by Google

renda est, quia eamdem laudem foro atque castris edita meretur. Quum Ti. Gracchus[1] in tribunatu profusissimis largitionibus favore populi occupato rempublicam oppressam teneret, palamque dictitaret, *interempto senatu, omnia per plebem agi debere,* in ædem Fidei publice convocati patres conscripti a consule Mucio Scævola, quidnam in tali tempestate faciendum esset, deliberabant; cunctisque censentibus, *ut consul armis rempublicam tueretur,* Scævola negavit, *se quidquam vi esse acturum;* tum Scipio Nasica[2]: « Quoniam, inquit, consul, dum juris ordinem sequitur, id agit, ut cum omnibus legibus romanum imperium corruat, egomet privatus voluntati vestræ me ducem offero: » ac deinde lævam manum parte[3] togæ circumdedit, sublataque dextera proclamavit, *Qui rempublicam salvam esse volunt, me sequantur:* eaque voce

1. *Quum T. Gracchus,* etc. An. U. 620. Plut. in Graccho, et complures — *Occupato.* Mavult Lips. legere *aucupato,* quod accommodatum rei sensum exhibet; licet cum Torren. negari nequeat, bene *occupato* legi posse, quum *occupare* sit ejus, qui favorem populi jam prorsus tenet, *aucupari* vero is dicatur, qui illum quærit ambitve. — *In ædem Fidei.* Ædem Fides haBuit in Capitolio, aut a Numa, aut ab Attilio Calatino consecratam, vicinam Jovis templo. Vide Cic. Offic. III; Plin. XXXV. Velamine albo simulacrum obtegi solebat, quod erat sinceritatis indicium. Unde *canam* fidem appellasse videtur nonnullis Maro. Symbolum ejus semper et ubique erat data manus dextra. — *Publice.* Editt. antiquiorr. habent *publicæ,* ut vox ad præcedens *Fidei* referatur, eamque lect. Torren. præferendam dücit, quia nihil attineat dicere, senatores fuisse *publice* convocatos, quum id satis manifestum sit ex eo quod a consule erant convocati. Ad codices MSS. in hac re provocari non potest, quum plerique semper pro diphthongo habeant *e* simplex.

2. *Scipio Nasica.* Tertium cognomen *Serapio* omisit Valer. Cf. Plin. VII, 12.

3. *Parte.* Passim *aperta,* quod Ald. ediderat, unde Pigh. *apertæ* dedit, quasi in Aldina ed. typographicum esset sphalma. Colerus mallet: *læva humerum parte togæ circumdedit;* quia Appianus scribat, Nasicam laciniam togæ in humerum et caput rejecisse. Nonnulli ediderunt *apte;* sensu haud incongruo, si legeretur *toga;* sed probabilius *parte,* quod fide plurimor. codd. nititur. — *Qui rempublicam,* etc. Hanc formulam in militum subitariorum evocatione fuisse solem-

Digitized by Google

cunctatione bonorum civium discussa, Gracchum cum scelerata factione, quas merebatur pœnas, persolvere coegit.

18. Item[1] quum tribunus plebis Saturninus, et prætor Glaucia, et Equitius designatus tribunus plebis, maximos in civitate nostra seditionum motus excitassent, nec quisquam se populo concitato opponeret; primum M. Æmilius Scaurus[2] C. Marium, consulatum sextum gerentem, hortatus est, ut libertatem legesque manu defenderet, protinusque arma sibi afferri jussit: quibus allatis, ultima senectute confectum et pæne dilapsum corpus induit, spiculoque[3] innixus ante fores Curiæ constitit, ac parvulis extremi spiritus reliquiis, ne respublica exspiraret, effecit. Præsentia enim animi sui senatum et equestrem ordinem ad vindictam exigendam impulit.

19. Sed ut superius armorum et togæ, ita nunc[4] etiam siderum clarum decus divum Julium, certissimam veræ

nem, scribit Isidorus, IX, 3. Vid. Appian. de Bell. Civil. Multi crediderunt, Gracchum, quia exosus patriciorum opes plebis commodo favit, perduellionis erimine falso esse accusatum, et multa de eo ficta, quæ odium plebis in eum excitarent. Plerumque enim, qui plebeiorum rebus prospiciebant, iis invidia facta, et, ut incerti vulgi favor in iram verteretur, suspicio sparsa, eos novarum rerum cupidos, regiam petere dignitatem.

1. *Item*, etc. An. U. 653. Aurel. Vict. c. 72. — *Equitius*. Tib. Gracchi filium se profitebatur.

2. *M. Æmilius Scaurus*. Uti Sallustius eum depingit, fuit vir nobilis, factiosus, avidus potentiæ, honoris, divitiarum, cæterum vitia sua callide occultans. Quid mirum, si omnes, qui vel similem peterent potestatem, aut potentioribus senatuique aperte repugnarent, persequeretur.

3. *Spiculoque*. Spiculum, ut Vegetius ait, erat missile telum, cujus ferrum triangulum, unciarum novem; hastile pedum quinque et semis. — *Innixus*. Codex Cop. *immissus*, quod Perizonio placet, nobis admodum displicet. Forte ita scriptum pro *innisus*, ut est in cod. Barb. prim. et Leid. sec. — *Curiæ*. Varro testatur, et loca, ubi curarent sacerdotes res divinas, Curias dicta esse, et ubi senatus humanas, ut Curia Hostilia, quam Hostilius rex ædificavit. Senatus autem semper in locis sacratis cogebatur.

4. *Ita nunc*, etc. An. U. 696. Cæs. de B. G. II, 15; Sueton. in Cæs. — *Siderum*. Quum Cæsari Au-

Digitized by Google

virtutis effigiem, repræsentemus. Quum innumerabili multitudine, et feroci impetu Nerviorum[1] inclinari aciem suam videret, timidius pugnanti militi scutum detraxit, eoque tectus acerrime præliari cœpit: quo facto fortitudinem per totum exercitum diffudit, labentemque belli fortunam divino[2] animi ardore restituit. Idem alio prælio[3] legionis Martiæ aquiliferum ineundæ fugæ gratia jam conversum, faucibus comprehensum, in contrariam partem detraxit, dexteramque ad hostem tendens, *Quorsum tu*, inquit, *abis? illic sunt cum quibus dimicamus*[4]: et manibus quidem

gustus funebres ludos faceret, medio die stella apparere visa est; unde eum inter *sidera* translatum Romani credebant. Vid. sup. præf. l. I.

1. *Nerviorum*. Nervii sunt Galliæ transalpinæ aut Germaniæ gens, qua nunc Moguntinenses fere sunt. Treviris erant finitimi. Vid. Tac. Germ. c. 26, §. 6; Mela, II, 1. Densissimas incolebant silvas, inque profundo nemore filiis et supellectili collatis, ex sexaginta millibus ad quingentorum numerum redacti sunt, et ex patriciis, qui sexaginta numero erant, tres tantum superfuere incolumes. Animis adeo obstinatis et perseverantibus pugnam sustinuerunt, ut exercitum pæne in fugam verterent: nam verso in fugam equitatu, VII et XII legiones circumvenere, et universos centuriones trucidarunt. Cæsar tamen eos vicit: unde natum est proverbium: « Romanorum perseverantia Nerviorum tandem vicit pervicaciam. »

2. *Divino*. In quatuor codicibus MSS. et ed. Mog. *divini*, quod Torren. recte præfert.

3. *Alio prælio*. In Africa contra Scipionem Pompeii socerum gesto. — *Aquiliferum*. Signum legionis Aquila, et quidem unius una, itaque per ipsas aquilas numerabant legiones. Aquilæ originem petunt alii a Jove, alii a Trojanis. Prisci autem non aquilam solum, sed plures animalium rapacium aut in pugnas natorum effigies præferebant, ut lupos, apros, equos. Prisci Germani quoque ferarum imagines inter signa habebant. Aquilæ vero hæc dignitas etiam apud alias gentes fuit. Persis regale hoc signum. Romanæ aquilæ aureæ aut argenteæ forma hæc erat: pinnas extendens summæ hastæ insistebat et fulmen sæpe unguibus tenebat, quasi jaculatura. In hibernis aquila in sacello seu ædicula reposita. Romæ quoque signa in templo adservata, nimirum Saturni, religionis causa et custodiæ; ibi enim ærarium erat. Defigi etiam in terram solebat, et in ipsa pugna, quum staret certamen, nec impelleretur hostis, et in castris. — *Detraxit*. Periz. præfert *retraxit*, hoc verbum in fugientes et fugæ se parantes magis convenire putans. Conf. inf. V, 8, 5; et vid. Flor. III, 19, 7; Liv. XXXIV, 14.

4. *Illic ..... dimicamus*. Pro *illic*

Digitized by Google

unum militem, adhortatione vero tam acri omnium legionum trepidationem correxit, vincique paratas, vincere docuit.

20. Cæterum, ut humanæ[1] virtutis actum exsequamur, quum Hannibal Capuam, in qua romanus exercitus erat, obsideret, Vibius Accuæus, pelignæ[2] cohortis præfectus, vexillum trans punicum vallum projecit; se ipsum, suosque commilitones, si eo[3] hostes potiti essent, exsecratus: et ad id petendum subsequente cohorte, primus impetum fecit: quod ut Valerius Flaccus[4] tribunus tertiæ legionis adspexit, conversus ad suos, «Spectatores, inquit, ut vi-

codd. aliquot habent *illi;* pro *dimicamus* passim legitur *dimicabis* et *dimicas*. Pigh. ad oram notavit, nonnullos codd. habere *dimicandum est*, quod Vorstius in uno quoque cod. Brand. scriptum reperit.

1. *Humanæ*. Nam superiora duo Julii exempla *divinæ* fingit esse virtutis. — *Quum Hannibal*, etc. An. U. 541. Vid. Livius, XXV, a quo Valerius dissentit. Livius enim narrat, non romanum, sed punicum præsidium in urbe Capua tunc fuisse: neque Hannibalem, sed missum ab eo ex Bruttiis Hannonem in Campania versatum fuisse; non ut Capuam primum occuparet, sed ut punico præsidio jam munitam etiam frumento instrueret; oppugnatam a Romanis non Capuam, sed castra Hannibalis fuisse; ipsam urbem autem biennio post demum, quum multum temporis in obsidione consumptum esset, in Romanorum potestatem fuisse redactam.

2. *Pelignæ*. Pelignum oppidum latinum; *Peligni* Romanorum socii; *Accua* Pelignorum oppidum, a quo Accuæus dictus. Legendum itaque omnino *Accuæus*, non vero *Acceus*, quod multi habent.

3. *Si eo*. Scilic. *vexillo*. Codices MSS. sex *si signo*, quod minime cum Torren. præferendum, quum non nisi ex interpretamento originem trahere videatur. — *Exsecratus*. Exsecrari est, dira quædam et imprecatoria verba sibi indicere atque caput suum devovere, si fallat. Hocce verbum autem non semper de affectione animi, sed de eo, qui affectionis signum est, sermone intelligitur. Pari modo et *miserari*, *detestari*, *opinari*, *existimare*, etc., quum proprie aliquid internum et ad animum pertinens significent, ad eam, qua internum istud exprimitur, orationem significandam transferuntur.

4. *Valerius Flaccus*. Hunc fuisse *C. Valer. Flaccum*, qui postea prætor Galliam obtinuerit, et ex ea imperator appellatus sit, censuit Ursinus. — *Tertiæ legionis*. Plerumque nomen legionum a numero erat, pro ordine temporis et delectus. Sed postea interdum ab imperatoribus, a provinciis, a virtute, ab armorum præstantia sunt cognominatæ; exempli causa, *Augusta*, *Claudia*, *Cyrenaica*, *Macedonica*, *Victrix*, *Pia*, *Fidelis*, *Ferrata*, etc.

Digitized by Google

deo, alienæ virtutis huc venimus; sed absit istud[1] dedecus a sanguine nostro, ut Romani gloria cedere Latinis velimus. Ego certe aut speciosam optavi mortem[2], aut felicem audaciæ exitum; vel solus igitur præcurrere paratus sum. » His auditis, Pedanius centurio convulsum[3] signum dextra retinens, « Jam hoc, inquit, intra hostile vallum mecum erit; proinde sequantur, qui id capi nolunt. » Et cum eo in castra Pœnorum irrupit, totamque secum traxit legionem. Ita trium virorum fortis temeritas Hannibalem paullo ante spe sua Capuæ potitorem, ne castrorum[4] quidem suorum potentem esse passa est.

21. Quorum virtuti nihil cedit[5] Q. Cotius, qui propter fortitudinem *Achilles* cognominatus est; nam ut reliqua ejus opera non exsequar, abunde tamen duobus factis, quæ relaturus sum, quantus bellator fuerit, cognoscetur. Q. Metello consule legatus in Hispaniam profectus, celtibericum[6] sub eo bellum gerens, postquam cognovit a quodam gentis hujus juvene, se ad dimicandum provocari (erat autem illi forte prandendi gratia mensa posita); relicta ea, *arma sua extra vallum deferri, equumque*

1. *Istud.* Pigh. edidit *hoc;* sed omnes codices MSS. et edd. vett. præferunt *istud.*

2. *Optavi mortem.* Lips. ex mente viri fortis morituri reponendum putavit *oppetam mortem.* Sed nihili est conjectura Lipsii. Respiciendum ei fuisset ad id, quod proxime sequitur: *felicem audaciæ exitum*, ad quod verbum *oppetere* non quadrat.

3. *Convulsum.* E terra, in qua fixum fuerat.

4. *Castrorum.* Quibus exutus est Hannibal in fugam versus. — *Potentem.* In septem codd. MSS. *potientem*, quod Torrenio præplacet. Sed melior lect. vulg. Sensus est: Vibius, Valerius Flaccus, et Pedanius non passi sunt, ut castra sua possideret Hannibal, qui sperasset, se mox Capuam possessurum.

5. *Cedit*, etc. Anno Urb. 611. — *Q. Cotius.* Valde variant codices in exprimendo hoc nomine. Modo *Occius*, modo *Otius*, *Tetius*, *Coccius*, *Octius*, itemque *Accius* legitur. Theophil. suspicatus est *Cotta*, Colerus *Cæditius*. — *Achilles.* Hoc cognomen L. Sicinio Dentato tributum narrat Gellius, II, 11. Vid. Festus in voce *obsidionalis.*

6. *Celtibericum.* Celtæ olim ad Iberum consederant, de quibus Lucanus in Pharsalia:

Profugique a gente vetusta
Gallorum Celtæ miscentes nomen Iberi.

Digitized by Google

educi[1] *clam* jussit, ne a Metello impediretur : et illum Celtiberum insolentissime obequitantem consectatus interemit, detractasque corpori ejus exuvias[2] ovans lætitia in castra retulit. Idem Piresum[3], nobilitate ac virtute Celtiberos omnes præstantem, quum ab eo in certamen pugnæ devocatus esset, succumbere sibi coegit; nec erubuit flagrantissimi pectoris juvenis gladium ei suum et sagulum[4], utroque exercitu spectante, tradere; ille vero etiam petiit, *ut hospitii jure inter se juncti essent, quando inter Romanos et Celtiberos pax foret restituta.*

22. Ne C. Acilium[5] quidem præterire possumus : qui, quum decimæ legionis miles pro C. Cæsaris partibus maritima pugna præliaretur, abscisa dextra, quam Massiliensium navi injecerat, læva puppim apprehendit; nec ante dimicare destitit, quam captam profundo mergeret. Quod factum parum justa notitia patet[6]. At Cynægirum[7] atheniensem simili pertinaciâ in consectandis hostibus usum, verbosa laudum suarum cantu Græcia, omnium seculorum memoriæ litterarum præconio inculcat.

23. Classicam Acilii gloriam terrestri laude M. Cæsius Scæva, ejusdem imperatoris centurio, subsequutus est[8]. Quum

1. *Educi.* In plerisque edd. vett. est *duci ;* minus bene. Pugnabatur enim extra vallum.

2. *Exuvias.* Exuviæ arma sunt vel vestes, victis hostibus detractæ, ab *exuendo* dictæ.

3. *Piresum.* Ascens. dedit *Piresium*, quum cætt. edd. omnes, si unam aut item alteram Gryphior. excipias, habeant cum complurib. MSS. *Piresum.*

4. *Sagulum.* Amiculum militare, variis coloribus contextum.

5. *Ne C. Acilium*, etc. An. U. 704. Plut. et Suet. in Cæs. *Atilium* eum vocant. V. Herodot. IX ; Just. II.

6. *Quod factum ..... patet.* Paulo obscurius dictum. Innuunt hæc verba, factum istud ab aliis non in litteras relatum ac memoriæ proditum esse.

7. *Cynægirum* Ammian. XXVI; eum Callimach. nominat. Utrumque exemplum inter res maxime miras referendum, quum fere fidem excedant.

8. *Subsequutus est.* An. U. 705. Cæs. B. C. III ; Lucan. VI; Appian. Civil. II. Factum hoc juxta Dyrrachium. Vid. Sueton. in vit. Cæs. qui refert : » Scævam custodiam portæ commissi castelli reti-

Digitized by Google

enim pro castello, cui præpositus erat, dimicaret, Cneique Pompeii præfectus jussu ejus[1] summo studio et magno militum numero ad id capiendum niteretur, omnes, qui propius accesserant, interemit; ac sine ullo regressu pedes pugnans, super ingentem stragem, quam ipse fecerat, corruit[2]; cujus capite, humero, femore saucio, et oculo eruto, scutum centum et viginti ictibus perfossum apparuit[3]. Tales in castris divi Julii disciplina milites aluit, quorum alter dextera, alter oculo amisso hostibus inhæsit : ille[4] post hanc jacturam victor, hic ne hac quidem jactura victus.

nuisse; » Cæsar : « ejus opera castellum magna ex parte conservatum, ideoque virtutis ergo Scævam primipilatu millibusque æris ducentis donatum, » memorat. Non igitur tot vulneribus obiit.

1. *Jussu ejus.* Pro quo in cod. Dan. et Leid. sept. est *Justuletus*, scilicet nomen illius præfecti Pompeiani quasi Valer. expresserit. Nec tamen facile quemquam, qui istud nominis proprii monstrum serio defendere ausit, exstiturum esse credimus, quum a Plutarchi, Appiani, Suetonii et Lucani scriptis absit penitus. — *Ad id capiendum niteretur.* Codd. MSS. longe major pars exhibet : *ad eum capiendum mitteretur.* Male. Nostra lectio est in quinque codd. ipsique rei optime congruit. Nam, ut Kapp. recte monet, Pompeii præfectum summa ope nisum esse, ut castellum caperet, sicuti imperator jusserat, credibile est. At quis sibi persuadeat, præfectum jussu Pompeii missum esse magno militum numero, ut Scævam caperet, qui intra munitiones erat, et quem capere non poterat, nisi castello potitus esset? Quid, quod τὸ *mitteretur* non satis quadrat ei, quod præcedit, *jussu ejus* et *summo studio!* Non concinne enim dicitur *jussu alicujus mitti* et *summo studio mitti.* At *jussu alicujus ad aliquid faciendum niti*, et *summo studio niti*, apte dicuntur.

2. *Corruit.* Quod minime h. l. significat *mortuus est*, sed potius : *concidit* lassitudine ac vulneribus confectus.

3. *Cujus capite..... apparuit.* Ita scriptum reperit Pighius in tribus codicibus; neque aliter codd. Brand. aliique complures. Nonnulli habent *saucium* pro *saucio*, alii *femine* pro *femore.* In quibusdam editionibus veteribus est : *cujus corpus capite*, etc. At omnes codices MSS. ignorant *corpus*, et recte Pigh. expunxit. Cur autem pro *saucio* scripserit *saucii*, et post *oculo eruto* addiderit *cæci*, rationem nullam videmus. Nostra lect. est ea, quam Torren. Kapp. et Helfr. in textum receperunt.

4. *Ille.* Id est, *Acilius*, qui post jacturam manus dextræ navim profundo mersit. — *Jactura.* Amissi oculi. — *Hic.* Id est, Scæva, qui

Digitized by Google

Tuum vero, Scæva[1], inexsuperabilem spiritum in utraque parte rerum naturæ, qua admiratione prosequar, nescio: quoniam excellenti virtute dubium reliquisti, inter undasne pugnam fortiorem edideris, an in terra vocem[2] emiseris. Bello namque[3], quo C. Cæsar non contentus opera sua Oceani claudere littoribus, britannicæ insulæ cælestes injecit manus, cum quatuor commilitonibus rate transvectus in scopulum vicinum insulæ, quam hostium ingentes copiæ obtinebant; postquam æstus regressu suo spatium, quo scopulus et insula dividebantur, in vadum transitu facile[4] redegit, ingenti multitudine Barbarorum affluente, cæteris rate ad littus regressis, solus immobilem stationis gradum retinens, undique ruentibus telis, et ab omni parte acri studio ad te invadendum nitentibus, quinque militum diurno prælio suffectura pila, una dextra, hostium corporibus adegisti: ad ultimum destricto gladio, audacissimum quemque, modo umbonis[5] impulsu, modo mucronis ictu depellens, hinc romanis, illinc britannicis oculis incredibili, nisi cernereris, spectaculo fuisti. Post-

castellum contra Pompeianos defendit et retinuit.

1. *Scæva*. Est haud dubie idem, de quo modo fuit sermo, licet multi codd. MSS. habeant *Scævola*, quod etiam edd. vett. exhibent; unde colligi posset, Val. diversa exempla diversorum proposuisse. — *Utraque parte*. Aqua seu mari, et terra. An. U. 608.

2. *Vocem*. Subaudi ἀπὸ τοῦ κοινοῦ *fortiorem*.

3. *Bello namque*. Codd. MSS. addunt passim *gallico*, idque in multas edd. vett. receptum. At probabiliter ex scholiis transiit in textum, et recte Pigh. expunxit. — *Britannicæ*. Quæ Angliam et Scotiam continet, atque est insula totius Europæ maxima. Vid. Cæs. de B. G. V.

4. *Facile*. Pighius ex nonnullis codd. edidit *facilem*, quæ lectio pluribus editoribus, ipsique Helfrechto arrisit. Passim quoque *facili* legitur. Torrenius et Kapp. habent *facile*. — *Quinque militum*, etc. Id est, tu solus tot hostes vulnerasti commilitonum pilis ut quinque militibus, per totum diem cum hoste pugnantibus, laudi fuisset, tam multos vulnerasse et occidisse.

5. *Umbonis*. Umbo, e Græco ὄμφαλος, proprie dicitur, quicquid in plano exstat atque protuberat, figura rotunda et κοινοῦ sī. Deinde media ac protuberans pars clypei, ac denique per synecdochen clypeus ipse sic vocatur. — *Nisi cernereris*.

Digitized by Google

quam deinde ira ac pudor cuncta conari fessos coegit, tragula[1] femur trajectus, saxique pondere ora contusus, galea jam ictibus discussa, et scuto crebris foraminibus absumpto, profundo te credidisti, ac duabus loricis onustus, inter undas, quas hostili cruore infeceras, enatasti: visoque imperatore armis non amissis, sed bene impensis, quum laudem merereris, veniam petiisti. Magnus prælio; sed major disciplinæ militaris memoria: itaque ab optimo virtutis æstimatore, cum facta, tum etiam verba tua, centurionatus honore[2] donata sunt.

Quatuor MSS. habent *dum cernereris*, in quo Torrenio major vis majusque acumen esse videtur, quam in *nisi cernereris*. Hoc enim significat, *illos credidisse quia cernebant*; illud autem, *etsi cernerent, tamen ne sic quidem credere ipsos potuisse*.

1. *Tragula*. Dicta, quod scuto infixa trahatur. Hispani et Galli ea usi, nec non Romani. Validum fuit telum hamatum. Vegetius *tragularios* vocat, qui ad manubalistas vel arcubalistas sagittas dirigebant. — *Galeæ* antrorsum apertæ cum ferri aliqua eminentia. Ad latus et malas utrasque *bucculæ*, sic dictæ, quod buccas tegant. Sidonius *flexiles laminas* vocat, sic aptas, ut penderent a casside et flecterentur. Ab imis bucculis lora, quibus stringerentur ad guttur et firmarentur. Veteres clausas et vultui appressas undique galeas vix noverant. Hinc illa vox Cæsaris in acie Pharsalica: *miles, faciem feri!* quæ scilicet, nisi scutum objiceres, nuda. In galeis gerebant cristas, in quibus mira interdum et propria quædam superbia. — *Loricæ* integumenta erant, quæ ex loris olim fieri solebant. Erant hamatæ et squamatæ. Plerique milites ære aut ferro summum pectus tegebant: nam ima ventris scutum satis muniebat. De corio etiam crudo *pectoralia* faciebant. Hoc genus appellat Polyænus ἡμιθωράκια. Interdum tergum non secus ac pectus tegebant et utramque loricæ partem in latere fibulis jungebant. — *Enatasti*. En, veri herois imaginem! qui omnia quidem pro victoria audet et sanguini non parcit, sed urgenti tamen necessitati cedit. Verum ille tanto fortitudinis suæ specimine non inflatus, veniam petiit, quoniam nec mandato, nec suo ipsius voto satisfecerat. Cod. Cop. exhibet *evasisti*. Male. Ut scilicet fortitudinem Scævæ augeat, Valer. dicit, eum enatasse, licet duabus loricis onustus esset.

2. *Centurionatus honore*. Centurionum insigne erat vitis, unde Lucan. scribit, Scævam vitem gessisse. Cæsar vero ait, ab octavis ordinibus ad primum pilum transductum esse Scævam. Pro *centurio* veteres olim *centurionus* dixisse, Festus, De verborum significatione, auctor est.

Digitized by Google

24. Sed quod ad præliatorum excellentem fortitudinem attinet, merito L. Sicinii Dentati[1] commemoratio omnia romana exempla finierit: cujus opera honoresque operum ultra fidem veri excedere[2] judicari possent, nisi ea certi auctores, inter quos M. Varro. monumentis suis testata esse voluissent. Quem centies et vigesies in aciem descendisse tradunt, eo robore animi atque corporis utentem, ut majorem semper victoriæ partem traxisse videretur[3]; sed et triginta spolia ex hoste[4] retulisse, quorum in numero octo fuisse, cum quibus inspectante utroque exercitu ex provocatione dimicasset, XIV cives ex media morte raptos servasse, quinque et XL vulnera pectore excepisse, tergo cicatricibus vacuo; novem triumphales imperatorum currus secutum, totius civitatis oculos in se numerosa donorum pompa[5] convertentem; præferebantur enim aureæ coronæ[6] octo, civicæ XIV, murales tres, obsidionalis una,

1. *L. Sicinii Dentati.* An. U. 299. Dionys. X; Plin. VII, 27, XXIII, 5; Gell. II, 11; Florus, IV. Factus hic Sicinius seu Siccius tandem tribunus pl. et An. U. 304, decemvirorum fraude occisus est.

2. *Ultra fidem veri excedere.* Id est, *fidem excedere.* Vorstio *ultra* expungendum videtur, ni cum cod. Brand. legendum sit *se extendere*, quod etiam cod. Ultraj. prim. habet. Torren. vero *ultra f. v. excedere* defendit, quod *ultra* elegantissimi usus sit in iis, quæ multo superare alias res dicuntur.

3. *Ut majorem.... videretur.* Quasi major pars victoriæ opus ejus esset.

4. *Ex hoste.* Hostis h. l. collective sumitur; et illuc referenda *quorum* et *quibus*, non vero ad *spolia*.

5. *Pompa.* Ordine sequentium, in quo tot victoriarum insignia præferebantur.

6. *Aureæ coronæ.* Solebant imperatores parta victoria suggestum aut tribunal conscendere, et convocato exercitu pro concione milites laudare ac gratias iis agere. Nominatim etiam, si quorum singularem in prælio virtutem animadverterant, prædicabant. Laude enim non minus quam præmiis militum animi gaudent. Sæpe tamen non satis fuit laudasse; prædicationi enim adjungebant varia dona. Coronas imprimis distribuebant, de quibus Tertullianus, de Corona militis; Plin. VII, 28, XXIII, 3; Gell. V, 6. Sex præcipua coronarum genera fuisse, cuivis tyronum nota. Novum genus a Caligula inventum, quas ipse solis, lunæ, siderumque specie distinxit et *exploratorias* appellavit. Vid. Sueton. in Caligul. 24. De cæteris donis vid. Vegetius; Tacit. Ann. II, Plin. XXXIII, 2;

Digitized by Google

torques CLXXXIII, armillæ CLX, hastæ XVIII, phaleræ XXV, ornamenta etiam legioni, nedum militi satis multa.

DE FORTITUDINE EXEMPLA EXTERNA.

1. Ille quoque ex pluribus corporibus in unum magna cum admiratione Calibus cruor confusus est[1]. In quo oppido quum Fulvius Flaccus campanam perfidiam, principes civitatis ante tribunal suum capitali supplicio afficiendo, vindicaret[2], litterisque a senatu acceptis, finem pœnæ eorum statuere cogeretur, ultro se ei T. Jubellius Taurea campanus obtulit, et quam potuit clara voce, « Quoniam, inquit, Fulvi, cupiditate tanta hauriendi sanguinis nostri teneris, quid cessas in me cruentam securim destringere, ut gloriari possis, fortiorem aliquanto virum, quam ipse es, tuo jussu esse interemptum? » Eo deinde dicente, « libenter id se fuisse facturum, nisi senatus voluntate impediretur » : « At me[3], inquit, cui nihil patres conscripti præceperunt, adspice, oculis tuis quidem gratum,

Liv. X; Solinus, VI. — *CLXXXIII.* Delendum hic esse numerum centenarium e Gellio patet. — *Armillæ.* Ornamenta brachiorum, a tegendis *armis*, id est, superioribus brachiorum artibus. — *Hastæ. Puræ* vocabantur, quæ sine ferro erant. Suet. in vit. Claud. 28.

1. *Ille quoque..... confusus est.* An. U. 542. Liv. XXVI, 15. Sensus est : Admirabilis quoque casus incidit in urbe Caletana, quem nunc referam, ubi quidam primum conjugem et liberos, deinde se ipse interemit, et cruorem corporis sui cum sanguine suorum miscuit.

2. *Quum Fulvius Flaccus.... vindicaret.* Dicere vult : Fulvium Flaccum campanam perfidiam ultum esse : nam ad Hannibalem Campani defecerant. *Principes* hi Capuæ fuere, ut ex Livio, XXVI, notum. Fulvius eos in Campaniæ oppidum Cales misit, suppliciumque ibi de illis sumi jussit. Torrenius edidit : *propter campanam perfidiam ..... afficiendos judicaret*, et sic pleræque edd. At nostra lectio, quam multi codd. MSS. exhibent, præferenda est. Nam Fulvius non demum tunc *judicabat*, sed dudum *judicaverat*; et jam supplicium de principibus Capuæ, quos Cales miserat, sumere et perfidiam Campanorum *vindicare* cœperat.

3. *At me.* Duo MSS. *ad me.* Eleganter quidem, sed *at me* huic loco accommodatius est.

Digitized by Google

animo vero tuo majus opus edentem. » Protinusque interfecta conjuge ac liberis, gladio incubuit. Quem illum virum putemus fuisse, qui suorum ac sua cæde testari voluit, se Fulvii crudelitatem sugillare[1], quam senatus misericordia uti maluisse?

2. Age, Darii[2] quantus ardor animi? qui quum sordida et crudeli magorum tyrannide[3] Persas liberaret, unumque ex iis obscuro loco abjectum corporis pondere urgeret, præclari operis socio plagam ei inferre dubitanti, ne, dum magum petit, ipsum vulneraret, « Tu vero, inquit, nihil est quod respectu mei timidius gladio utaris; vel per utrumque illum agas licet, dum hic quam celerrime pereat. »

3. Hoc loci[4] Leonidas spartanus nobilis occurrit: cujus proposito, opere, exitu, nihil fortius. Nam cum ccc civibus apud Thermopylas toti Asiæ objectus, gravem illum et mari et terræ Xerxem, nec hominibus tantum terribilem, sed Neptuno quoque compedes[5], et cælo tenebras minitantem, pertinacia virtutis ad ultimam desperationem redegit. Cæterum perfidia et scelere incolarum ejus regionis, et loci opportunitate, qua plurimum adjuvabatur, spolia-

1. *Se..... sugillare.* Notare, ut per cædem suam suorumque Fulvii crudelitas ad invidiam esset insignis. Non autem hoc fortitudinis, sed summæ vesaniæ et improbissimi furoris erat, ad creandam alii invidiam incertam, tot patrare homicidia.

2. *Darii.* Herodot. III, 78; Justin. I, 9; qui *Gobriam* nominant, non *Darium*, quod forsan Valerius, ut fit, memoriola vacillavit.

3. *Magorum tyrannide.* Præsertim *Mergidis* seu *Smerdis*, qui se Cambysæ fratrem est mentitus. Forsan non male regnasset Smerdes, quum bene incepisset: sed ejus imperium magnates sunt aspernati.

4. *Hoc loci.* MSS. tres *hoc loco*. Sed nihil mutandum. Vid. supra lib. II, c. 4, n. 4; lib. III, c. 2, n. 2. — *Leonidas.* Vid. Herod. VII; Justin. II; Strabo, IX; Ælian. III, 25; Juvenal. X, 182; Oros. II, 9.

5. *Compedes.* Quia dicitur Xerxes Hellespontum ponte junxisse; vel quod mare navibus stravit, propterea *compedes* videtur injecisse Neptuno. — *Cælo tenebras.* Malunt alii: cælo *chaos* minitantem. Sed respice, quod capite VII Valerius scripsit: sagittis Persarum solem obscurari solere. Ex his ita ortam caliginem Xerxes cælo intentabat.

Digitized by Google

tus, occidere[1] dimicans, quam assignatam sibi a patria stationem deserere, maluit. Ideoque tam[2] alacri animo suos ad id prælium, quo perituri erant, cohortatus est, ut diceret: *Sic prandete, commilitones*[3], *tamquam apud inferos cœnaturi.* Mors erat denuntiata: Lacedæmonii perinde ac victoria esset promissa, ductori intrepide paruerunt.

4. Othryadæ[4] quoque pugna pariter ac morte speciosa, Thyreatium laude, quam spatio, latius solum cernitur; qui sanguine suo scriptis litteris, direptam hostibus victoriam, tantum non[5] post fata sua in sinum patriæ cruento tropæi titulo retulit.

5. Excellentissimos spartanæ virtutis proventus miserabilis lapsus sequitur. Epaminondas[6], maxima Thebarum felicitas, idemque Lacedæmonis prima clades, quum vetustam ejus urbis gloriam, invictamque ad id tempus publicam virtutem, apud Leuctram et Mantineam secundis præ-

1. *Occidere.* Cadere dimicando.

2. *Ideoque tam.* Quinque MSS. cum ed. Mog. omittunt *tam*, unde Torren. conjicit *adeoque alacri*: Frustra.

3. *Commilitones.* Multæ edd. addunt *mei*, contra MSS. auctoritatem.

4. *Othryadæ.* Othryades inter trecentos illos delectos Spartanos fuit, qui cum totidem delectis Argivis de agro Thyrea conflixerunt. Et narrat Herodotus, lib. I, ex DC tantum tres fuisse superstites, idque noctis interventu; ex Argivis duos, qui tamquam victores Argos contenderint; ex Lacedæmoniis autem unicum Othryaden, qui spoliatis Argivorum cadaveribus, eorum arma ad suorum castra detulerit, atque hac ratione victoriam Spartanis vindicare voluerit. Cæterum prælio superstitem mortem sibi ipsum conscivisse. Antequam tamen id faceret, proprio sanguine scuto suo victorem se inscripsisse. Cf. Flor. II, 2, 14. — *Spatio.* Quia parvo spatio circumscriptus erat locus ille. Sensus est: Solum Thyreatium latius laude quam spatio cernitur, speciosa pugna pariter ac morte Othryadæ.

5. *Tantum non.* Id est, *ferme* post mortem suam: nam parum aberat a morte, quum sanguine suo victoriæ titulum scuto inscriberet.

6. *Epaminondas.* Vid. Justinus, VI, 8; Suidas et Nepos; Frontin. I, 2; Cicer. ad divers. V, 12. — *Invictamque.* Nam Spartani omnibus in bellis ad id tempus superiores exstiterant. — *Leuctram.* Oppidum Bœotiæ, haud procul ab Helicone.

Digitized by Google

liis contudisset; trajectus hasta, sanguine et spiritu deficiens, recreare se conantes, primum, *an clypeus suus salvus esset*, deinde, *an penitus fusi hostes forent*, interrogavit; quæ postquam ex animi sententia comperit: « Non finis, inquit, commilitones, vitæ meæ, sed melius et auctius initium advenit[1]; nunc enim vester Epaminondas nascitur, quia sic moritur; Thebas ductu et auspiciis meis caput Græciæ factas video; et fortis et animosa civitas spartana jacet, armis nostris abjecta[2]. Amara dominatione Græcia liberata est: orbus quoque, non tamen sine liberis morior, quoniam mirificas filias, Leuctram et Mantineam, relinquo[3]. » E corpore deinde suo hastam educi jussit; eoque vulnere exspiravit. Quod si eum dii immortales victoriis suis perfrui passi essent, sospes gloriosior patriæ mœnia non intrasset[4].

6. Ac Theramenis[5] quidem atheniensis, in publica custodia mori coacti, parva mentis constantia, in qua triginta tyrannorum jussu porrectam veneni potionem non dubitanter hausit: quodque ex ea superfuerat, jocabundus illisum humo clarum edere sonum coegit[6]. Renidens-

Pighius dedit *apud Leuctra*, mutandi causa vix justa, quum hæc generum et numerorum enallage in nominibus urbium sit frequentatissima.

1. *Sed melius.... advenit.* Quia fama virtutis ejus ad posteros æterna erat mansura. Nascimur, dum morimur: constat autem nascentia augeri.

2. *Abjecta.* Id est, victa.

3. *Mirificas .... relinquo.* Per *Leuctram* et *Mantineam* pugnas in illis locis factas, aut, quæ hinc orta sit, famam intelligit. V. Nep. XV, 10, 2.

4. *Sospes..... intrasset.* Cod. Ultraj. prim. *sospes patriæ mœnia introisset*, omisso *gloriosior*, quod etiam in aliis codd. aliquot qui *intrasset* habent, omissum est. Periz. legit: *sospes patriæ mœnia intrasset, gloriosior non intrasset*, quod Torren. unice verum existimat. Lectionem, quam dedimus, probat Kapp. ita tamen, ut nesciat, utrum *introisset*, an *intrasset* eligat.

5. *Theramenis.* Theramenes libidini tyrannorum quum sæpe obstitisset, injecto tandem falso crimine in carcerem est conjectus. Vid. Cic. Tusc. I, 40; Ælian. IX, 20.

6. *Clarum..... coegit.* Alludit ad morem Veterum, qui phialam vino plenam ab alto in minora pocula

Digitized by Google

que[1] servo publico, qui eam tradiderat, « Critiæ, inquit, propino : vide igitur, ut hoc poculum ad eum continuo perferas. » Erat enim is ex xxx tyrannis crudelissimus. Profecto est supplicio se liberare, tam facile supplicium perpeti : itaque Theramenes, perinde ac in domestico lectulo moriens, vita excessit, inimicorum existimatione punitus, suo judicio finitus[2].

7. Sed Theramenes a literis et doctrina virilitatem traxit. Numantino vero Theogeni ad consimilem virtutem capessendam, quasi magistra gentis suæ ferocitas[3] exstitit; perditis namque et afflictis rebus Numantinorum, quum omnes cives[4] nobilitate, pecunia, honoribus præstaret; vicum suum, qui in ea urbe speciosissimus erat, contractis undique nutrimentis ignis, incendit; protinusque strictum gladium in medio posuit, ac binos inter se dimicare jussit, ut victus, incisa cervice ardentibus tectis superjaceretur : qui quum tam forti lege mortis omnes absumpsisset, ad ultimum se ipse flammis immersit.

8. Verum, ut æque populo romano inimicæ urbis ex-

fundebant, et si illisu sonus major ederetur, se ab amasiis suis amari augurabantur.

1. *Renidensque.* Id est, subridens deductis leviter labiis. — *Critiæ.* Quasi divinans, Critiam quoque brevi interfectum iri.

2. *Finitus.* Finiri pro mori legitur inter alios apud Justinum, XXVII, 3 : *equo præcipitatus finitur.*

3. *Quasi magistra.... exstitit.* Factum, quum Scipio Numantiam obsideret. An. U. 620. Livius, LIX. Scipio complures oppidanos ex urbe progressos ad colligendaque frumenta palantes per agros occidi vetuit, quod diceret, eo facilius, quicquid frumenti esset in urbe, consumpturos esse, quo plures essent. Nam quod portabatur in urbem per eos, qui exierant, ad paucorum dierum usum erat; igitur consumptis omnibus, quæ ad victum præstarent, desperatisque sociorum et aliorum auxiliis, quum jam famis extremitatem diutius tolerare non possent, ne in servitutem venirent, consilio Theogenis se invicem tradentes neci, omnes occubuerunt.

4. *Omnes cives.* Nonnullis edd. vett. *ejus* inepte insutum ex annotationibus; codd. MSS. non habent. — *Honoribus.* Sine copula *que* per asyndeton; vulgo *honoribusque.* — *Vicum.* Vicus hoc loco est pars urbis, ex multis domibus constans. Vide de hac voce Manutium ad

Digitized by Google

cidium referam[1], Carthagine capta, uxor Hasdrubalis, exprobrata ei impietate, quod a Scipione soli sibi impetrare vitam contentus fuisset, dextera lævaque communes filios mortem non recusantes trahens[2], incendio se flagrantis patriæ injecit.

9. Muliebris fortitudinis exemplo æque fortem duarum puellarum casum adjiciam[3]. Quum pestifera seditione Syracusarum, tota regis Gelonis stirps, evidentissimis exhausta cladibus, ad unicam filiam Harmoniam virginem esset redacta, et in eam certatim ab inimicis impetus fieret, nutrix ejus æqualem illi puellam, regio cultu ornatam, hostilibus gladiis subjecit[4]; quæ, ne quum ferro quidem trucidaretur, cujus esset conditionis, ederet; proclamavit admirata illius animum Harmonia, et tantæ fidei superesse[5] non sustinuit; revocatosque interfectores, professa quænam esset, in cædem suam convertit[6]: ita alteri tectum mendacium, alteri veritas aperta, finis vitæ fuit.

Cicer. Epistol. famil. lib. II, 10.

1. *Verum.....referam.* An. U. 607. Liv. LI.

2. *Trahens.* Proprium omnino est verbum; nam qui pueros ducunt, eos *trahere* dicuntur. Cf. Curt. III, 13, 12; V, 5, 15; Val. Flacc. II, 551; Virg. Æn. II, 457.

3. *Muliebris.....adjiciam.* Moriens *Hiero* nepoti Hieronymo XV tutores reliquit, quos precatus est moriens, ut fidem erga populum rom., L annos a se cultam, inviolatam servarent. Quod longe secus factum est. Nam eo mortuo, mala puero suadentes, impulerunt, ut a Roman. societate deficeret, regioque habitu et cultu augustiori cum purpura et diademate, satellitibus undique stipatus, ad terrorem omnium incederet, quod nunquam antea pater nec avus fecerant. Ex quo in puerum tyrannidem exercentem facta est conjuratio, ubi non solum rex occisus, sed universa stirps regis Hieronis funditus sublata. Hoc tumultu accidit, quod Valerius narrat. Vid. Liv. XXIV, 26.

4. *Subjecit.* Pro vulgato *objecit.* Dicuntur *subjici*, qui falsi pro veris supponuntur. Conf. infra lib. V, c. 9, n. 4.

5. *Superesse.* Superstitem esse.

6. *Convertit.* Simile referunt de Mauritio imperatore græco, a Phoca cum omnibus suis interfecto.

Digitized by Google

CAPUT III.

De patientia, cujus exempla Romana sunt duo.

1. C. Mucius Cordus primus Scævola dictus. — 2. Pompeius legatus ad Gentium regem.

De patientia, exempla Externa.

1. Puer macedo. — 2. Zeno eleates. — 3. Alter Zeno. — 4. Anaxarchus abderita. — 5. Theodorus syracusanus. — 6. Indi. — 7. Servus afer in pœnis et morte ridens.

DE PATIENTIA CUJUS EXEMPLA ROMANA SUNT DUO.

Egregiis virorum pariter ac feminarum operibus fortitudo se oculis hominum subjecit, patientiamque[1] in medium procedere hortata est, non sane infirmioribus radicibus stabilitam, aut minus generoso spiritu abundantem; sed ita similitudine junctam[2], ut cum ea, vel ex ea nata videri possit.

1. *Patientiamque.* Huc usque plura legimus, inter vere fortium, eorum quoque exempla, quos rabies armavit. Transimus nunc cum voluptate ad *patientiam*, quæ item fortitudinis genus est. Egregia sane virtus, pati posse dolores, res sinistras constanti perferre animo, nec non contra mala naturalia, æstum et frigus, famem sitimque, Spartanorum more obdurare corpus. Et hoc præcipue sit adolescentium, quum nesciant, quænam sors eos maneat, ita firmare cum corpore animum, ut nulla res adversa eum frangere, quasi nubibus offuscare, ac tranquillitatem adeo abripere possit, ut pæne desperantibus nulla malorum remedia inveniendi sit facultas: ex ipsis malis potius aliquid commodi semper reperire discant. — Quamquam quæ hoc capite tantopere laudat Valerius, nescio, an laudem mereantur, an potius fugienda sint. Plurima enim vel humanæ naturæ parum convenientem ἀπάθειαν, vel immanitatem, belluarum feritate pæne atrociorem, conspicuas faciunt. Est prudentis atque probi, mala sibi, quum evitare possit, non multiplicare, sed minuere potius; at obstinato animo ridere cruciatus, præcipue barbarorum aut teterrimorum fere nebulonum est. Quædam exempla etiam pravæ animi perturbationis vim magis, quam virtutem, et sanam, quæ regat affectus, rationem commonstrant. — *Procedere hortata est.* Hanc constructionem defendit Vorstius e Nep. XIX, 1, 2, et Justin. XXIX, 4.

2. *Sed... junctam.* Nam in viro forti patientia et perseverantia in virtute

Digitized by Google

1. Quid enim iis, quæ supra retuli, facto Mucii convenientius? Quum a Porsena[1] rege Hetruscorum urbem nostram gravi ac diutino bello urgeri ægre ferret, castra ejus clam ferro cinctus intravit, immolantemque ante altaria conatus est occidere[2]: cæterum inter molitionem pii[3] pariter ac fortis propositi oppressus, nec causam adventus texit, et tormenta quantopere contemneret, mira patientia ostendit; perosus[4] enim, credo, dexteram suam, quod ejus ministerio in cæde regis uti nequisset, injectam foculo exuri passus est. Nullum profecto dii immortales admotum aris cultum attentioribus oculis viderunt[5]. Ipsum quoque Porsenam, oblitum periculi, ultionem suam vertere in admirationem coegit: nam, «Revertere, inquit, ad tuos, Muci, et eis refer, te, quum vitam meam petieris, a me vita donatum.» Cujus clementiam non adulatus Mucius, tristior Porsenæ salute, quam sua lætior, urbi se cum æternæ gloriæ cognomine, *Scævolam*[6] reddidit.

2. Pompeii[7] etiam probabilis virtus: qui, dum lega-

probisque consiliis exsequendis necessario requiruntur. Quapropter Lacedæmonii pueros suos, ut fortes evaderent viri, varia ratione præparabant, immo etiam verberibus faciebant dolorum patientes.

1. *Porsena.* Errant, qui *Porsenna* scribunt. Martialis enim et Silius mediam syllabam corripiunt, e. c.

Cernitur effugiens ardentem Porsena dextram.

— *Intravit.* An. U. 245. Liv. II; Dionys. Halicarn. III.

2. *Immolantemque.... occidere.* Livius refert, Porsenam cum scriba milites recensuisse et stipendium iis dedisse; ubi Mucius scribam pro rege occiderit.

3. *Pii.* In patriam.

4. *Perosus.* Perosus active occurrit quoque in Virgilio. Multæ edd. habent *pertæsus*, non probantibus codd. MSS.

5. *Viderunt.* In lib. Dan. est *inviderunt*, quod Coler. omnibus modis vindicandum censet Valerio, quia *invidere* significat *intueri*, *inspicere*, vel, ut Cic. interpretatur, *nimis intueri.* At omnes cæteri MSS. hanc lectionem non agnoscunt.

6. *Scævolam.* A græco vocabulo σκαιὰ, sinistra. *Scævæ* dicuntur, qui sinistra tantum manu uti possunt.

7. *Pompeii.* An. U. circiter 584. Quum *Cneius Pompeius* multo post Gentium viveret, Pompeiaque gens ejus ætate adhuc admodum obscura esset, forsan pro *Pompeii* legendum est *Perpennæ* s. *Perpernæ.* Perpenna atque Petillius legati rom. a Gen-

Digitized by Google

tionis officio fungeretur, a Gentio rege interceptus, quum senatus consilia prodere juberetur, ardenti lucernæ admotum digitum cremandum præbuit, eaque patientia regi simul et desperationem tormentis quidquam ex se cognoscendi excussit[1], et expetendæ populi romani amicitiæ magnam cupiditatem ingeneravit. Ac ne, plura hujusce generis exempla domi scrutando, sæpius ad civilium bellorum detestandam memoriam progredi cogar, duobus Romanorum exemplis contentus, quæ ut clarissimarum familiarum commendationem, ita nullum publicum mœrorem continent, externa subnectam.

DE PATIENTIA EXEMPLA EXTERNA.

1. Vetusto Macedoniæ more[2] regi Alexandro nobilissimi pueri præsto erant sacrificanti: e quibus unus thuribulo arrepto[3], ante ipsum adstitit, in cujus brachio carbo ardens delapsus est; quo etsi ita urebatur, ut adusti corporis ejus odor ad circumstantium nares perveniret, tamen et dolorem silentio pressit, et brachium immobile tenuit, ne sacrificium Alexandri aut concusso thuribulo impediret, aut edito gemitu regias aures aspergeret[4]. Rex[5] quoque patientia pueri magis delectatus, hoc certius perseverantiæ experimentum sumere voluit; consulto[6] enim sacrifi-

tio in custodiam erant missi. Quum deinde C. Anicius prætor bellum XXX diebus finiisset, liberati sunt. Vid. Entrop. IV, 3.

1. *Excussit.* Id est, effecit, ut rex desperaret tormentis quidquam ex se cognoscendi. Torren. tamen malit *incussit*, quod in quibusdam MSS. invenitur.

2. *Vetusto Macedoniæ more.* Curt. VIII, 6. Paulo aliter Ælian. XIV, 49, et Arrian. qui a Philippo hunc morem institutum esse scribunt.

3. *Arrepto*, id est, festinanter et improvide sumpto, ita ut carbo excideret in ejus brachium. — *Brachio.* Enallage sexti casus *brachio* pro quarto, uti supra, *vocem in* terra *emiseris.*

4. *Aspergeret.* Forsan *asperaret* aut *exasperaret*, uti Lips. et Coler. legere mallent, si per codd. liceret.

5. *Rex quoque.* Torren. conjicit *rex quo;* sine ulla auctoritate codd.

6. *Consulto.* Male in *consueto* mutatum a nonnullis, qui putarunt

Digitized by Google

cavit diutius, nec hac re eum a proposito repulit. Si huic miraculo Darius inseruisset oculos, scisset, ejus stirpis milites vinci non posse, cujus infirmam ætatem tanto robore præditam animadvertisset.

Est et illa vehemens et constans animi militia, literis pollens venerabilium doctrinæ sacrorum antistes philosophia[1] : quæ ubi pectore recepta est hominum, inhonesto atque inutili affectu[2] dispulso, totum in solidæ virtutis munimento confirmat, potentiusque metu ac dolore facit.

2. Incipiam autem a Zenone eleate[3]: qui quum esset in dispicienda rerum natura[4] maximæ prudentiæ, inque ex-

comparativum *diutius* aliquem casum requirere, quod necesse non est.

1. *Philosophia.* Dum pravis voluptatibus atque affectibus repugnat eosque vincit, quasi sacerdos est, quæ præcepta tradit, quibus ad bene beateque vivendum instituamur. Efficit quoque ut metum vincamus et dolorem, quia horum neuter doctrina munitos ab officio depellere potest.

2. *Inutili affectu.* Inutilis affectus est h. l. noxius, perniciosus; quamquam non semper affectus sunt noxii. Cicero Tusculan. V: « *affectus*, inquit, *animi in bono viro laudabilis.* »

3. *Zenone eleate.* Potiores philosophorum scholæ fuerunt: *poetica* (si, qui seria et utilia miscuere dulci ingenii lusui, eos philosophos vocare licet), *Italica*, cujus Pythagoras, *Ionica* seu physica, cujus Thales auctor. A Socratis deinde discipulis plures ortæ sunt philosophorum sectæ, veluti familiæ. Aristippus *Cyrenaicæ*, Phædo *Eliacæ*, Euclides *Megaricæ*, Plato *Academicæ*, Antisthenes *Cynicæ*, ex qua deinde per Zenonem Cittiæum, cynicorum impudentiam corrigentem, enata est *Stoica*, fuere auctores. Platonis discipulum Aristotelem *Peripatetici* primum habuere doctorem. Has excipit schola *Eleatica*, quæ ab *Elea* vel Velia, magnæ Græciæ urbe, nomen reperit. Auctor fuit *Zeno eleates*, præceptorum logicorum inventor. Saltem ea in ordinem redegit et auxit. Quos philosophos postea sequuti sunt *Epicurei*, *Sceptici*, nec non cæteris forsan, ut in omnibus, sic in philosophia, sapientiores *Eclectici*. Nam πάντα δοκιμάζειν καὶ τὸ καλὸν κατέχειν vere sapientis est. Hæc hactenus, breviter apponenda, ut rudes in philosophia Veterum habeant, unde duos Zenones, nec non Eliacam et Eleaticam scholam discernere possint. Alii *Eleam* in Laconica aut Arcadia intelligi volunt. Conf. Cic. Tusc. quæst. II, 22; de Nat. deor. III, 33.

4. *In dispicienda rerum natura.* Rebus physicis multum adhibuit studii. Docuit inter alia, vacuum non esse universi naturam, conflatam e calido, frigido, humido, et sicco, mutuas operas inter se sibi tra-

Digitized by Google

citandis ad vigorem juvenum animis promptissimus, præceptorum fidem exemplo virtutis suæ publicavit. Patriam enim egressus, in qua frui secura libertate poterat, Agrigentum miserabili servitute obrutum petiit, tanta fiducia ingenii ac morum suorum fretus, ut speraverit, et tyranno et Phalari[1] vesanæ mentis feritatem a se diripi posse. Postquam deinde apud illum plus consuetudinem dominationis, quam consilii salubritatem valere animadvertit, nobilissimos ejus civitatis adolescentes cupiditate liberandæ patriæ inflammavit: cujus rei quum indicium ad tyrannum manasset, convocato in forum populo, torquere eum vario cruciatus genere cœpit; subinde quærens, quosnam consilii participes haberet: at ille nec eorum quempiam nominavit, sed proximum quemque ac fidissimum[2] tyranno suspectum reddidit; increpitansque Agrigentinis ignaviam[3] ac timiditatem, effecit, ut subito mentis impulsu concitati, Phalarim lapidibus prosternerent. Senis ergo unius eculeo[4] impositi non supplex vox, nec miserabilis

dentibus; homines e terra ortum ducere; animam esse miscellam e prædictis concinnatam, nullo omnium prævalente.

1. *Phalari.* In nomine ipso emphasin ponit, quia *Phalaris* olim crudelissimus fuisse traditur. De eo atque Perillo leg. Ovid. Trist. III, 11, 39. — *Diripi.* Diripi et eripi etiam mala dicuntur. Conf. Cic. ad Att. V, ep. 6, *eripe dolorem*, et Justinus habet: *eripere servilem conditionem.* Perizon. mavult *deripi.*

2. *Proximum.. fidissimum.* Ut tyranni adulatores atque asseclæ justas darent pœnas. — Vid. Senec. de ira II, 23. Fluctuant MSS. inter *fidissimum* et *fidelissimum.*

3. *Agrigentinis ignaviam.* Pro, *Agrigentinos ignaviæ*, sive *Agrigentinorum ignaviam* increpitans; rarior dicendi formula.

4. *Eculeo.* Pro *eculeus* scribitur et *equuleus.* Ab *equus* non tantum est diminutivum *equulus*, sed et *equuleus*: ut *equuleus* proprie sit parvus equus. Atque ea significatione ipsos quoque Ciceronem ac Varronem usos testatur Nonius. Deinde ita per metaphoram dictum est tormenti genus, lignea catasta et cochleata ad intendendum et remittendum apta, idque ad exprimendam e noxiis veritatem. Brachia pedesque ejus, qui in equuleo torquendus erat, nervis quibusdam, quos fiduciulas nominabant, alligabantur: tum catasta intenta in altum erigebatur, ut ex ea quasi ex cruce quadam miser ille pen-

Digitized by Google

ejulatus, sed fortis cohortatio totius urbis animum fortunamque mutavit.

3. Ejusdem[1] nominis philosophus, quum a Nearcho tyranno, de cujus nece consilium inierat, torqueretur, supplicii pariter atque indicandorum consciorum gratia, doloris victor, sed ultionis cupidus, *esse* dixit, *quod eum secreto audire admodum expediret;* laxatoque[2] eculeo, postquam insidiis opportunum tempus animadvertit, aurem ejus morsu corripuit, nec ante dimisit, quam et ipse vita, et ille corporis parte privaretur.

4. Talis patientiæ æmulus Anaxarchus[3], quum a tyranno

deret. Ita primum divellebatur ossium compages: inde candentibus ejusdem corpori laminis admotis, atque bisulcis ungulis ferreis lateribus laniatis, doloris acerbitatem augebant.

1. *Ejusdem*, etc. Errat sine dubio in his Valerius; alii enim hoc de eodem Zenone eleate narrant. V. Diog. Laert. *Stoicum* autem *Zenonem* constat, quum ad XC ætatis annum incolumis et sine morbo pervenisset, exiensque e schola, pede in lapidem illiso, digitum perfregisset, voluntario periisse morbo, de cujus genere non consentiunt scriptores. — *Nearcho*. Ipsius mentionem et Diog. Laertius injicit. Addit tamen, alios memorare, ei, quem Zeno e medio tollere voluerit, nomen fuisse *Diomedonti*. Videtur autem Liparitanorum fuisse tyrannus. Narrat enim Laertius: Nearchum inquisivisse de armis, quæ in insulam Liparam Zeno invexerit. Aut in prius de Phalaride narratis lapsus est per errorem Valerius; aut sic res potest explicari: Quum forte Zeno, tyrannorum hostis acerrimus, Agrigentinos tyrannide Phalaridis liberasset, e Sicilia Liparam transiit, eamque insulam a Nearchi tyrannide liberaturus, animam exspiravit in equuleo. Qua in re accedo ad sententiam Vorstii.

2. *Laxatoque eculeo*. Nam eculei istius vis in compressione atque constrictione consistebat. — *Opportunum tempus*. In tribus MSS. *tempus* omittitur, quod Modius tamquam glossema rejecit, probantibus Gudio et Perizonio. Torrenius provocat ad Sallust. Jugurth. c. 50.

3. *Anaxarchus*. Fuit natione abderites. Cicero Tusc. qu. 22, *Democritium*, tamquam Democriti abderitæ auditorem et sectatorem, eum vocat. Conf. Plin. VII, c. 23; Ælian. IX, 3. Quod ad tormenta, quæ expertus est, attinet, scribit Laertius, in concavum saxum injectum, ac ferreis malleis contusum fuisse, et nihilominus dixisse: πτίσσε τὸν Ἀναξάρχου θύλακον, Ἀνάξαρχὸν δὲ οὐ πλήττεις. Laertio teste, *Anaxarchus* cum Alexandro conversatus est. Quumque aliquando una cum *Nicocreonte*, Cypri tyranno, apud

Digitized by Google

Cypriorum Nicocreonte torqueretur, nec ulla vi inhiberi posset, quo minus amarissimorum eum maledictorum verberibus invicem ipse torqueret, ad ultimum amputationem linguæ minitanti, *Non erit*, inquit, *effeminate adolescens, hæc quoque pars corporis mei tuæ ditionis;* protinusque dentibus abscisam[1], et commanducatam linguam, in os ejus ira patens exspuit. Multorum aures illa lingua[2], et in primis Alexandri regis, admiratione sui attonitas habuerat, dum terræ conditionem, habitum maris, siderum motus, totius denique mundi naturam prudentissime et facundissime exprompsit. Pæne tamen occidit gloriosius, quam viguit; quia tam forti fine illustrem professionis actum comprobavit, Anaxarchique[3] non vitam modo deseruit, sed mortem reddidit clariorem.

5. In Theodoro[4] quoque, viro gravissimo, Hierony-

Alexandrum cœnaret, interrogatum ab eodem, quid cœna ea ipsi videretur, dixisse ferunt: « cuncta magnifice; verum oportere et caput cujusdam satrapæ apponi; » eoque ad Nicocreontem allusisse. Hoc ægre ferentem Nicocreontem ejusque rei memorem, quum exstincto Alexandro Anaxarchus navigaret, invitusque Cyprum appulisset, comprehendisse eum, atque crudeliter in eum consuluisse.

1. *Dentibus abscisam.* Ammian. Marc. tribuit hoc *Zenoni stoico*, id est *Cittio*, reprehensus ideo a Valesio ad l. XIV, 9. *Zenoni eleati* tamen tribuitur a Plut. de garrulitate, p. 505, ed. Franc. — *Ira patens.* Thys. edidit *ita patens.* Quidquid erit, utrumque ex glossa videtur Guyeto.

2. *Illa lingua.* Non est casus primus, sed sextus, quod multi non intellexere. — *Habitum.* Ambitum seu circuitum maris, ut ait Virg. Georg. I, *cultusque habitusque locorum.*

3. *Anaxarchique non vitam modo.* Forsan : *Anaxarcho dignam vitam.* Nam merito displicent, quæ nonnulli de genitivo explicando proferunt, quum non *lingua*, sed *Anaxarchus* pro orationis subjecto haberi debeat. Kappius censet, post *comprobavit* ponendum esse punctum, et legendum *Anaxarchusque*, ut *que* transitioni serviat et sensus clausulæ sit : *Anaxarchusque non modo mortuus est* (*vitam deseruit* est quoque ap. Cicer.), *sed etiam* (sæpe *etiam* omitti solet) *mortem reddidit clariorem.* Sic omnia plana. Sed obstat auctoritas omnium codd. MSS. et edd. *Anaxarchique* habentium.

4. *Theodoro.* An. U. 538. Liv. XXIV, 5, *Theodorus* fuit inter conjuratos, qui Hieronymum, ultimum Siciliæ tyrannum, occisuri erant. Gronov. ad Liv. XXIV, 5, malit: *in Theodoto*, quod in MSS. reperit.

Digitized by Google

mus tyrannus frustra tortorum manus fatigavit. Rupit enim verbera, fidiculas laxavit, solvit eculeum, laminas exstinxit prius, quam efficere potuit, ut tyrannicidii conscios indicaret[1]. Quin etiam satellitem[2], in quo totius dominationis summa, quasi quodam cardine, versabatur, falsa criminatione inquinando, fidum lateri ejus custodem eripuit; beneficioque patientiæ, non solum, quæ occulta fuerunt, texit, sed etiam tormenta sua ultus est : quibus Hieronymus dum inimicum cupide lacerat, amicum temere perdidit.

6. Apud Indos[3] vero patientiæ meditatio tam obstinate usurpari creditur, ut sint, qui omne vitæ tempus nudi exigant, modo Caucasi montis glaciali rigore corpora sua durantes, modo flammis sine ullo gemitu objicientes. Atque haud parva his gloria contemptu doloris acquiritur, titulusque[4] sapientiæ datur.

7. Hæc e pectoribus altis et eruditis orta sunt : illud tamen non minus admirabile, quod[5] servilis animus cepit.

1. *Rupit enim.....indicaret.* Valer. dicere vult, tyrannum frustra adhibuisse tormenta; mirifice vero omnia exaggerat. Tantam enim in Theodoro fuisse tormentorum patientiam ait, ut tyrannus verbera flagellando consumpserit, fidiculas nimia tensione inutiles reddiderit, ipsum eculeum corruperit et luxarit, ipsas denique laminas, quamvis tamdiu admoverit, ut urendi vim amitterent, tamen frustra usurparit. Quæ omnia naturam excedere, nemo est quin videat.

2. *Satellitem.* Thrasonem, a cujus consiliis plurima mala orta erant; ita supplicio merito eum tradere Theodorus sine dubio voluit.

3. *Apud Indos*, etc. Vide Plin. VII, 2; Cic. Tusc. qu. V, 27. — *Caucasi.* Caucasus, montium jugum Asiæ fere altissimum et latissime se extendens, juxta Ptolemæum excurrit ab Oxi et Indi fontibus; præcipuus montium tractus est intra mare Caspium et Pontum Euxinum. Nunc Georgiam atque Tartariam dividit. Sed cave confundas Caucasum cum Paropamiso aut Tauro, qui cum eo cohærent. Nunc *Cocas*, *Albsor*, s. *Adazar* vocatur. — *Glaciali.* Non minus eleganter, ut Juvenal. *glacialem Oceanum* dixit. In undecim MSS. et ed. Mog. est *gelido.* Passim et *rigido* invenitur.

4. *Titulusque.* Titulus est ipsum nomen Gymnosophistarum, de quibus Solinus.

5. *Quod.* Deest in ed. Mog. et decem MSS. Torrenio elegantius

Digitized by Google

Servus[1] barbarus Hasdrubalem, quod dominum suum occidisset, graviter ferens, subito aggressus interemit; quumque comprehensus omni modo cruciaretur, lætitiam tamen, quam ex vindicta ceperat, in ore constantissime retinuit. Non ergo fastidioso aditu virtus excitata, vivida[2] ingenia ad se penetrare patitur; neque haustum sui cum aliquo personarum discrimine largum malignumve[3] præbet; sed omnibus æqualiter exposita, quid cupiditatis potius, quam quid dignitatis attuleris, æstimat: inque captu[4] bonorum suorum tibi ipsi pondus examinandum relinquit, ut quantum subire animo sustinueris, tantum tecum auferas.

CAPUT IV.

De humili loco natis qui clari evaserunt apud Romanos.

1. Tullus Hostilius rex. — 2. L. Tarquinius Priscus rex. — 3. Serv. Tullius rex. — 4. C. Terentius Varro. — 5. M. Perperna. — 6. M. Porcius Cato.

De humili loca natis qui clari evaserunt apud Exteros.

1. Socrates atheniensis. — 2. Euripides et Demosthenes.

DE HUMILI LOCO NATIS QUI CLARI EVASERUNT APUD ROMANOS.

Quo[5] sæpe evenit, ut et humili loco nati ad summam

multo et concinnius videtur, si *quod* omittatur.

1. *Servus, etc.* An. U. 532. Vide Liv. XXI; Justin. XLIV, 2, 5.

2. *Excitata, vivida ingenia.* Lipsius, Golerus atque Vorstius malunt conjungere: « *excitata ac vivida ingenia,* » sed mihi quidem commodiorem videtur præbere sensum vulgaris interpunctio.

3. *Malignumve.* Malignum hoc loco idem quod exiguum.

4. *Inque captu, etc.* Tibi, inquit, curam reliquit, quantum ex ea capere velis, tantumque tecum semper habeas, quantum tui animi magnitudo complexa fuerit. Nec ejusmodi est virtus, ut his se quidem tota præbeat, illis perexiguam sui partem sic ut fortuna, concedat, sed æqualiter se omnibus exponit: nam si magni animi fueris, ut ex ea re multum capere posse confidas, multum tibi ex se auferre permittit; quod si pusillanimis fueris, parum ex ea consequeris.

5. *Quo.* Id est, propter quod. Codd. MSS. et vett. edd. referunt

Digitized by Google

dignitatem consurgant, et generosissimarum imaginum fœtus in aliquod revoluti dedecus acceptam a majoribus lucem in tenebras convertant : quæ quidem planiora suis exemplis reddentur. Ac prius[1] de his ordiar, quorum in meliorem statum facta mutatio splendidam relatu præbet materiam.

1. Incunabula Tulli Hostilii[2] agreste tugurium cepit; ejusdem adolescentia in pecore pascendo fuit occupata ; validior ætas imperium romanum rexit, et duplicavit[3]; senectus excellentissimis ornamentis decorata in altissimo majestatis fastigio fulsit.

2. Verum Tullus etsi magnus et admirabilis incrementi, domesticum tamen exemplum est; Tarquinium autem Priscum[4] ad romanum imperium occupandum fortuna in urbem nostram advexit : alienum, quod ortum Corinthio; fasti-

hanc præfationem ad caput præcedens. — *Sæpe.* In decem MSS. omittitur. — *Ut et humili ..... consurgant.* Res sane excitandis ad ingenuum et assiduum sapientiæ virtutisque studium adolescentium animis aptissima. Quæ Valerii exempla si tot excellentissimorum virorum recentioris ævi, qui ex infima sorte vel ad clavum reipubl. accesserunt, vel eruditione sua immortale nomen sunt adepti, augeantur : nescio, an multa sint, quibus eadem seu major vis sit in juvenili animo ad laudis cupiditatem accendendo. — *Generosissimarum imaginum.* Id est, patrum. Nobiles enim et generosi *imaginibus* utebantur, in quibus præclara sua suorumque facta pingenda seu describenda curarant. Quis nesciat Romanorum jus imaginum ? — *Revoluti.* Pigh. dedit *devoluti.* Male. Sicuti enim majores illorum in illam dignitatem ascenderant ex infimo loco, sic illi ex ea dignitate *revolvebantur* ad dedecus.

1. *Ac prius.* Ita veteres typis expressi et MSS. Ex uno cod. Susiano maluit Pigh. *ut primum.* Verum causalis vocula *ut* huc minus quadrat; et copulativa *ac* multo convenientior est.

2. *Tulli Hostilii.* An. U. circiter 82. Liv. I, 22, memoriæ prodidit: « *Tullum* regem nepotem fuisse *Hostilii,* cujus in infima arce clara pugna adversus Sabinos fuerit, avitamque gloriam ipsius animum stimulasse. » Dionys. Hal. III, ejus patrem virum generosum opibusque pollentem memorat, qui ex urbe Metullia Romam commigrarit. Hoc non obstat, quo minus patris greges paverit Tullus adolescens.

3. *Duplicavit.* Quia Romanos et Albanos in unum conjunxit.

4. *Tarquinium autem Priscum,* etc. An. U. 138. Liv. I, Dionys. III.

Digitized by Google

diendum, quod mercatore Demarato genitum; erubescendum, quod etiam exsule[1]. Cæterum tam prosperum conditionis suæ eventum industria sua pro invidioso gloriosum reddidit[2]: dilatavit[3] enim imperii fines, cultum deorum novis sacerdotiis auxit, numerum senatus amplificavit, equestrem ordinem uberiorem reliquit: quæque laudum

1. *Exsule.* Instante Cypseli tyrannide, Demaratus ex mercatura opibus abundans, haud tutum se ratus, compositis, quantum fieri poterat, rebus suis, Corintho relicto, *Tarquiniis*, magna olim urbe, domum sibi exstruxit, et uxorem genere illustrem duxit, ex qua Aruntem et Lucumonem genuit, cujus uxor Tanaquil migrandi Romam consilium dedit marito. Hic deinde in summam Anci regis familiaritatem venit et liberorum ejus tutor constitutus est. Mortuo autem Anco regnum ipse intercepit. Cæterum Pighianam dedimus lectionem. Aldus sic ediderat: *Alienum, quod exactum: alieniorem, quod ortum Corintho: fastidiendum, quod mercatore genitum: erubescendum, quod etiam exsule Demarato natum patre.* Et sic plerique codd. MSS. et vett. edd. Perizonius: *Alienum, quod Etruscum: alieniorem, quod ortum Corintho*, quæ conjectura Torrenio placet. Aldina lectio glossam sapit, et Pighianam cæteris præferendam censet Kappius, ita tamen, ut putet, *Demarato* ex margine in textum irrepsisse.

2. *Cæterum tam prosperum..... reddidit.* Sic in magna lectionis varietate Torren. recte edidit, et interpretatus est: quod eum, talis conditionis virum, fortuna in urbem Romam advexerit, ad imperium occupandum, quæ res quum esset in tali viro invidiosa, ille eam sua industria reddidit gloriosam.

3. *Dilatavit.* Nam Sabinos bello superavit, iisque Collatiam ademit; deinde multas etiam Latinorum civitates adjecit imperio romano. — *Imperii fines.* Ita Pighius ex codice Camp. quum Aldus edidisset *populi romani fines.* In multis codd. tantum legitur: *dilatavit enim fines.* — *Cultum deorum.* Quia *augurum* collegium summo in honore haberi voluit, adeo, ut nihil privatim vel publice ageret, nisi prius captis auspiciis; quod inde factum est, quia, quum vellet curiis a Romulo institutis novas addere curias, *Nautius* augur id, nisi diis prius per auguria consultis, fieri posse negabat. Rex vero ejus artis fidem elevans: *Consule*, inquit, *aves, fierine possit, quod animo concipio?* Quod quum ille captis auguriis fieri posse respondisset: *Cape*, inquit, *hanc cotem, eamque novacula discinde!* At ille incunctanter accepit ac secuit. Tunc rex cœpit et arti fidem et auguribus honorem maximum adhibere. — *Numerum senatus.* Centum patres adjecit ordini senatorio, qui minorum gentium sunt appellati. Nec non centurias a Romulo institutas auxit, ut in tribus centuriis MCCC equites essent.

Digitized by Google

ejus consummatio est, præclaris virtutibus effecit, ne hæc civitas pœnitentiam ageret[1], quod regem a finitimis potius mutuata esset, quam de suis legisset.

3. In Servio autem Tullio[2] fortuna præcipue vires suas ostendit, vernam huic urbi natum regem dando. Cui quidem diutissime imperium obtinere, quater lustrum[3] condere, ter triumphare contigit. Ad summam autem, unde processerit, aut quo pervenerit, statuæ ipsius titulus abunde testatur, servili cognomine, et regia appellatione perplexus[4].

4. Miro quoque gradu Varro[5] ad consulatum ex macellaria patris taberna conscendit; et quidem fortuna parum duxit sordidissimæ mercis capturis alito[6] XII fasces largiri,

1. *Pœnitentiam ageret.* Non parum latinorum tantum et posterioris ævi scriptorum phrasis est, sed et nostri auctoris, Petronii, aliorumque. — *Mutuata esset.* Pigh. et, qui eum sequuti sunt, Coler. ac Thys. *mutuasset.* Laudat Pighius codd. MSS. qui ita habeant. Sed quidni retineamus *mutuata esset*, quod plurimis codd. MSS. et antiquioribus typis expressis firmatur. Excitat Pighius verba veteris poetæ, ut, *mutuare* quoque pro *mutuo accipere* dici, probet. Verum ævo Ciceronis non facile quemquam sic loquutum reperias.

2. *In Servio autem Tullio*, etc. An. U. 175. Liv. I; Dion. V. — *Vernam....dando.* Lipsius trajectionem hic factam putat, et legendum potius sic esse : *vernam natum huic urbi regem dando.* Quam transpositionem Lipsii probat etiam Guyetus; sed repugnant MSS. ac videtur auctor. voluisse indicare, illum non solum urbi Romæ datum esse regem a fortuna, sed etiam ipsum natum fuisse urbi vernam, quasi in eo plus aliquid sit, quam si fuisset verna urbis alienæ. Vernæ *nati* viliores erant, quam *facti*.

3. *Lustrum.* Quo inquirebatur, quot essent, et quantum quisque possideret, quod quinto quoque anno factum : unde lustrum quinquennium deinde denotavit.

4. *Perplexus*, id est, intricatus. Sensus est : titulum Servii Tullii initio ipsum nomen *Servii*, quod servilem ejus conditionem declaret, in fine vero nomen regis habuisse.

5. *Varro.* An. U. 537. Vid. Liv. XXII, 25. De *Varrone* vide supra I, 1, 16. — *Macellaria patris taberna.* Ubi pater obsonia in macello venditabat.

6. *Alito.* Gronovius mavult *allito*, quod comprobat e Cicer. I. in Verr. « *nullæ sordes videbantur his sententiis allini posse;* » et Philippic. II, *parricidio oblitum.* Aldus edidit: *inquinari solito.* Ex *alito* ob praece-

Digitized by Google

nisi etiam L. Æmilium Paullum dedisset collegam. Atque ita se in ejus sinum infudit, ut quum apud Cannas culpa sua vires populi rom. exhausisset, Paullum, qui prælium committere noluerat, occidere[1] pateretur; illum in urbem incolumem reduceret. Quin etiam senatum gratias ei agentem, quod redire voluisset, ante portas eduxit, extuditque[2], ut gravissimæ cladis auctori etiam dictatura deferretur.

5. Non parvus consulatus rubor M. Perperna[3], utpote qui consul ante quam civis; sed in bello gerendo utilior aliquanto reipublicæ Varrone imperatore. Regem enim Aristonicum cepit, Crassianæque stragis punitor exstitit: quum interim, cujus vita triumphavit[4], mors Papia lege

dens *s* in *capturis* fiebat *salito*, quod librarii in *solito* mutarunt, et quia tunc verbum aliquod deesse videbatur, addiderunt *inquinari*, ac sic tandem in plures codd. venit *inquinari solito*. Cf. infra V, 4, 7.

1. *Occidere*. Occumbere.

2. *Extuditque*. Expressit. Translatio a fabris, qui ferrum cudentes, alicujus instrumenti formam exprimunt. — *Dictatura*. Quam tamen suscipere non sustinuit. Vide IV, 5, 2.

3. *M. Perperna*. An. U. 623. Justin. XXXVI; Vellei. II; Strabo XIV. Perperna ut hospes et peregrinus in urbem venerat. Deinde quum se gratiosiorem patribus fecisset magnasque opes comparasset, eo processit res, ut, quum comitia haberentur, auderet petere consulatum, quem etiam obtinuit. Victo Aristonico, quo in bello Crassi per insidias intercepti mortem est ultus, socius Sertorii fuit. Pompeius autem insidiis illi structis vivum cepit, et eum ut hostem patriæ interfici jussit.

4. *Triumphavit*. Respicit bellum *servile*, a Perperna confectum, ob quod fuit *ovatione* contentus, ne dignitatem *triumphi* servili inscriptione violaret. Flor. III, 19, 8. At Valerius more suo exaggerat, triumphumque nominat. De Aristonico enim nunquam Perperna triumphavit, sed paulo post devictum Aristonicum mortuus est Pergami. — *Papia lege*. Sive historiæ inscitia sive lapsus memoriæ tribuendus Valerio videri possit. *Lex* enim *Papia* de peregrinis urbe pellendis an. U. 688 demum lata fuit, ut ex l. XXIII Dionis constat; eademque ad peregrinos Italiam incolentes non pertinuit. Perpernæ pater autem integro fere seculo eam legem antecessit, eaque, ut peregrinus, lædi nullo modo potuit. Conjicit igitur Pighius nomen legis corruptum, proque *Papia* legendum esse *Junia*, quod ex Festo constet, M. Junium Pennum de peregrinis urbe pellendis legem tulisse An. U. 627. At Sigonius duas leges Papias fuisse docet, quarum

Digitized by Google

damnata est : namque patrem illius, nihil ad se pertinentia civis romani jura complexum, Sabelli judicio[1] petitum, redire in pristinas sedes coegerunt. Ita M. Perpernæ nomen adumbratum[2], falsus consulatus, caliginis simile imperium, caducus triumphus, aliena in urbe improbe peregrinatus est.

6. M. vero Porcii Catonis[3] incrementa publicis votis expetenda fuerunt : qui nomen suum Tusculi[4] ignobile, Romæ nobilissimum reddidit. Ornata sunt enim ab eo literarum latinarum monumenta[5], adjuta disciplina milita-

una omnino ante Perpernæ mortem lata fuerit. Vid. I, 10 : « Lex fuerat Claudia an. U. 576 auctore Livio lata, quæ socios in suam quemque civitatem redigebat. Post hanc secuta est Papia : quæ quo anno lata sit, parum liquet. Hac autem damnatus quum sit M. Perpernæ pater, qui cos. fuit an. U. 623, non multis ante annis videtur lata. »

1. *Sabelli judicio petitum.* Sabelli populus Italiæ, qui montes inter Sabinos et Marsos incoluerunt, quibusque inter alios civitas data, bello marsico confecto. Ii patrem Perpernæ judicio petiverunt, quod, quum civis romanus non esset, jura tamen civis romani usurpasset.

2. *Adumbratum.* Translatio a pictoribus, qui primo quidem formam imaginis adumbrant, deinde coloribus eam distinguunt et sic imaginem redigunt. *Adumbrare* proprie est alicujus rei formam inducere. Ergo nomen adumbratum, quia principia quidem M. Perpernæ summæ claritatis et gloriæ formam induxerant; sed exitus formam illam adumbratam in veram splendoris imaginem exprimere non potuerat. — *Falsus.* Quia, quum civis non esset, consul esse non debuit. — *Caducus triumphus.* Cujus gloria non diu duravit.

3. *M. vero Porcii Catonis.* Circiter An. U. 549. Plutarch. in Catone. Hic ipse quoad magistratus se novum esse, rebus vero gestis ac virtute majorum vetustissimum prædicabat. Nam majores ejus jam virtute eminuerant.

4. *Tusculi.* Tusculum municipium romanum. *Municipium* autem oppidum erat jure civium roman. donatum. Aliis autem civitas cum suffragio, aliis sine eo concessa : inde genera municipiorum duo. Plura de his Gell. XVI, 13. Municipia extrinsecus in civitatem recepta : coloniæ pars emissa erant civium roman. Vide Rosini antiq. p. 991 sq.

5. *Ornata sunt..... monumenta.* Scripsit enim de Originibus, in quibus originem urbium italicarum, et res gestas populi romani exposuit. Vid. Nepos in vita Catonis. — *Adjuta disciplina militaris.* Non tantum libros de *re militari* scripsit, sed, quum multa jam aliorum sub imperio præclarissime gessisset, omnem ferme Hispaniam suo ductu

Digitized by Google

ris, aucta majestas senatus, prorogata familia, in qua maximum decus posterior est ortus Cato.

DE HUMILI LOCO NATIS QUI CLARI EVASERUNT APUD EXTEROS.

1. Sed ut Romanis externa jungamus, Socrates[1] non solum hominum consensu, verum etiam Apollinis oraculo sapientissimus judicatus, Phanarete matre obstetrice, et Sophronisco patre marmorario genitus, ad clarissimum lumen gloriæ excessit, neque immerito; nam quum eruditissimorum virorum ingenia in disputatione cæca[2] vagarentur, mensurasque solis et lunæ, et cæterorum siderum loquacibus magis, quam certis argumentis explicare conarentur, totius etiam mundi ambitum complecti auderent, primus ab his indoctis erroribus abductum animum, intima conditionis humanæ, ac in secessu pectoris repositos affectus scrutari coegit: si virtus per se ipsam æstimetur, vitæ magister optimus.

2. Quam matrem Euripides[3], aut quem patrem Demosthenes habuerit, ipsorum quoque seculo ignotum fuit.

suisque auspiciis populo rom. subjecit. — *Prorogata.* Propagata et extensa. — *Posterior.* Uticensis.

1. *Socrates.* Quem ex Xenophontis memorabilibus, Platonis Phædone et Diogene Laertio satis novimus. Vide Cicer. Tuscul. qu. V. — *Marmorario.* Græci vocant λιθουργὸν, ἀγαλματόγλυφον.

2. *In disputatione cæca.* Physicis non favit Socrates, quum plerumque non tam utilia cognitu pervestigarent, quam conjecturis suis in superis regionibus incerti vagarentur, subtilibus disquisitionibus se implicantes, nec res humanas et præcipue mentis correctionem curarent: ipse vero potissimum doctrinæ morum dedit operam. — *Ambitum.* Nonnulli codd. *habitum;* sed præstat *ambitum*, propter verbum *complecti.* — *Indoctis.* Alii legere malunt *doctis*, quasi disciplinas quasdam mathematicas facete *doctos errores* vocasset, quod nihil conferant ad vitam honeste agendam. Sic Diogenes cynicus, homo ævi sui ingeniosissimus salsissimusque, mathematicos πλάνητας appellabat.

3. *Quam matrem Euripides.* Mater fuit *Clito*, pater *Mnesarchus*, honesti generis. — *Demosthenes.* Demosthenis patrem ejusdem nominis Plutarchus virum probum, honestum,

Digitized by Google

Alterius autem matrem olera, alterius patrem cultellos venditasse, omnium pæne doctorum literæ loquuntur. Sed quid aut illius tragica, aut hujus oratoria vi clarius?

CAPUT V.

Qui a parentibus claris degenerarunt[1].

1. Cn. Scipio Africani majoris filius. — 2. Q. Fabius Allobrogici filius. — 3. P. Clodii et Fulviæ filius. — 4. M. Hortensius Corbio.

Sequitur duplicis promissi[2] pars, adopertis illustrium virorum imaginibus reddenda: quoniam quidem sunt referenda, quæ[3] ab earum splendore degeneraverunt, teterrimis ignaviæ ac nequitiæ sordibus imbuta nobilia portenta.

1. Quid enim monstro similius, quam superioris Africani filius Scipio[4]? qui in tanta domestica gloria ortus, a parvulo admodum regis Antiochi præsidio capi[5] sustinuit; quum ei voluntaria morte absumi satius fuerit, quam inter

gladiorum fabricandorum artificem Athenis eximium describit, qua in re eum sequutus Juvenalis. Sed pater mature decessit. Quum deinde puer se a tutoribus deceptum sentiret, statuit artem oratoriam plenissime sibi addiscendam, ut sic aliquando jus suum reposcere posset.

1. *Qui...degenerarunt.* Inscriptionem hujus capitis Torrenius ita exhibet: *Qui a præclaris parentibus degenerarunt.* Ut vero maximæ gloriæ ducitur, ignotos majores magnis decorare factis, sic non minoris ignominiæ, præclaram stirpem turpibus maculare vitiis.

2. *Duplicis promissi.* Duplex promissum illud initio capitis superioris apparet. — *Adopertis.* Id est, in tenebras conversis, obscuratis. *Adoperire*, pro *operire.*

3. *Referenda, quæ.* Scil. portenta. Male igitur octo MSS. *referendi, qui.* — *Nobilia portenta.* Nobilibus parentibus geniti, sed ipsi nulla re nisi sceleribus conspicui.

4. *Quid enim.....Scipio.* Cicero tamen, sed forsan Scipionum stirpi blandiens, de eo affirmat: «Nisi tenui fuisset valetudine, alterum exstitisset lumen civitatis.» Facta sunt hæc an. U. 552, 563, 578. Vide Liv. XXX, XXXVII, XLI; Polyb. XVI.

5. *Capi sustinuit.* L. Scipione et Africano exercitum trajicientibus in Asiam, nuntii venerunt, jam a Regulo et Æmilio esse debellatum terra

Digitized by Google

duo fulgentissima cognomina patris et patrui, altero oppressa[1] Africa jam parto, altero jam majore ex parte recuperata Asia surgere incipiente, manus vinciendas hosti tradere, ejusque beneficio precarium spiritum obtinere: de quo mox L. Scipio speciosissimum deorum hominumque[2] oculis subjecturus erat triumphum.

Idem præturæ petitor candidam togam adeo turpitudinis maculis obsolefactam[3] in campum detulit, ut nisi gratia Cicerei, qui patris ejus scriba fuerat, adjutus esset, honorem a populo impetraturus non videretur. Quamquam quid interfuit, utrum repulsam, an sic adeptam præturam domum referret? quam quum propinqui ab eo pollui animadverterent, id egerunt, ne aut sellam ponere[4], aut jus dicere auderet; insuperque e manu ejus annulum, in quo caput Africani sculptum erat, detraxerunt[5]. Di boni, quas tenebras ex quo fulmine[6] nasci passi estis!

marique. Antiochus deinde ad Scipiones legatos pacem petentes misit. Hi secum habuerunt Africani filium, quem rex parvo navigio trajicientem ceperat, nunc autem regiis donatum muneribus remisit. Pax regi data, parte regni adempta usque ad montem Taurum.

1. *Altero oppressa*, etc. Patre, qui ex oppressa Africa nomen accepit Africanus. — *Altero jam*, etc. Patruo, qui recuperata Asia Asiaticus dictus est.

2. *Deorum hominumque*. Curru triumphali vectus in Capitolium, ubi quasi dii hominesque illum intuebantur.

3. *Turpitudinis maculis obsolefactam*. Alludit ad proximum superius, quod sustinuerat captivus duci. Romani enim eos molles et ignavos putabant, qui captivitatis dedecus morte prævenire non audebant. Plutarch. Æmil. II, p. 313, ed. Reisk. — *Cicerei*. Cicereus in campo Martio Scipioni prælatus quidem, sed patris reverentia, cujus scriba fuerat, motus, concessit illi præturam; atque ita togam *candidam* deposuit, qua induti significabant candorem animi, nulla ambitione aut avaritia polluti. Unde *candidati* dicti, qui candida veste amicti Romæ magistratum petebant.

4. *Sellam ponere*. Ad jus dicendum. Cæterum et a censoribus notatum et senatu motum scribit Livius. Conf. Cicer. in Verr. II, 38. Sellam innuit *curulem*.

5. *Annulum.....detraxerunt*. Quasi indignus gestare annulum, cui Africani insculpta esset imago, eum deponere coactus est, ne quid temere illo signaret.

6. *Fulmine*. Vehementissimo clarissimoque lumine.

Digitized by Google

2. Age Q. Fabii Max. Allobrogici[1], et civis et imperatoris clarissimi, filius Q. Fabius Max. quam perditam luxuria vitam egit! cujus ut cætera flagitia obliterentur, tamen abunde illo dedecore mores nudari possunt, quod ei Q. Pompeius prætor urbanus paternis bonis[2] interdixit: neque in tanta civitate, qui illud decretum reprehenderet[3], inventus est; dolenter enim homines ferebant, pecuniam, quæ Fabiæ gentis splendori servire debebat, flagitiis disjici[4]: quem ergo nimia patris indulgentia[5] heredem reliquerat, publica severitas exheredavit.

3. Possedit favorem plebis Clodius Pulcher[6]: adhærensque Fulvianæ stolæ pugio[7] militare decus muliebri imperio

1. *Allobrogici.* Quoniam Gallos *Allobroges* felici pugna vicerat. Arvernorum regem Betultum sive Bituitum postea Domitius captum misit Romam. Senatus vero Betultum misit Albam in custodiam. Vid IX, 6. Hoc nomine distinguitur Fabius ille a Rulliano, Verrucoso, Cunctatore. Cic. Quæst. Tusc. I, 33.

2. *Paternis bonis interdixit.* An. U. 662. Formula, qua prodigus bonis interdicebatur, legitur apud Paullum, III Sent. tit. 4: « *Quando tua bona paterna avitaque nequitia tua disperdis, liberosque tuos ad egestatem perducis, ob eam rem tibi ea re commercioque interdico.* »

3. *Reprehenderet.* Quidam, *rescinderet.* Frustra. Nam magis est, et universorum approbationem clarius significat, quod *nemo reprehendit*, quam quod nemo *prætoris decretum rescindere* tentavit.

4. *Disjici.* Dilapidari.

5. *Nimia patris indulgentia.* Qui quum filium videret prodigum, eum tamen reliquit heredem.

6. *Clodius Pulcher.* Qui in tribunatu suo Ciceronem expulit. Constat autem omnes Clodios semper potentiæ patriciorum assertores fuisse, præter hunc unum; qui, ut Ciceronem ejiceret civitate, non dubitavit renuntiare generi patricio, et se plebeiis immiscere. Nam lex erat quæ patricium quemque tribunum fieri vetabat. Hic igitur cuidam plebeio et minori natu se in adoptionem dedit, suadente hoc C. Cæsare consule. Nam quodam loco deplorante Cicerone statum reipublicæ, iratum dicunt Cæsarem in causam plebis Clodium adduxisse, qui continuo tribunus pl. factus favorem plebis possidere cœpit. An. U. 695.

7. *Fulvianæ stolæ pugio.* Metonym. *stolam* pro Fulvia, *pugionem* pro homine militari Clodio posit. Hæc Fulvia, exstincto Clodio, uxor fuit M. Antonii, infestissima Ciceroni. Magnam auctoritatem in urbe nacta est, ut neque senatus, neque populus præter ejus sententiam quidquam statueret. Hæc in Ciceronis abscissum caput atrociter egit.

Digitized by Google

subjectum habuit. Quorum filius Pulcher, præterquam quod enervem et frigidam[1] juventam egit, perdito etiam amore vulgatissimæ meretricis infamis fuit, mortisque erubescendo genere consumptus est; abdomine[2] enim avide devorato, fœdæ ac sordidæ intemperantiæ spiritum reddidit.

4. Jam Q. quidem Hortensii, qui in maximo et ingenuorum civium et amplissimorum[3] proventu, summum auctoritatis atque eloquentiæ gradum obtinuit, nepos Hortensius Corbio omnibus scortis abjectiorem et obscœniorem vitam exegit : ad ultimumque lingua ejus tam libidini cunctorum inter lupanaria prostitit, quam avi pro salute civium in foro excubuerat.

CAPUT VI.

De illustribus qui in veste aut cætero cultu licentius sibi indulserunt[4].

1. P. Scipio Major. — 2. L. Scipio Asiaticus. — 3. L. Cornelius Sulla. — 4. C. Duilius. — 5. C. Papirius Masso. — 6. C. Marius. — 7. M. Cato Uticensis.

Animadverto in quam periculosum iter processerim. Itaque me ipse revocabo; ne, si reliqua ejusdem generis naufragia consectari perseveravero, aliqua inutili[5] relatione implicer. Referam igitur pedem, deformesque umbras

1. *Frigidam*. Segnem, quum ardor præcipue sit juvenum.

2. *Abdomine*. Pingui suillo. — An. U. 712.

3. *Ingenuorum.... amplissimorum*. Tres MSS. *ingeniorum*. Lips. conjecerat *ingeniorum et civium amplissimorum*. Torren. *ingeniosorum civium* conjicit. — *Summum ..... obtinuit*. Ut interdum dubitarent, utrum ipse an Cicero eloquentiæ principatum obtineret. — *Corbio*. Quia tamquam *corbis* omnia paterna bona devorabat. Nam sunt, qui dicant, hoc nomen eum accepisse a vorandi cupiditate. *Corbitare* quoque apud Plautum est avide deglutire. Vid. Sueton. Tiber. 47.

4. *De illustribus ..... indulserunt*. Multi codd. MSS. titulum ita constituunt : *Qui ex illustribus viris in veste aut in cætero cultu licentius sibi, quam mos patrius permittebat, indulserunt*.

5. *Inutili*. Noxia, damnosa. Vid. supra, III, 3, ext. 2.

Digitized by Google

in imo gurgite turpitudinis suæ jacere patiar[1]. Satius est enim narrare, qui illustres viri in cultu, cæteroque vitæ[2] ritu, aliqua ex parte novando, sibi indulserint.

1. P. Scipio[3], quum in Sicilia augendo trajiciendoque in Africam exercitu, opportunum quærendo gradum, Carthaginis ruinam animo volveret, inter consilia ac molitiones tantæ rei operam gymnasio dedit, pallioque et crepidis usus est: nec hac re segniores punicis exercitibus manus intulit; sed nescio an ideo alacriores, quia vegeta et strenua ingenia quo plus recessus sumunt, hoc vehementiores impetus edunt: crediderim etiam favorem eum sociorum uberiorem se adepturum existimasse, si victum eorum et solennes exercitationes comprobasset; ad quas tum veniebat, quum multum ac diu fatigasset humeros, et cætera membra militari agitatione firmitatem suam probare coegisset; consistebatque in his labor ejus, in illis remissio laboris.

2. L. vero Scipionis statuam chlamydatam[4] et crepidatam in Capitolio cernimus: quo habitu videlicet, quia aliquando usus erat, effigiem suam formatam poni voluit.

3. L. quoque Sulla[5], quum imperator esset, chlamydato sibi et crepidato Neapoli ambulare deforme non duxit.

1. *Deformesque ..... patiar*. Turpissimas aliorum vitas ut Ciceronis junioris, aliorumque, non adumbrabo.

2. *Vitæ*. Pighius, Colerus et Thysius hanc vocem neglexerunt; sed exstat non tantum in veteribus typis expressis, sed etiam in codicibus manu scriptis.

3. *P. Scipio*. An. U. 548. Liv. XXIX, 19. — *Gymnasio*. Exercitationi in re literaria. Sed referri etiam *gymnasia* possunt ad eas, quas postremo nominat, corporis exercitationes; *pallium*, etc., ad rem literariam. Pallio enim utebantur græci philosophi. *Crepidas* Servius Tusca vocat calceamenta, quæ corrigiis ad pedes ligabantur. Vid. Gellius, XIII, et Balduinus de calceo antiquo.

4. *Statuam chlamydatam*. Chlamys Græcorum erat superindumentum, quo in itineribus et alias, sed raro, utebantur etiam Romani. Omnes MSS. *clamidatam* habent. Cic. pro C. Rabirio, c. 10. — *Capitolio*. Ubi triumphantium statuæ positæ erant.

5. *L. quoque Sulla*. Sulla adversus Mithridatem missus. An. Urb. 674.

Digitized by Google

4. C. autem Duilius[1], qui primus navalem triumphum ex Pœnis retulit, quotiescunque epulaturus erat, ad funalem cereum præeunte tibicine et fidicine, a cœna domum reverti solitus est, insignem bellicæ rei successum nocturna celebratione testando.

5. Nam Papirius quidem Masso[2], quum bene gesta republica triumphum a senatu non impetrasset, in albano monte triumphandi et ipse initium fecit, et cæteris postea exemplum præbuit : proque laurea corona, quum alicui spectaculo interesset; myrtea[3] semper usus est.

6. Jam C. Marii pæne insolens factum[4]. Nam post Jugurthinum, cimbricumque et teutonicum triumphum cantharo[5] semper potavit : quod Liber pater, indicum ex Asia deducens triumphum, hoc usus poculi genere ferebatur; ut inter ipsum haustum vini, victoriæ ejus suas victorias compararet.

7. M. autem Cato prætor, M. Scauri[6] cæterorumque reorum judicia, nulla indutus tunica, sed tantummodo prætexta amictus egit.

1. *C. autem Duilius.* An. U. 493. Vid. Liv. XVII; Flor. II; Cic. in Catone. — *Nocturna celebratione.* Quasi et privatus perpetuo triumpharet.

2. *Papirius quidem Masso.* An. U. 522. Vid. Plin. XV, 29. — *Bene.* Devicerat enim Samnites. — *Albano monte.* Ubi feriæ latinæ celebrabantur, et incunabula quasi fuerant gentis romanæ.

3. *Myrtea.* Qua ovantes plerumque coronabantur.

4. *C. Marii ..... factum.* An. U. 652. *Insolentia* in eo erat, quod cum Baccho se Marius comparare non dubitavit.

5. *Cantharo.* Eo enim Liberum patrem usum fuisse dicunt.

6. *M. Scauri.* An. U. 699. Scaurus ob Sardiniam avare administratam repetundarum erat accusatus. Id judicium Cato æstate sine tunica, quæ est vestis interior, sola velatus toga prætexta egit, remque repetiit ex veteri consuetudine, qua et Romuli et Camilli statuæ togatæ absque tunicis essent, ex quo pateret, illos aliquando sic in forum descendisse.

Digitized by Google

CAPUT VII.

De fiducia sui quæ in Romanis.

1. P. Scipione Majore. — 2. P. Scipione AEmiliano. — 3. P. Nasica Serapione cos. — 4. M. Livio Salinatore cos. — 5. P. Furio Philo cos. — 6. L. Licinio Crasso procos. — 7. M. Catone Majore reo. — 8. M. AEmilio Scauro reo. — 9. M. Antonio oratore. — 10. Senatu romano. — 11. L. Accio poeta.

De fiducia sui quæ in Externis.

1. Euripide poeta. — 2. Antigenida tibicine. — 3. Zeuxe pictore. — 4. Phidia sculptore. — 5. Epaminonda thebano. — 6. Hannibale pœno. — 7. Cotye Thracum rege. — 8. Antroclida, Leonida, et Agide, spartanis.

DE FIDUCIA SUI QUÆ IN ROMANIS.

Sed hæc, atque his similia, virtutis aliquid sibi in consuetudine novanda licentiæ sumentis indicia sunt. Illis autem, quæ deinceps subnectam, quantam sui fiduciam habere soleat, cognoscetur[1].

1. P. et Cn. Scipionibus[2] in Hispania cum majore parte exercitus ab acie punica oppressis, omnibusque provinciæ ejus nationibus Carthaginiensium amicitiam sequutis, nullo ducum nostrorum illuc ad corrigendam rem proficisci audente, P. Scipio, quartum et vicesimum annum agens,

1. *Illis autem.... cognoscetur.* Qui viribus suis timidus diffidit, nil fere magni atque gloriosi perficiet. Ad res magnas peragendas opus est quadam fiducia in viribus suis ponenda, moderate tamen, ne in temeritatem et nimiam arrogantiam degeneret. Plurima potest qui velit serio, licet non omnia. Hanc fiduciam dant prudentia, rerum peritia, sui ipsius cognitio, virtus, probitas.

2. *P. et Cn. Scipionibus.* An. U. 541 — 66. Videndus Liv. XXV, XXVI, XXIX, XXX, XXXVIII. Vid. etiam Polyb. Ammian. Aurel. Vict. et Gell. — *Nullo ducum..... audente.* Die comitiorum edicto, coss. exspectaverunt, ut, qui se imperio dignos censerent, nomina profiterentur; quum vero tacerent omnes, mœsta civitas et inops fuit consilii, usque dum surgeret juvenis Scipio.

Digitized by Google

iturum se pollicitus est; qua quidem fiducia populo romano salutis ac victoriæ spem dedit : eademque in ipsa Hispania usus est; nam quum oppidum Badiam[1] circumsederet, tribunal suum adeuntes, in ædem, quæ intra mœnia hostium erat, vadimonia in posterum diem facere jussit: continuoque urbe potitus, et tempore et loco, quo prædixerat, sella posita, jus eis dixit. Nihil hac fiducia generosius, nihil prædictione verius, nihil celeritate efficacius, nihil etiam dignitate dignius. Nec minus animosus minusve prosperus[2] illius in Africam transitus, in quam ex Sicilia exercitum senatu vetante traduxit; quia, nisi plus in ea re suo, quam patrum conscriptorum consilio credidisset, secundi punici belli finis inventus non esset. Cui facto par illa fiducia, quod, postquam Africam attigit, speculatores[3] Hannibalis in castris deprehensos, et ad se perductos, nec supplicio affecit, nec de consiliis ac viribus Pœnorum percontatus est, sed circa omnes manipulos diligentissime ducendos curavit; interrogatosque, an satis ea considerassent, quæ speculari jussi erant, prandio dato ipsis, jumentisque eorum, incolumes dimisit. Quo tam pleno fiduciæ spiritu prius animos hostium, quam arma, contudit. Verum ut ad domestica eximiæ ejus fiduciæ acta veniamus, quum a L. Scipione ex Antiochensi pecunia[4] H-S.

1. *Badiam.* Validum Hispaniæ oppidum. — *Vadimonia.* Inter vades et sponsores hoc est discrimen, quod vades publici, sponsores privati dicuntur. *Vadimonium* est, si quis pro altero, cui dies dicta, pollicetur, illum aut se in judicium publicum esse venturum.

2. *Prosperus.* Quod reperire licet etiam in Cicerone de Republ. VI, et Silio Ital. X. — *Senatu vetante.* Quoniam Fabius Max. invidia forsan commotus, Scipionis rogationi intercessit. Verum Livius narrat : non vetuisse senatum, sed permisisse, si id e republica videretur.

3. *Speculatores.* Quos posterior ætas barbare *scultatores* appellavit, ut docet Cujacius Observatt. VI, 32. — *Manipulos.* Quorum origo statim ab urbe condita, immo altius repetenda.

4. *Antiochensi pecunia.* Expensa in bello adversus Antiochum. — *H-S.* Sestertius est denarii quarta pars, cujus frequentissimus in rationibus

Digitized by Google

quadragies ratio in curia reposceretur, prolatum ab eo librum, quo acceptæ et expensæ summæ continebantur, et refelli inimicorum accusatio poterat, discerpsit: indignatus de ea re dubitari, quæ sub ipso legato administrata fuerat. Quin etiam in hunc modum egit: «Non reddo, patres conscripti, ærario vestro H-S. quadragies rationem, alieni imperii minister, quod meo ductu meisque auspiciis bis millies H-S. uberius feci. Neque enim huc, puto, malignitatis ventum, ut de mea innocentia quærendum sit. Nam quum Africam totam potestati vestræ subjecerim, nihil ex ea quod meum diceretur, præter cognomen, retuli. Non igitur me punicæ, non fratrem meum asiaticæ gazæ avarum reddiderunt: sed uterque nostrum magis[1] invidia, quam pecunia locupletior est.» Tam constantem defensionem Scipionis universus senatus comprobavit.

Sicut et illud factum[2], quod, quum ad necessarium reipublicæ usum pecuniam ex ærario promi opus esset, idque quæstores, quia lex obstare videretur, aperire non auderent, privatus claves poposcit, patefactoque ærario, legem utilitati cedere coegit: quam quidem ei fiduciam conscientia illa dedit, qua[3] meminerat omnes leges a sese esse servatas. Non fatigabor ejusdem facta identidem referendo, quoniam ne ille quidem in consimili genere virtutis eden-

usus. Efficiebatur duobus assibus et tertio semisse. *Sestertium* autem mille sestertios significat. Videndi Vitruv. III, 1; Scaliger de Re numaria; Budæus de Asse, Gronov. de Sestert. Sestertius signo LLS, id est, duæ libræ et semissis, denotabatur. Duplex L postea in figuram H contraxerunt. — *Prolatum ab eo librum*. Ita Pigh. e codd. MSS. edidit. Alii edidere *prolato ab eo libro*. Sed prius illud rectius est: ut sit aliquid, ad quod id, quod sequitur, *discerpsit*, referri possit. Si *prolato libro* retinere velis, alius accusativus quærendus; legendumque *eum discerpsit*.

1. *Magis*. Per pleonasmum, uti et ab aliis, additum. Justin. XII, 11; Flor. IV, 2, 26.

2. *Illud factum*. Celtiberico bello, quum Sempronius Tuditanus cum omni fere exercitu deleretur.

3. *Qua*. Vulgo *quia*; sed Torrenius ex MS. Perizoniano in textum recepit *qua*.

Digitized by Google

do[1] fatigatus est. Diem illi ad populum M. Nævius[2] tribunus plebis, aut, ut quidam memorant, duo Petilii dixerant: quo ingenti frequentia in forum deductus, Rostra conscendit, capitique suo corona triumphali imposita, «Hac ego, inquit, Quirites, die, Carthaginem magna spirantem[3], leges vestras accipere jussi: proinde æquum est, vos mecum ire in Capitolium supplicatum[4].» Speciosissimam ejus deinde vocem æque clarus eventus sequutus est; siquidem et senatum totum, et universum equestrem ordinem, et cunctam plebem Jovis optimi maximi pulvinaria[5] petens, comitem habuit. Restabat ut tribunus apud populum sine populo ageret, desertusque in foro cum magno calumniæ suæ ludibrio, solus moraretur: cujus devitandi ruboris causa in Capitolium processit, deque accusatore Scipionis venerator est factus.

2. Aviti spiritus egregius successor Scipio[6] Æmilianus, quum urbem prævalidam obsideret, suadentibus quibusdam ut circa mœnia ejus ferreos murices spargeret, omniaque vada tabulis plumbatis consterneret, habentibus clavorum acumina, ne subita eruptione hostes in præsidia nostra impetum facere possent, respondit, *non esse ejusdem, et capere aliquos velle, et timere.*

1. *Edendo.* Passim *suadendo.* Lips. conjecit, legendum esse *se dando.* Sed non est, quod lectio vulgata sollicitetur.

2. *M. Nævius.* Scipionem accusavit, quod a rege Antiocho, quo facilioribus conditionibus pax cum eo fieret, populi romani nomine pecuniam accepisset.

3. *Spirantem.* Sic pro *sperantem* rectius posuit Modius.

4. *Supplicatum.* Ad gratias diis agendas.

5. *Pulvinaria.* Hoc loco forsan pro ipso templo posita.

6. *Scipio Æmilianus.* Pater finierat secundum punicum bellum: Æmilianus, ejus filius adoptivus, delevit Carthaginem. Qui adoptabant, eorum, quos adoptabant, *avi;* qui igitur adoptabantur, istorum *nepotes* dicebantur. Liv. XLIV, 44. An. U. 629. — *Urbem prævalidam. Intercalatiam* Hispaniæ, vel, ut alii malunt, Numantiam. — *Murices,* τρίβολοι, ferreæ sunt machinulæ, quæ, in quamcunque partem cadant, acumina protendunt; dicta ita, quod murices, genus conchyliorum, forma referant, quippe

Digitized by Google

3. In quamcunque memorabilium partem exemplorum convertor, velim nolim, in[1] cognomine Scipionum hæream necesse est. Qui enim licet hoc loci Nasicam præterire, fidentis animi, dictique clarissimum auctorem? Annonæ caritate increbescente[2], C. Curiatius tribunus plebis productos in concionem consules compellebat, ut de frumento emendo, atque ad id negotium explicandum mittendis legatis, in curiam referrent; cujus instituti minime[3] utilis interpellandi gratia Nasica contrariam actionem ordiri cœpit. Obstrepente deinde plebe, *Tacete, quæso, Quirites,* inquit; *plus enim ego, quam vos, quid reipublicæ expediat, intelligo.* Qua voce audita, omnes pleno venerationis silentio, majorem ejus auctoritatis[4], quam suorum alimentorum respectum egerunt.

4. Livii quoque Salinatoris[5] æternæ memoriæ tradendus animus: qui quum Hasdrubalem exercitumque Pœnorum in Umbria[6] delesset, et ei diceretur, Gallos ac Ligures ex acie sine ducibus et signis sparsos ac palantes parva manu opprimi posse, respondit, *in hoc iis parci oportere, ne hostibus tantæ cladis domestici nuntii deessent.*

5. Bellica hæc præsentia animi: togata illa, sed non minus laudabilis, quam P. Furius Philus consul in senatu

qui et ipsi varia acumina habeant. Vid. Curt. IV, 13, 36; Plin. IX, 33. — *Tabulis plumbatis.* Ut mergerentur in profundum, nec flumine abriperentur.

1. *Velim nolim, in.* Passim *velim nolimve ut in.* Utrumque videtur interpolatum. Nam *velim nolim* ex solenni formula dicitur; et *necesse est* sexcenties cum subjunctivo sine conjunctione *ut* positum invenias.

2. *Annonæ caritate increbescente.* An. U. 615. Non rumorem modo et famam, sed et varia alia *increbescere* dicunt, v. c. ventorum murmur, horrorem. *Crebrescere* scribi non vult Manutius in ortograph.

3. *Minime utilis.* Quia cognoverat, hoc idem alias periculosum fuisse libertati rom. Sed aperte causas tum proferre, non commode poterat.

4. *Majorem ejus auctoritatis.* In codd. aliquot *majorem auctoritatem ejus.* Minus bene.

5. *Livii quoque Salinatoris*, etc. An. U. 546. Liv. XXVII, 49. Salinator ad Metaurum reddidit Pœnis similem cannensi cladem.

6. *Umbria.* Inter Sabinorum terram et Thusciam sita.

Digitized by Google

exhibuit[3]. Q. enim Metellum, Quintumque Pompeium, consulares viros, vehementes inimicos suos, cupitam[2] sibi profectionem in provinciam Hispaniam, quam sortitus erat, identidem exprobrantes, legatos secum illuc ire coegit. Fiduciam[3] non solum fortem, sed pæne etiam temerariam! quæ duobus acerrimis odiis[4] latera sua cingere ausa est, usumque ministerii vix tutum in amicis, e sinu inimicorum petere sustinuit.

6. Cujus factum si cui placet, necesse est, L. etiam Crassi[5], qui apud majores eloquentia clarissimus fuit, propositum non displiceat; nam quum ex consulatu[6] provinciam Galliam obtineret, atque in eam C. Carbo, cujus patrem damnaverat, ad speculanda acta sua venisset, non solum eum inde non submovit, sed insuper locum ei in tribunali assignavit, nec ulla de re, nisi eo in consilium

1. *Quam ..... exhibuit.* An. Urb. 617. Liv. XLI, 21.

2. *Cupitam sibi*, id est, a se cupitam. Plurimi codd. MSS. cum vetustiss. edd. *cupidam* exhibent, ut *sibi* regatur ab *exprobrantes*. Potest sane ipsa profectio *cupida* dici, quia ipse se proficiscendi cupidissimum ostendit, dum festinat, et omni modo urget, ut sibi proficiscendi fiat copia in provinciam, quam sortitus erat. — *Legatos..... coegit.* Ex hoc loco patet, consulem sibi legatos, quos voluerit, pronuntiasse, sicut dictator creavit sibi magistrum equitum.

3. *Fiduciam.* Pigh. contra MSS. ac edd. fidem intrusit exclamationem *O*, licet auctor eam sæpius omittat. Vid. III, 8, 8; IV, 2, in fin.; V, 3, 2; V, 6, 3; V, 9, in fin.; VIII, 7, ext. 6.

4. *Odiis.* Viris odio plenis.

5. *L. etiam Crassi*, etc. An. U. 659. Cic. Verr. III, 1; ad Divers. IX, 21.

6. *Ex consulatu.* Id est, post consulatum. In codd. passim legitur *ex consule*, *exconsul*, *quum consul*. Torren. malit, *nam quum is consul*, quia Crassus *consul* provinciam Galliam obtinuit, non vero *proconsul*. Vid. Vellei. Pat. II, 33; Eutrop. VI, 3. — *C. Carbo.* Damnatus fuerat, quod cum C. Graccho et Fulvio triumviris, dividendo agro creatis, seditionem concitaverat, nec non in bello adversus Cimbros male pugnaverat. Hic quoque tribunus pleb. rogationem tulerat, ut eumdem tribunum plebis, quoties vellent, creari liceret. Quam rogationem P. Scipio dissuasit. Gracchus contrariam tulit sententiam. His igitur de causis L. Crassus eum damnatum exsulare coegit. — *Damnaverat.* Damnare actor dicitur, si causam contra reum obtinet.

Digitized by Google

adhibito, cognovit. Itaque acer et vehemens Carbo nihil aliud gallica peregrinatione consequutus est, quam ut animadverteret sontem patrem suum ab integerrimo[1] viro in exsilium missum.

7. Cato[2] vero superior sæpenumero ab inimicis ad causæ dictionem vocatus, nec ullo unquam crimine convictus, ad ultimum tantum fiduciæ in sua innocentia reposuit, ut ab his in quæstionem publicam deductus, Tib. Gracchum, a quo in administratione reipublicæ ad multum odium dissidebat, judicem deposceret. Qua quidem animi præstantia[3] pertinaciam eorum insectandi se inhibuit.

8. Eadem M. Scauri[4] fortuna : æque senectus longa ac robusta, idem animus. Qui quum pro Rostris accusaretur, quod a rege Mithridate ob rempublicam prodendam pecuniam accepisset, causam suam ita egit : « Est enim iniquum, Quirites, quum inter alios vixerim, apud alios me rationem vitæ reddere[5]; sed tamen audebo vos, quorum major pars honoribus et actis meis interesse non potuit, interrogare: Varius sucronensis[6] Æmilium Scaurum, regia mercede corruptum, imperium populi romani prodidisse ait : Æmilius Scaurus huic se affinem esse culpæ[7] negat.

1. *Integerrimo*. Ut qui coram inimico omnia gerere audebat.

2. *Cato*. An. Urb. circiter 575. Cato calumniarum fere nunquam expers (quod severitas odium parit), quadragies quater aut quinquagies accusatus ac judicio honorifice absolutus dicitur.

3. *Præstantia*. Sic omnes libri. Kappius tamen malit *præsentia*, quod Vorst. conjecerat. Vid. supra II, 6, 11.

4. *M. Scauri*. An. U. 662. Quintil. V, 12. Scaurus, aliis testibus, accusatus est, quod ejus, pecunia corrupti, consilio bellum sociale atrox longumque concitatum esset.

5. *Est enim..... reddere*. Alii interpretantur : « Inter majores vestros vixi; vos autem vitam meam per ætatem noscere accurate non potestis; » alii : » Vixi maximam partem in Oriente, causam nunc dicturus Romæ. » Minus bene.

6. *Varius sucronensis*. Vid. VIII, 6, 4. Varius oriundus ex Sucrone oppido Hispaniæ juxta Sucronem flavium. Alii legunt *veronensis*.

7. *Affinem esse culpæ*. Id est, ejus participem esse. Sic sæpe Cicero, ut Invent. II, 44; pro Sylla §. 70. Vid. infra, VIII, 4, 2.

Digitized by Google

Utri creditis[1] ? » Cujus dicti admiratione populus commotus, Varium ab illa dementissima actione pertinaci clamore depulit.

9. Contra M. Antonius ille disertus[2]; non enim respuendo, sed amplectendo causæ dictionem, quam innocens esset, testatus est[3]. Quæstor proficiscens in Asiam, Brundusium[4] jam pervenerat : ubi literis certior factus, incesti se postulatum apud L. Cassium prætorem, cujus tribunal propter nimiam severitatem *scopulus reorum*[5] dicebatur; quum id vitare beneficio legis Memmiæ[6] liceret, quæ eorum, qui reipublicæ causa abessent, recipi nomina vetabat, in urbem tamen recurrit. Quo tam pleno fiduciæ bonæ consilio, quum absolutionem celerem, tum profectionem honestiorem consequutus est.

10. Sunt et illa speciosæ fiduciæ publica exempla[7]; nam quum eo bello, quod adversus Pyrrhum gerebatur, Carthaginienses c. ac xxx navium classem[8] in præsidium Roma-

1. *Utri creditis.* Utrum homini peregrino et nihil de vobis merito, an civi tot annos apud vos tanta innocentia et fortitudine versato?

2. *M. Antonius ille disertus.* Orator, quem Cicero in lib. de Oratore loquentem inducit.

3. *Non enim..... testatus est.* An. U. 639. Vid. infra, VI, 8.

4. *Brundusium.* Urbs Calabriæ maritima, abs qua transitus in Dyrrhachium.

5. *Scopulus reorum.* Ad quem rei quasi allisi naufragium facerent. Sic Cicero Pisonem *scopulum reipublicæ*, et Florus, IV, 9, 1, Antonium *scopulum securitatis publicæ* vocat. Cassius vero fuit severissimus in judiciis exercendis, unde ab eo severi judices *Cassiani* dicti sunt.

6. *Legis Memmiæ.* Lex Memmia vetuit, nomina eorum, qui abessent reipubl. causa, ad accusationem recipi, seu ad litem subeundam, donec reversi essent; qua in re Romani justiores Græcis, qui Alcibiadem absentem damnarunt. Neque tamen satis constat de ista lege Memmia in summa scripturæ varietate, quam codd. exhibent, quum *Nævia*, *Mæviæ*, *Numiæ*, *Meneniæ*, itemque *Meminæ* passim reperiatur.

7. *Sunt et..... exempla.* An. U. 472. Just. XVIII; Liv. XXVI, 11.

8. *Classem.* Quam adduxit Mago. Pœni enim dixerunt : quoniam Itali externo hoste premerentur, auxilium se misisse, ut externis quoque opibus adjuvarentur. Sed id non tulit romana superbia. Gratiæ a senatu actæ, naves remissæ.

Digitized by Google

nis Ostiam ultro misissent, senatui placuit, legatos ad ducem eorum ire, qui dicerent, « populum romanum bella suscipere solere, quæ suo milite gerere posset; proinde classem Carthaginem reducerent. » Idem post aliquot[1] annos cannensi clade exhaustis romani imperii viribus, supplementum exercitus in Hispaniam mittere ausus, fecit, ne hostilium locus castrorum, tum maxime Capenam portam armis Hannibale pulsante, minoris veniret, quam si Pœni illum non obtinerent. Ita se gerere in adversis rebus[2] quid aliud est, quam sævientem fortunam, in adjutorium sui, pudore victam convertere?

11. Magno spatio divisus est a senatu ad poetam Accium transitus. Cæterum ut ab eo decentius ad externa transeamus, producatur in medium. Is Julio Cæsari[3] amplissimo et florentissimo viro in collegium poetarum venienti nunquam assurrexit; non majestatis ejus immemor, sed quod in comparatione communium studiorum, aliquanto superiorem se esse confideret. Quapropter insolentiæ crimine caruit, quia ibi voluminum, non imaginum certamina exercebantur[4].

DE FIDUCIA SUI QUÆ IN EXTERNIS.

1. Ne Euripides[5] quidem Athenis arrogans visus est, quum, postulante populo, ut ex tragœdia quamdam sen-

1. *Post aliquot annos.* An. U. 542. — *Capenam portam.* Qua itur Capuam. Ad portam *Collinam* progressum Hannibalem Livius narrat. Hannibal contra tabernas argentarias, quæ circa forum romanum essent, vocato præcone jussit venire; sed emptor non est inventus.

2. *Adversis rebus.* Multi codd. MSS. omittunt *rebus.* Non desideratur, nec tamen abundat.

3. *Julio Cæsari.* Pighius censet, C. Cæsarem Strabonem intelligi, qui bello Mariano periit; nam Jul. Cæsaris dictatoris æqualem Accium poetam non fuisse. Juxta alios alter hic est Accius, quam cujus fragm. exstant, ipsiusque Cæsaris dictatoris æqualis.

4. *Ibi.... exercebantur.* Non enim spectabatur ibi, quas quis *imagines* haberet, sed quæ *volumina*, quæ scripta edidisset.

5. *Euripides.* De Euripide vide

Digitized by Google

tentiam tolleret, progressus in scenam dixit : *Se ut eum doceret, non ut ab eo disceret, fabulas componere solere.* Laudanda profecto fiducia est, quæ æstimationem sui certo pondere examinat, tantum sibi arrogans, quantum a contemptu et insolentia distare satis est.

Itaque etiam quod Alcestidi[1] tragico poetæ respondit, probabile : apud quem quum quereretur quod eo triduo non ultra tres versus maximo impenso labore[2] deducere potuisset, atque is se centum perfacile scripsisse gloriaretur : *Sed hoc*, inquit, *interest, quod tui in triduum tantummodo, mei vero in omne tempus sufficient.* Alterius enim fecundi[3] cursus scripta intra primas memoriæ metas corruerunt : alterius cunctante[4] stilo elucubratum opus per omne ævi tempus plenis gloriæ velis feretur.

2. Adjiciam scenæ ejusdem exemplum[5]. Antigenidas[6] tibicen discipulo suo magni profectus, sed parum feliciter populo se approbanti, cunctis audientibus, dixit: *Mihi cane, et Musis*; quia videlicet perfecta ars fortunæ lenocinio[7] defecta, fiducia justa non exuitur; quamque scit se laudem mereri, eam etsi ab aliis non impetrat, domestico tamen acceptam judicio refert.

3. Zeuxis[8] autem, quum Helenam pinxisset, quid de eo

Priscian. II, et Gellius, XV, 20; XVII, 4, 21.

1. *Alcestidi.* Alii scribendum censent : *Alexidi* comico.

2. *Versus..... deducere.* Carmen *ducere* seu *deducere* nihil aliud, quam fundere, componere, scribere. — *Centum.* Cf. Horat. Sat. I, 4, vers. 9, et sq.

3. *Fecundi.* Id est, largissimi. — *Metas.* Terminos, proprie *metæ* in circo, fervidis circumeundæ rotis.

4. *Cunctante.* Immorante, assidua opera.

5. *Adjiciam..... exemplum.* Vide Gell. XVII, 16. In scena *tibiæ* fere semper adhibebantur. Vid. Horat. de Arte poet. 202-205.

6. *Antigenidas.* Natione Thebanus. Cic. Brut. 50; Symmach. 105; Gellius, XV, 17, 1. A Thebanis ars musica tanti æstimabatur, ut Epaminondas tibia cantaret. Vid. Nep. in præf.

7. *Fortunæ lenocinio.* Blanditiis; videlicet laude externa destituta : nam fortuna modo huic, modo illi, nec semper meritis blanditur, nec constans est, nisi in sola inconstantia.

8. *Zeuxis.* De *Zeuxide* vid. Plin.

Digitized by Google

opere homines sensuri essent, exspectandum non putavit; sed protinus hos versus[1] adjecit :

Οὐ νέμεσις Τρῶάς τε καὶ εὐκνήμιδας Ἀχαιοὺς
Τοιῇδ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν·
Αἰνῶς ἀθανάτῃσι θεαῖς εἰς ὦπα ἔοικεν.

Adeone dextræ suæ multum pictor arrogavit, ut ea tantum forma[2] comprehensum crederet, quantum aut Leda cælesti partu edere, aut Homerus divino ingenio exprimere potuit?

4. Phidias[3] quoque Homeri versibus egregio dicto allusit; simulacro enim Jovis Olympii perfecto, quo nullum præstantius aut admirabilius humanæ fabricatæ sunt[4] manus, interrogatus ab amico, « quonam mentem suam dirigens, vultum Jovis propemodum ex ipso cælo petitum eboris lineamentis esset amplexus? » illis se versibus[5] quasi magistro usum respondit :

XXXV, 10; et Cicero passim. Risu fertur mortuus, quum pictam a se anum intueretur. — *Sensuri.* Alii *censuri.* Perperam, judice Torrenio.

1. *Hos versus.* Vulgo ita vertuntur : *Haud turpe est Troas, fulgentesque ære Pelasgos Conjuge pro tali diuturnos ferre dolores : Æternis facies nimis est æquanda deabus.*

2. *Forma.* Perizon. conjecit *formæ*, id est, tantam formæ pulchritudinem. Quod Torren. ita probat, ut parum abfuerit, quin in textum reciperet. — *Leda.* Tyndari regis uxor, quacum Jupiter sub cygni specie rem habuisse creditus est, unde peperit ova, ex quibus Helena, Castor et Pollux.

3. *Phidias.* Quem quis ignoret, ejusque Jovem Olympium. Videatur Plinius, XXXVI, 5. Quintil. VII; Cic. Tusc. qu. I. De *Jove Olympio* Phidiæ Vid. Plinius, XXXIX, 8; Quintil. XXII, 10. Notæ sunt ejusdem quoque Minerva et Nemesis. Nemo in ebore præstantior fuit artifex.

4. *Fabricatæ sunt.* Fabricari sæpius etiam passive occurrit; unde multi *fabricavere* præferunt. — *Vultum Jovis..... amplexus.* Id est, si *Jovem ipsum* in cælo, quo stare consuevit, aliquando vidisset, melius et subtilioribus sculpturis cælaturisque certe non effinxisset.

5. *Versibus.* Vulgo ita vertuntur : *Atque supercilliis Saturnius annuit atris, Ambrosiæ fluxere comæ de vertice regis Æterni. Ast nutu totum concussit Olympum.*

Digitized by Google

Ἦ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων.
Ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπεῤῥώσαντο ἄνακτος,
Κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο· μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον.

5. Non patiuntur me tenuioribus[1] exemplis diutius insistere fortissimi duces. Siquidem Epaminondas[2], quum ei cives irati sternendarum in oppido viarum contumeliæ causa curam mandarent (erat enim illud ministerium apud eos sordidissimum), sine ulla cunctatione id recepit, *daturumque se operam, ut brevi speciosissimum fieret*, asseveravit. Mirifica deinde procuratione, abjectissimum negotium pro amplissimo ornamento expetendum Thebis[3] reddidit.

6. Hannibal vero quum apud regem Prusiam exsularet, auctorque ei committendi prælii[4] esset, atque is non idem sibi extis portendi diceret: *An tu*, inquit, *vitulinæ carunculæ, quam imperatori veteri, mavis credere?* Si verba numeres, breviter et abscise[5]; si sensum æstimes, copiose et valenter. Hispanias[6] enim direptas populo romano, et

1. *Tenuioribus*. Alii *tenerioribus*.

2. *Epaminondas*. Quo Thebis forsan nec clarior, nec fortior unquam. Satis nobis depingitur a Nepote et Plutarcho. — *Ministerium.... sordidissimum*. Hi dicti apud Thebanos τελίαρχοι, apud alios ἀςυνόμοι. Romæ id munus erat præcipue ædilium. Vir iste egregius non quam alto loco constitui eum deceret, sed ut justa fide et indefessa opera leve ac sordidum negotium curaret, respexit. Imitatu igitur quam dignissimum obsequium, quo eum se gessit, cui sordidum ministerium esset honori. Non enim tam ex muneris amplitudine honor petendus, quam ex fida atque sollerti cujuscunque rei publicæ administratione. Sic, quem ex quolibet vel levissimo munere nobis parare possumus, honor etiam in ipsum munus transfertur. Sed *Epaminondas* in summis non secus ac minimis negotiis maximum se præbuit. Eo enim clavum tenente, Thebani, quod nec ante nec post eum illis contigit, imperio totius fere Græciæ sunt potiti.

3. *Thebis*. Perizonius legit *Thebanis*. Frustra. Nam *Thebis* est *in urbe Thebarum*.

4. *Prælii*. Callidum Hannibalis in hoc prælio inventum leg. in Nepote. An. U. 568.

5. *Abscise*. Per abruptum sermonem.

6. *Hispanias*. Ulteriorem et ci-

Digitized by Google

Galliarum ac Liguriæ vires in suam redactas potestatem, et novo transitu Alpium juga patefacta, et Trasimenum lacum dira inustum memoria, et Cannas punicæ victoriæ clarissimum monumentum, et Capuam possessam, et Italiam laceratam ante pedes hominis effudit; uniusque hostiæ jecinori longo experimento testatam gloriam suam postponi æquo animo non tulit; et sane quod ad exploranda bellica sacrificia, æstimandosque militares ductus attinebat, omnes foculos[1], omnes aras Bithyniæ, Marte ipso judice, pectus Hannibalis prægravasset.

7. Capax generosi spiritus illud quoque dictum regis Cotys[2]. Ut enim ab Atheniensibus civitatem sibi datam cognovit : *Et ego*, inquit, *illis meæ gentis jus dabo.* Æquavit Athenis Thraciam, ne, vicissitudine talis beneficii imparem se judicando[3], humilius de origine sua sentire existimaretur.

8. Nobiliter etiam uterque Spartanus, et qui increpitus a quodam, quod in aciem claudus[4] descenderet, *pugnare, non fugere, propositum sibi esse* respondit; et qui[5] referente quodam, sagittis Persarum solem obscurari solere,

teriorem. — *Novo transitu.* De quo fere inaudito itinere lege, quæ calamo tam egregie pinxit Liv. XXI, 32, seq. — *Hominis.* Habent hoc plures scriptores, ut, quum nomen alicujus jam expresserunt, ac deinde de eodem agere pergunt, loco pronominis voce *hominis* utantur. Vid. sup. III, 1, 3.

1. *Foculos.* In his ignem alebant sacerdotes. — *Prægravasset.* Prægravare dicit pro superare. Sensus est : « Hannibal melius judicare de extis potuit, quam sacrificuli, » et sic extispicii fidem non elevat, aut reprimit Valerius, sed Hannibalis tantum prædicat experientiam.

2. *Cotys.* In bello quod cum Doriensibus Athenienses gesturi erant, hi *Cotym* exercitu præfecerunt, et quo fideliorem sibi redderent, eum civitate donarunt.

3. *Ne, vicissitudine.... judicando.* Vicissitudo beneficii est ipsa beneficii compensatio, ipsa remuneratio. Sed quid illud *vicissitudine beneficii imparem se judicare?* Nihil aliud quam putare, non posse se beneficium remunerari, vel, quod idem est, beneficii vicissitudinem præstare.

4. *Claudus.* Forsan *Agesilaus.* Vid. Nepos, XVII, 8; Justin. VI, 2.

5. *Qui. Leonidas.* Vid. supra, III, 2; ext. 3.

Digitized by Google

Bene narras, inquit, *in umbra enim melius prælabimur.* Ejusdem vir urbis atque animi, hospiti suo patriæ muros excelsos latosque ostendenti, dixit : *Si mulieribus istos comparastis, recte : si viris, turpiter*[1].

CAPUT VIII.

De constantia Romanorum.

1. Q. Fulvii Flacci procos. — 2. Q. Fabii Max. Verrucosi. — 3. C. Calpurnii Pisonis Cos. — 4. Q. Metelli Numidici. — 5. Q. Scævolæ auguris. — 6. Sempronia Gracchorum sororis. — 7. Pontii centurionis. — 8. C. Mevii centurionis.

De constantia Externorum.

1. Blassii salapini. — 2. Phocionis atheniensis. — 3. Socratis atheniensis. — 4. Ephialtis atheniensis. — 5. Dionis syracusani. — 6. Alexandri Magni.

DE CONSTANTIA.

Apertum et animosum bonæ fiduciæ pectus emenso quasi debitum superest opus, constantiæ[2] repræsentatio. Natura enim sic comparatum est, ut, quisquis se aliquid ordine ac recta mente complexum confidit, vel jam gestum, si obtrectetur, acriter tueatur; vel nondum editum, si interpelletur, sine ulla cunctatione ad effectum[3] perducat.

1. *Si viris, turpiter.* Quia virorum est, armis, non muris se tueri; unde iis Sparta caruit.

2. *Apertum..... repræsentatio.* En locum, interjectis glossulis in codd. MSS. mire depravatum. Veram dedimus lectionem, quam Lipsius reposuit. Sensus est : postquam de hominibus, aperte ac animose consilia sua cum contemptu obtrectatorum enuntiantibus, egi, jam restat, ut de constantia quoque exponam, et sic debitum meum quasi solvam. Ingentem lectionis varietatem noscere cupientes adeant Torrenium.

3. *Ut, quisquis.... perducat.* Quod sic explicat Oliverius : « hoc observare solemus, ut quum confidimus, nos justum aliquid atque honestum esse complexos, vel jam gestum acriter tueamur, si quispiam illud rescindere voluerit; vel nondum perfectum sine mora ad exitum perducamus, si quisquam illud interpellare tentaverit, quo minus perficiatur. » Sed nimis arctis limitibus Valerius noster cir-

Digitized by Google

1. Sed dum exempla propositæ rei persequor[1], latius mihi circumspicienti, ante omnia se Fulvii Flacci constantia offert. Capuam, fallacibus Hannibalis promissis Italiæ regnum[2] nefaria defectione pacisci persuasam, armis occupaverat; tam deinde culpæ hostium justus æstimator, quam speciosus victor, campanum senatum[3], impii decreti auctorem, funditus delere constituit: itaque catenis onustum in duas custodias, Teanam, Calenamque[4] divisit; consilium exsecuturus, quum ea peregisset, quorum administrandorum celerior esse necessitas videbatur. Rumore autem de mitiore senatus sententia orto, ne debitam pœnam scelerati effugerent, nocte admisso equo[5], Teanum contendit; interfectisque, qui ibi asservabantur, e vestigio Cales transgressus, perseverantiæ suæ opus exsequutus est[6]; et jam deligatis ad palum hostibus, literas a patribus conscriptis nequidquam Campanis salutares accepit: in

cumscribit constantiam, quæ est mentis optimis doctrinis imbutæ et summa fide virtutem sectantis, quæ nec a veritate satis firmata ad errorem, nec a probitate ad vitia deflecti se ullo modo patitur: quæ perstat in omni rerum discrimine, conviciis, famæ injuriis, usque dum bene ac sapienter cœpta consilia simus exsequuti. Hæc nisi in bonis: in malis vero pervicacia atque contumacia. Constantibus opponuntur incerti, ambigui, varii, mutabiles.

1. *Exempla..... persequor.* Id est, mente conquiro exempla propositæ rei. In decem MSS. est *prosequor.* Minus bene. Nam licet verba *prosequi* et *persequi* sæpius commutentur ap. Nostrum, magis tamen amat prius, quum laudat vel narrat rem, non quum circumspicit exempla. — *Ante omnia*, etc. Anno Urbis 542. — Livius, lib. XXVI, cap. 14.

2. *Italiæ regnum.* In defectione sancitum, ut devictis Romanis Italiæ regnum posthac penes *Campanos* esset.

3. *Campanum senatum.* Passim *Capuanum.* Et sane senatus capuanus fuit, de quo hic agitur. Sed item tamen *Campanus* dictus videtur a Nostro, ut Cicero et Livius Capuanos *Campanos* vocant.

4. *Teanam, Calenamque.* Sunt adjectiva, e nominibus oppidorum facta.

5. *Admisso equo.* Admittere equum est, permisso freno ad cursum incitare. Sic Propertius: *Decius admisso prælia rupit equo.* Cf. Cæsar de B. G. I, 22.

6. *Exsequutus est.* Quidam *exsequuturus*, quod probat Torrenius, qui voculam *est* supra inter *Cales* et *transgressus* inserit.

Digitized by Google

sinistra enim eas manu, sicut erant traditæ, reposuit[1]; ac jusso lictore lege agere[2], tum demum aperuit, postquam illis obtemperari non poterat. Qua constantia victoriæ quoque gloriam antecellit; quia, si eum intra se ipsum partita laude æstimes, majorem punita Capua, quam capta reperies.

2. Atque ista quidem severitatis; illa vero pietatis constantia admirabilis, quam Q. Fabius Maximus infatigabilem patriæ præstitit[3]. Pecuniam pro captivis Hannibali numeraverat[4]: fraudatus ea publice, tacuit. Dictatori ei magistrum equitum Minucium jure imperii senatus æquaverat[5]; silentium egit: compluribus præterea injuriis lacessitus, in eodem animi habitu permansit, nec unquam sibi reipublicæ permisit irasci[6]; tam perseverans in amore civium fuit[7]. Quid in bello gerendo, nonne par ejus constantia? Imperium romanum cannensi prælio pæne destructum vix sufficere ad exercitus comparandos videbat;

1. *Reposuit*. In codd. aliquot *retinuit*. Minus bene. Conf. Livium, XXVI, 15.

2. *Lege agere*. Suo fungi ministerio sumendi de noxiis supplicii. Quatuor MSS. *legem agere*. Male. Solenni enim formula lictor *lege agere* dicitur, quum pœnam de sontibus sumit. Cf. Liv. loco citato.

3. *Quam.... præstitit*. An. U. 536. 37.

4. *Numeraverat*. Non *numeravit*, quod codd. sat multi habent. Sequitur enim eodem modo *æquaverat*, non *æquavit*.

5. *Jure..... æquaverat*. Negat Lipsius Valerium ita scripsisse; neque enim latere eum potuisse, non senatusconsulto sed plebiscito id ita factum esse. Putat ergo legendum, *jure imperii æquaverant*; ut vox *senatus* omittatur. Hac cum conjectura conspirant etiam quæ Liv. refert. Sed possit tamen et μνημονικὸν ἁμάρτημα Valerii hic statui, quod sæpius commisit.

6. *Nec unquam..... irasci*. Novem MSS. *rempublicam*, unde Torrenius conjicit *in rempublicam*. Frustra. *Reipublicæ* scriptum erat compendiose; quod quum librarii plene scribere apud animum constituissent, ita phrasin construebant: *nec unquam permisit, sibi rempublicam irasci*. At hoc falsum; nam sensus erat: *nec unquam sibi permisit, ut reipublicæ irasceretur*.

7. *Tam perseverans..... fuit*, etc. A duodecim MSS. et ed. Mag. abest *fuit*, unde Torrenius legit et distinguit: *Tam perseverans in amore civium, quid? in bello gerendo nonne par ejus constantia?* quia Valerius more suo *non Fabium* perseverantem fuisse dicit in amore civium, *sed constantiam* ejus.

Digitized by Google

itaque frustrari et eludere Pœnorum impetus, quam manum cum his tota acie conserere melius ratus, pluribus comminationibus Hannibalis irritatus, sæpe etiam spe bene gerendæ rei oblata[1], nunquam a consilii salubritate, ne parvi quidem certaminis discrimine, recessit: quodque est difficillimum, ubique ira ac spe superior[2] apparuit. Ergo ut Scipio pugnando, ita hic non dimicando, maxime civitati nostræ succurrisse visus est[3]: alter enim celeritate sua Carthaginem oppressit; alter cunctatione id egit, ne Roma opprimi posset.

3. C. etiam Pisonem[4] mirifice et constanter turbulento reipublicæ statu egisse consulem, narratione insequenti patebit. M. Palicani[5] seditiosissimi hominis pestiferis blanditiis præreptus populi favor consularibus comitiis summum dedecus admittere conabatur, amplissimum ei imperium deferre cupiens, cujus teterrimis actis exquisitum potius supplicium, quam ullus honos debebatur; nec deerat consternatæ[6] multitudini furialis fax tribunitia, quæ

1. *Spe... oblata.* Codd. aliquot *specie*, quod Pighius maluit. Sed *spe* retinendum esse ipse auctor demonstrat, dum paulo post ipsum *ira ac spe* superiorem dicit, respiciens ad id, quod modo *ipsum irritatum comminationibus* Hannibalis, modo *spem ipsi oblatam* dixerat.

2. *Ira ac spe superior.* Superior *ira*, quod turpe habuit, ob illatas injurias civibus irasci; *spe*, quod Hannibalem cunctando potius, quam dimicando superavit contra spem omnium. Hinc Ennius: *Unus homo nobis cunctando restituit rem.*

3. *Visus est.* Sæpius *videri* pro *esse* apponitur, interdum pleonastice, præsertim apud Ciceronem.

4. *C. etiam Pisonem.* An. U. 686. Pompeius de Hispania, Sertorio victo, nuper redierat, et statim concionem habuerat de retribuenda plebi tribunitia potestate, Palicano tribuno pleb. legem ferente. Hunc Palicanum seditiosum fuisse constat, qui contra senatus auctoritatem effecit, ut voti compos plebs fieret. Cæsus est deinde ad viam Appiam cum aliis, qui prælium ibi commiserant pro recuperando filio, quem repetebat Tigranes. — *Consulem.* In nonnullis codd. *consulatum.* Sed non adeo totum consulatum mirifice constantem egit, quam tunc in eo casu consulem.

5. *M. Palicani.* Est is M. Lollius Palicanus, quem Cicer. *concionibus turbulentis aptissimum* dicit.

6. *Consternatæ.* Perturbatæ et quasi mente captæ.

Digitized by Google

temeritatem ejus et ruentem comitaretur, et languentem actionibus suis inflammaret. In hoc miserando pariter et erubescendo statu civitatis, tantum non[1] manibus tribunorum pro rostris Piso collocatus, quum hinc atque illinc eum ambissent, et *an Palicanum, suffragiis populi consulem creatum, renuntiaturus esset,* interrogaretur; primo respondit : *Non existimare se, tantis tenebris offusam esse rempublicam, ut huc indignitatis veniretur.* Deinde quum perseveranter instarent, ac dicerent : *Age, si ventum fuerit? Non renuntiabo,* inquit. Quo quidem tam abscisso[2] responso consulatum Palicano, prius quam illum adipisceretur, eripuit. Multa et terribilia Piso contempsit, dum speciosum mentis suæ flecti non vult rigorem.

4. Metellus autem Numidicus[3], propter consimile perseverantiæ genus, excepit quoque indignam majestate ac moribus suis procellam : quum enim animadverteret quo tenderent Saturnini tribuni plebis funesti conatus[4], quantoque malo reipublicæ, nisi his occurreretur, erupturi essent; in exsilium, quam in legem ejus, ire maluit[5]. Potest aliquis hoc viro dici constantior? qui, ne sententia sua pelleretur, patria, in qua summum dignitatis gradum obtinebat, carere sustinuit.

5. Cæterum ut neminem ei prætulerim, ita Qu. Scævolam augurem[6] merito comparaverim. Dispulsis[7] prostratisque inimicorum partibus, Sulla occupata urbe senatum armatus coegerat, ac summa cupiditate ferebatur, ut C. Marius quam celerrime hostis judicaretur. Cujus

1. *Tantum non.* Ferme, vel quasi.

2. *Abscisso.* Conciso, brevi.

3. *Metellus autem Numidicus.* An. U. 653. Liv. LXIX; Cic. pro Balb.

4. *Saturnini.... conatus.* Nam legem agrariam per vim tulerat.

5. *Ire maluit.* Metellus qui de Jugurtha triumpharat, in voluntarium exsilium Rhodum profectus est, ibique legendo et audiendo magnos viros advocabat. Vid. Flor. III, 16.

6. *Scævolam augurem.* An. U. 665.

7. *Dispulsis.* Male Pighius *depulsis. Dispulsis* est disjectis, dissipatis.

Digitized by Google

voluntati nullo obviam ire audente, solus Scævola interrogatus de hac re, sententiam dicere noluit. Quin etiam truculentius sibi minitanti Sullæ, « Licet, inquit, mihi agmina militum, quibus Curiam circumsedisti, ostentes; licet mortem identidem miniteris : nunquam tamen efficies, ut propter exiguum senilemque sanguinem meum, Marium, a quo Urbs et Italia conservata est[1], hostem judicem. »

6. Quid feminæ cum concione[2]? si patrius mos servetur, nihil; sed ubi domestica quies seditionum agitata fluctibus est, priscæ consuetudinis auctoritas[3] convellitur: plusque valet quod violentia cogit, quam quod suadet et præcipit verecundia. Itaque te, Sempronia[4], Tib. et C. Gracchorum soror, uxor Scipionis Æmiliani, non ut absurde gravissimis virorum operibus inserens, maligna relatione comprehendam; sed quia a tribuno plebis producta ad populum, in maxima confusione nihil a tuorum amplitudine degenerasti, honorata memoria prosequar. Coacta es eo loci consistere, ubi principum civitatis perturbari frons solebat. Instabat tibi torvo vultu minas profundens amplissima potestas[5]: clamor imperitæ multitudinis obstrepebat : totum forum acerrimo studio nitebatur, ut Equitio[6], cui Semproniæ gentis falsum jus quærebatur, tamquam filio Tiberii fratris tui, osculum

1. *A quo..... est.* Quia Teutones, Cimbros et Gallos devicerat.

2. *Quid..... concione.* Mulieres comitiis foroque caruisse, satis est notum. Nec adeo arrogare filios poterant. Vid. Gell. V, 19.

3. *Priscæ consuetudinis auctoritas.* Immo auctoritas ipsarum legum, quæ in seditionibus violatæ sunt.

4. *Sempronia.* An. U. 652. L. Apuleius, tribunus plebis, subornaverat Equitium quemdam ignobilem, utpote libertinæ sortis hominem, ut se filium Tib. Gracchi diceret. *Sempronia* ut rem hancce falsam testaretur, in forum adducta nulla vi impelli potuit, ut dedecus familiæ suæ agnosceret. — *Maligna.* Detrectoria.

5. *Amplissima potestas.* Tribun.

6. *Equitio.* Vid. sup. III, 2, 18, et infra, IX, 15, 1. — *Osculum.* Quo dato eum fratris Tiberii filium agnosceret.

Digitized by Google

dares. Tu tamen illum, nescio quibus tenebris protractum[1] portentum, exsecrabili audacia ad usurpandam alienam propinquitatem tendentem, repulisti.

7. Non indignabuntur Urbis nostræ lumina, si inter eorum eximium fulgorem, centurionum quoque virtus spectandam se obtulerit. Nam ut humilitas amplitudinem venerari debet, ita nobilitate[2] fovenda magis, quam spernenda bonæ indolis novitas est. An abigi debet T.[3] Pontius ab horum exemplorum contextu? qui pro Cæsaris partibus excubans, Scipionis præsidio interceptus, quum uno modo salus ab eo daretur, si se futurum Cn. Pompeii, generi ipsius, militem affirmasset[4], ita respondere non dubitavit: *Tibi quidem, Scipio, gratias ago: sed mihi uti ista conditione vitæ non est opus.* Sine ullis imaginibus nobilem animum!

8. Idem constantiæ propositum sequutus C. Mevius[5] centurio divi Augusti, quum Antoniano bello sæpenumero excellentes pugnas edidisset, improvisis hostium insidiis circumventus, et ad Antonium Alexandriam perductus,

1. *Tenebris protractum.* E Firmo Piceno, et obscuris parentibus procreatum.

2. *Nobilitate.* Id est, a nobilitate. Nam participia in *dus* aliquando sic construuntur, ut Perizon. ad Sanctii Minerv. docet. Alii *nobilitati;* at nostram lectionem fovent plurimi codd. MSS. et edd.

3. *T. Pontius.* An. U. 707. Cf. Hirtius de Bello Afric. c. 45.

4. *Qui pro ..... affirmasset.* Discrepat h. l. Valerius a Cæsare. Nam mortuo Pompeio hoc factum esse, ex ipsius commentariis colligitur, nisi forte alter centurio alio tempore Scipionis præsidio interceptus ad eum fuerit deductus, quod nusquam me legere memini: nam quod nonnulli dicunt, hoc contigisse apud Haliacmonem fluvium, qui Macedoniam dividit a Thessalia, quum Scipio ad Pompeium properaret, et ut expeditius iter faceret, M. Favonium cum octo cohortibus ad Haliacmonem in præsidio collocasset, et quod Pontius oppressus subito adventu Scipionis fuerit interceptus, totum falsum, teste ipso Cæsare, qui ostendit, nullum ibi fuisse Pontium, sed Cassium, non interceptum, sed adventu Domitii liberatum: quare centurionem, de quo agit Hirtius, Pontium nominatum fuisse crediderim.

5. *C. Mevius.* An. U. 723. — *Antoniano.* Civili. — *Alexandriam.* Ubi cum Cleopatra vitam in luxu egit.

Digitized by Google

interrogatusque, quidnam de eo statui deberet: « Jugulari me, inquit, jube; quia nec salutis beneficio, neque mortis supplicio adduci possum, ut aut Cæsaris miles esse desinam, aut tuus esse incipiam. » Cæterum quo constantius vitam contempsit, eo facilius impetravit; Antonius enim virtuti ejus incolumitatem tribuit[1].

DE CONSTANTIA EXTERNORUM.

1. Complura hujusce notæ romana exempla superant; sed satietas modo vitanda est; itaque stilum meum ad externa jam delabi[2] permittam. Quorum principatum teneat Blassius, cujus constantia nihil pertinacius; Salapiam[3] enim patriam suam, præsidio punico occupatam, Romanis cupiens restituere, Dasium, acerrimo studio secum in administratione reipublicæ dissidentem, et alioquin animo

1. *Tribuit.* Observa non tam scriptorum quam omnium bonorum consuetudinem, favere illi parti, quæ quidvis agere ac pati parata est pro fide servanda. Sic divus Augustus laudavit Gallos, quod post victum Brutum statuam ejus non essent demoliti. Eodemque pertinent illa Balbi apud Ciceronem lib. IX ad Atticum epist. 9 : *De te et tua fide et pietate idem mehercule sentio quod tu : non posse tuam famam et officium sustinere, ut contra eum arma feras, a quo tantum te beneficium accepisse prædicas.* Ita hic quoque Mevius, « quo vitam constantius contempsit, eo facilius impetravit. » Quæ verba in animum revocant observationem Lipsii, Saturn. lib. II, cap. 22, in eos gladiatores odium populi inclinasse, qui submisissent arma et vitam rogassent. Seneca in lib. I de Ira : *Gladiatoribus populus irascitur, et tam inique, ut injuriam putet, quod non libenter pereant.* Illustrat etiam hunc ipsum locum quod Curtius scribit lib. VIII cap. 14 de Poro : *Plus monendo profecit, quam si precatus esset : quippe magnitudinem animi ejus interritam, ac ne fortuna quidem infractam, non misericordia modo sed etiam honore excipere dignatus est Alexander.* Eximie denique Seneca ad Helviam cap. 13 : *Qui adversus sævissimos casus sese extollit, et ea mala, quibus alii opprimuntur, evertit, ipsas miserias infularum loco habet.*

2. *Delabi.* Passim *dilabi*, id est vagari, ut infra V, 10, 3.

3. *Salapiam.* Salapia urbs Apuliæ Dauniorum, meretricio Hannibalis amore nota. Liv. XXVI; Plin. III, 2. An. U. 543. — *Alioquin.* Hanc vocem, a Pighio perperam ejectam, bene restituit Torrenius, adstipulantibus libris scriptis et editis. Dasius non solum in administratione

Digitized by Google

toto Hannibalis amicitiæ vacantem, sine quo propositum consilium peragi non poterat, ad idem opus aggrediendum majore cupiditate, quam spe certiore, tentare ausus est; qui protinus sermonem ejus, adjectis quæ et ipsum commendatiorem, et inimicum invisiorem factura videbantur, Hannibali retulit; a quo adesse jussi sunt, ut alter crimen probaret; alter defenderet [1]: cæterum pro tribunali quum res gereretur, et quæstioni illi omnium oculi essent intenti, dum aliud forte citerioris [2] curæ negotium tractatur, Blassius, vultu dissimulante, et voce submissa, monere Dasium cœpit, *ut Romanorum potius quam Carthaginiensium partes foveret;* enimvero tunc ille proclamat, *se in conspectu ducis adversus eum sollicitari:* quod quia et incredibile existimabatur, et ad unius tantum aures penetraverat, et jactabatur ab inimico, veritas fide caruit; sed non ita multo post Blassii mira constantia Dasium ad se traxit, Marcelloque Salapiam, et quingentos Numidas, qui in ea custodiæ causa erant, tradidit [3].

2. Phocion [4] vero, quum Athenienses rem aliter atque

reipublicæ acerrimo studio a Blassio dissidebat, verum etiam præter hoc ex animo favebat Hannibali.

1. *Defend...* Defendere crimen dicitur, qui propulsat et a se amolitur.

2. *Citerioris.* Aldus cum paucis *certioris*, unde Pighius *citioris.* Sed plurimi *citerioris*, id est prioris. Sic VI, 3, 11; VIII, 7, ext. 10; VIII, 15, 1.

3. *Salapiam.... tradidit.* Non sine multa cæde tradi potuit, quia longe fortissimi equitum ex toto punico exercitu illi D erant. Itaque quamquam improvisa res fuit, nec usus equorum in urbe, tamen armis inter tumultum captis, et eruptionem tentaverunt, et quum evadere nequirent, pugnantes ad ultimum occubuerunt, nec plus quam L ex his in potestatem Romanorum vivi venerunt. Plus aliquanto damni hæc ala equitum amissa Hannibali, quam Salapia fuit, nec deinde unquam Pœnus, quo longe plurimum valuerat, superior equitatu fuit.

4. *Phocion.* Ejus vitam lege a Plutarcho et Nepote descriptam. Quum Derculus quidam admoneret Athenienses, ut caverent ab insidiis Nicanoris, præfecti Cassandri, quod occulte bellum pararet, Piræumque portum ne interciperet, periculum esset: *Phocion*, populo audiente, magna voce dixit, nullum instare periculum, et nihil prorsus timendum esse, et magis Cassandri amicitiam petendi, quam

Digitized by Google

ipse suaserat, prospere administrassent, adeo perseverans sententiæ suæ propugnator exstitit, ut in concione *lætari quidem se successu eorum, sed consilium tamen suum aliquanto melius fuisse* diceret. Non enim damnavit, quod recte viderat, quia quod alius male consuluerat, bene cesserat; felicius illud existimans, hoc sapientius. Blandum animum sane temeritati casus facit, ubi pravo consilio propitius adspirat; quoque vehementius noceat, insperatius prodest. Placidi et misericordes, et liberales, omnique suavitate temperati mores Phocionis : quos optime profecto consensus omnium *bonitatis* cognomine decorandos censuit: itaque constantia, quæ natura rigidior videbatur, lenis e mansueto pectore fluxit.

3. Socratis[1] autem virilitatis robore palliatus animus, aliquanto præfractius perseverantiæ exemplum edidit. Universa civitas Atheniensium iniquissimo ac truculentissimo errore instincta, de capite decem[2] prætorum, qui apud Arginusas Lacedæmoniam classem deleverant, tristem sententiam tulerat. Forte tunc ejus potestatis Socrates, cujus

bellum suscipiendi consilium dedit. Capto deinde Piræo, nec ad recuperandum armari, nec armatis præesse voluit. Nam optimatum factio, in qua et Phocion erat, cum Cassandro sentiebat, populares Polysperchonti favebant. Sed postquam, suscepto bello, pulsus est Cassander, Polysperchonte duce, Phocionis consilium minus probabile visum est. Tum Phocion in concione Atheniensium fortunæ gratulatus est, et de prospero eventu lætatus; at consilium suum tamen aliquanto sanius fuisse affirmavit. Qua in re et gravitas admirabilis et diuturna viri constantia fuit conspicua.

1. *Socratis.* Vid. Xenoph. Mem. IV. Plato in apol. Socr. Ælian. III, 17. — *Palliatus.* Cod. Schotti *vallatus*, quod Gudius et Torrenius præferunt.

2. *Decem.* Rectius octo, quoniam Conon et Leo non interfuerant isti prælio. Prætores illos Athenienses damnarunt, quod, victoria a Lacedæmoniis reportata, propter exortam tempestatem, quæ Atheniensium classem disjecerat, militum cæsorum corpora non sepelierant. — *Arginusas.* Arginusa insula exigua Lesbo adjacens inter Methymnam et Mytilenen. Vid. Plin. V, 31. Strabo XIII, tres numerat Arginusas, modico intervallo distantes.

Digitized by Google

arbitrio plebiscita ordinarentur, indignum judicans, tot et tam bene meritos ex indigna causa impetu invidiæ abripi, temeritati multitudinis constantiam suam objecit, maximoque concionis fragore et incitatissimis minis compulsus non est, ut se publicæ dementiæ auctorem adscriberet: quæ oppositu ejus legitima grassari via[1] prohibita, injusto prætorum cruore manus suas contaminare perseveravit; nec timuit Socrates, ne consternatæ patriæ undecimus[2] furor mors ipsius existeret.

4. Proximum[3], etsi non ejusdem splendoris est, tamen adeo certum constantiæ haberi potest experimentum, quum efficacis operæ forensis, tum fidei non latentis. Athenis Ephialtes accusare publice jussus, et inter cæteros Demostrati nomen deferre coactus est, cujus filius erat Demochares, excellentis formæ puer, animo ejus flagrantissimo inhærens amore; itaque communis officii sorte[4]

1. *Oppositu..... prohibita.* Fuit enim Socrates demarchus, cujus injussu plebiscitum fieri non poterat.

2. *Undecimus.* Ne post X prætorum supplicium ipse *undecimus* esset, qui opprimeretur.

3. *Proximum*, etc. Mos erat apud Athenienses, ut sorte traherentur qui mores hominum et vitæ rationem, quasi censores, indagarent, et quos non probarent, publice accusarent, quum vitæ rationem reddere non possent. — *Non latentis.* Quia Ephialtes in foro fecit, quod debuit. Multi codd. MSS. et edd. omittunt voculas *quum*, *tum*, ac pro *tamen adeo*, quod præcedit, habent *adeoque*, deleto *tamen*, quod voci *efficacis* præfigunt. Unde Torrenius conjicit, totam periodum ab auctore ita fuisse conceptam: *Proximum etsi non ejusdem splendoris, adeoque certum constantiæ haberi potest experimentum, est tamen efficacis operæ forensis, ac fidei non latentis.* Nempe non est *ejusdem splendoris*, quia in re magis obscura factum est; *non adeo certum*, quia Socrati cum toto populo res fuit, et mortis quoque metu a proposito adduci non potuit, quum huic Ephialtæ res fuerit cum puero, quem amabat, quemque insuper supplicem genibus suis advolutum intueri non sustinuit, sed flens et gemens precantem audivit, capite obvoluto; *tamen potest haberi experimentum efficacis operæ forensis*, dum reum damnavit, ex qua re *minime latet*, quam sincera *fide* illum accusaverit, atque adeo constantem fuisse illius animum contra vim atque ardorem amoris.

4. *Sorte.* Quia delatoris et accusatoris officium, quod in unumquemque cadere poterat, sorte in

Digitized by Google

truculentus accusator, privati affectus conditione miserabilis reus, puerum ad se exorandum, quo parcius patris criminibus insisteret, venientem neque repellere, neque supplicem genibus suis advolutum intueri sustinuit; sed operto capite flens et gemens, preces expromere passus est; nihiloque minus sincera fide accusatum Demostratum damnavit. Victoriam, nescio laude, an tormento majore partam[1]! quoniam prius, quam sontem opprimeret, se ipsum vicit Ephialtes.

5. Quem syracusanus Dion[2] diversitate exempli prægravat: qui, quibusdam monentibus, ut adversus Heraclidem et Callippum[3], quorum fidei plurimum credebat, tamquam insidias ei nectentes, cautior esset, respondit, *se vita malle excedere, quam metu violentæ mortis amicos inimicosque juxta ponere.*

eum ceciderat. — *Miserabilis reus.* Ipse Ephialtes, qui accusare debebat, sed potius accusari et reus esse videbatur.

1. *Partam.* Codd. aliquot *consequutus*, quod glossam sapit.

2. *Dion.* Vid. Plutarch. in vita Dionis, et Nepos. — *Diversitate.* Lipsius ait, librum veterem habere *severitate*, quæ scriptura ipsi placet, quia præcedens exemplum amatorium sit et tenerum, hoc serium et severum. Eamdem scripturam probat Torrenius, *diversitate* natum esse putans ex *Dion* et *severitate*, contracte scripto. — *Prægravat.* Superat. Vid. III, 7, ext. 6.

3. *Callippum.* Sic Plutarchus; sed Nepos in Dione *Callicratem* vocat. — *Nectentes.* Struentes. — *Se vita ..... ponere.* Post Heraclidæ mortem demum hoc dictum refert Plutarchus. Eoque magis admirandus est Dion, quod jam multæ in eum conjurationes deprehensæ fuerant. Nam Syracusani, a Dionysii tyrannide liberati, Dionis ut gravem et minime popularem aversabantur auctoritatem: ob licentiamque et ferociam ex victoria assumptam malebant se concionatorum coli obsequiis quam Dioni committere sese, qui instar medici prudentis in frugali victus ratione contineret civitatem. Et tamen, quum posset in victos confessosque adversarios animadvertere Dion, dicere solebat, cæteros duces plurimum ponere meditationis in armis et bello: se longo tempore in academia commentatum esse, iram invidiamque et æmulationem omnem vincere. Sapientiæ summum esse documentum, si injuriam inferentibus placabilis, et in peccantes sis lenis. In qua permanens sententia, ab eodem Callippo, homine effrenato et pæne demente, per insidias tandem interfectus est.

Digitized by Google

6. Quod sequitur[1], et rei ipsius admiratione, et claritate auctoris illustre. Alexander Macedonum rex inclyta jam pugna, excellentissimis opibus[2] Darii contusis, æstu et itineris fervore in Cilicia percalefactus, Cydno, qui aquæ liquore conspicuus Tarsum interfluit, corpus suum immersit. Subito deinde ex nimio haustu rigoris[3] obstupefactis nervis, ac torpore hebetatis artubus, maxima cum exanimatione totius exercitus, in oppidum castris propinquum defertur. Jacebat æger Tarsi, inque valetudine ejus adversa, instantis victoriæ spes fluctuabat[4]. Itaque convocati medici, attentissimo consilio salutis remedia circumspiciebant: qui quum ad unam potionem sententiam direxissent[5], atque eam Philippus medicus suis manibus temperatam Alexandro (erat autem ipsius amicus et comes) porrexisset, a Parmenione missæ literæ superveniunt, admonentes, ut rex insidias Philippi, perinde ac pecunia corrupti a Dario, caveret; quas quum legisset, sine ulla

1. *Quod sequitur*, etc. Vid. Curt. III; Arrian. II; Justin. XI; Seneca de Ira II, 23.

2. *Opibus*. Copiis, exercitibus, potentia — *Contusis*. Nonnulli *concussis*. Cf. IV, 1, ext. 4; IX, 8, init. — *Cydno*. Cydnus, aqua rapidissima et frigida, latitudine CC pedum, Tarsum secabat. Solinus adeo limpidum hunc fluvium esse testatur, ut quicquid candidum Syri Cydnum appelarint.

3. *Rigoris*. Non *rigore*, ut alii habent: non enim bibit aquam Alexander, sed immersus rigorem hausit corpore. — *Obstupefactis*. Contractis. Est enim *stupor*, quum præ admiratione, aut rei cujuspiam horrore, sensum aliquem amittimus animi vel corporis.

4. *Inque..... fluctuabat*. Id est, incerta agitabatur in adversa ejus valetudine; si enim eum mori contigisset, actum fuisset de victoria, quam, si statim sanari potuisset, jam fere in manibus habebat.

5. *Direxissent*. Torrenius conjicit *direxisset*, ut intelligatur Philippus, qui potionis illius suasor et temperator fuit. Frustra. Nam manifeste auctor adhuc loquitur de medicis convocatis, qui ex consilio inito sententiam ad certam quamdam potionem direxerant. — *Parmenione*. Et his litteris *Parmenio* regi suspectus factus esse videtur, quæ suspicio cruenta ejus morte terminata est. Maximus ducum macedonum fuit, qui multa sine Alexandro strenue, dum rex sine eo nihil magnæ rei gessit. Videndus est Curtius, libro VII.

Digitized by Google

cunctatione medicamentum hausit, ac tunc legendas Philippo tradidit. Pro quo tam constanti erga amicum judicio, dignissimam a Diis immortalibus mercedem recepit, qui incolumitatis ejus præsidium[1] falso interpellari indicio noluerunt.

1. *Præsidium.* Id est, Philippum. — *Indicio.* Scil. Parmenionis.

Digitized by Google

VALERII MAXIMI

FACTORUM DICTORUMQUE MEMORABILIUM

LIBER QUARTUS.

CAPUT I.

De moderatione quæ in Romanis.

1. P. Valerio Poplicola cos. — 2. M. Furio Camillo exsule. — 3. C. Marcio Rutilio cens. II. — 4. L. Quinctio Cincinnato cos. — 5. Q. Fabio Max. Rulliano. — 6. P. Africano majore. — 7. M. Cl. Marcello cos. IV. — 8. Ti. Sempronio Gracchо trib. pl. — 9. C. Claudio Nerone cos. — 10. P. Scipione AEmiliano cens. — 11. Q. Mucio Scævola. — 12. Q. Metello Macedonico. — 13. Q. Metello Numidico exsule. — 14. M. Catone Uticensi. — 15. M. Calpurnio Bibulo procos.

De moderatione quæ in Externis.

1. Archyta tarentino. — 2. Platone atheniensi. — 3. Dione syracusano. — 4. Thrasybulo atheniensi. — 5. Stasippo tegeate. — 6. Pittaco mitylenæo. — 7. Septem sapientibus. — 8. Theopompo Spartanorum rege. — 9. Antiocho rege Syriæ.

DE MODERATIONE QUÆ IN ROMANIS.

TRANSGREDIAR ad saluberrimam partem animi, moderationem[1], quæ mentes nostras impotentiæ et temeritatis incursu transversas ferri non patitur. Quo evenit, ut reprehensionis morsu sit vacua, et laudis quæstu opulen-

1. *Moderationem.* Egregia sane virtus, veræ sapientiæ indicium. Hanc Valerius ad honores remque publicam potissimum refert, uti ex appositis patet exemplis. Sed in omni vita animus ita moderandus, ita regenda vita, ne quis nimium sibi arroget, ne cupiditatibus et affectibus indulgeat, sed strictis habenis eos coerceat, ne unquam quid nimis, utque in omnibus modum teneat. Hæc quodammodo conti-

Digitized by Google

tissima. Itaque effectus suos in claris viris recognoscat.

1. Atque ut ab incunabulis[1] summi honoris incipiam, P. Valerius, qui populi majestatem venerando, *Poplicolæ* nomen assequutus est, quum, exactis regibus, imperii eorum vim universam, omniaque insignia sub titulo consulatus in se translata cerneret, invidiosum magistratus fastigium moderatione ad tolerabilem habitum deduxit, fasces[2] securibus vacuefaciendo, et in concione populo submittendo; numerum quoque eorum dimidia ex parte minuit[3], ultro Sp. Lucretio collega assumpto, ad quem, quia major natu erat, priores fasces[4] transferri jussit: legem etiam comitiis centuriatis[5] tulit, *ne quis magistratus civem romanum adversus provocationem verberare,*

nentiam, abstinentiam, temperantiam in se continet. Hoc loco autem strictiori sensu ea est virtus, quæ, arrogantiæ opposita, ita nos dirigit, ut modice aut moderate de nobis sentiamus, honoris gloriæque cupiditatem debitis limitibus contineamus, et procul ab invidia et obtrectatione remoti, aliis etiam suam laudem tribuamus. Oliverius moderationem vocat cupiditatum nostrarum quasi refrenatricem, quæ nostros solutius evagari non sinat affectus, sed tamquam cæterarum virtutum auriga, hominis animum ita componat, ut quicquid fecerit, aut dixerit, omnino reprehensione careat.

1. *Ab incunabulis.* A primis consulibus. An. U. 244. Liv. II; Dionys. V; Flor. I, 9.

2. *Fasces.* Ab Hetruscis cum aliis magistratuum insignibus ad Romanos transiere. Erant bacilli teretes in modum fascis colligati. Plinius, XVI, 18, *betulam arborem terribilem* ait *magistratuum virgis.* Valer. Poplic. in urbe secures a fascibus separavit. Liv. XXIV, 9.

3. *Numerum..... minuit.* Consulibus creatis quum initio fasces XXIV præferrentur, singulis puta XII, invidiosa ea res visa est, tamquam non sublatum regnum, sed duplicatum esset. Plebs enim non raro in externis hæret signis. Quam ob rem Valerius instituit, ut XII tantum fasces conspicerentur, et alternis mensibus apud utrumque consulem essent. Vid. Dio Cassius, V. Aul. Gell. II, 15. — *Sp. Lucretio.* Qui quum intra paucos dies diem obiisset, suffectus in ejus locum Horatius Puluillus est.

4. *Priores fasces.* Fasces *prior* sumebat *major natu.* Gell. II, 15. Postea lege Julia ille, *qui plures liberos habebat*, aut *qui primus renuntiatus erat.* Sueton. Jul. c. 23; Liv. IX, 8. Pro *priores* haud male *priorem*, ut ad præcedens *quem* referatur, habent Perizon. Leid. sext. Ultraj. uterque et ed. Mog.

5. *Comitiis centuriatis.* De comi-

Digitized by Google

aut necare vellet. Ita, quo civitatis conditio liberior esset, imperium suum paulatim destruxit. Quid, quod ædes suas diruit, quia excelsiore loco positæ, instar arcis habere videbantur, nonne quantum domo inferior, tantum gloria superior evasit?

2. Vix juvat abire a Poplicola; sed venire ad Furium Camillum[1] libet, cujus tam moderatus ex magna ignominia ad summum imperium transitus fuit, ut, quum præsidium ejus cives capta a Gallis urbe Ardeæ[2] exsulantis petiissent, non prius Veios ad accipiendum exercitum iret, quam de dictatura sua omnia solenni jure acta comperisset. Magnificus Camilli veientanus triumphus, egregia gallica victoria; sed ista cunctatio longe admirabilior. Multo enim multoque[3] se ipsum quam hostem superare operosius est, nec adversa præpropera festinatione fugientem, nec secunda effuso gaudio apprehendentem.

tiis vid. A. Gell. XV, 27; Dionys. Hal. Ant. Rom. IX. *Tributa* et *curiata* erant popularia; magis tamen tributa, quia sine auspiciis fiebant, neque SCto opus erat, antequam ad populum promulgarentur, quod secus in curiatis. *Centuriata* erant oligarchica vel potius aristocratica, ubi singulæ centuriæ singula suffragia conficiebant. In qua classe ergo plures centuriæ, plura ibi quoque suffragia reperiebantur. Ac proinde major vis in prima classe, quæ cæteris classibus una centuria antecessit. — *Provocationem.* Si civis romanus provocasset ad populum et populus eum dimitti vellet. Nulla in re Valerius videri voluit, ac si nimiam sibi vindicaret potentiam, sed potius libertatem et potentiam plebis auxit.

1. *Furium Camillum.* An. U. 363. Liv. V, 46. Camillus captis Veiis militum animos a se alienavit, qui virtutem viri rigidam simul stupebant et oderant. In exsilium ire coactus, sed capta a Gallis urbe absens dictator creatus, ignominiam suam minime ulciscens, liberavit Romam.

2. *Ardeæ.* Rutulorum olim regia. — *Veios.* Veiis Romani exercitum etiamtum incolumem habebant. — *Solenni jure.* Debitis suffragiis more majorum.

3. *Multo enim multoque.* Duplicatio ejusdem vocis in pluribus linguis antiquis occurrens majorem vim vocibus addit. Ut: multo multoque, sic: iterum iterumque, magis magisque, longe longeque. Vid. Ciceronem de Fin. II, 68. — *Præpropera*, etc. Sic plurimi codd. MSS. et sic emendaverat Pighius, quum

Digitized by Google

3. Par Furio moderatione Marcius Rutilius Censorinus[1]. Iterum enim censor creatus, ad concionem populum vocatum quam potuit gravissima oratione corripuit, quod eam potestatem bis sibi detulisset, cujus majores, quia nimis magna videretur, tempus coarctandum[2] judicassent. Uterque recte, et Censorinus, et populus; alter enim ut moderate honores crederent, præcepit: alter se moderato credidit.

4. Age, L. Quinctius Cincinnatus[3] qualem consulem gessit? quum honorem ejus patres conscripti continuare vellent, non solum propter illius egregia opera, sed etiam quod populus eosdem tribunos in proximum annum creare conabatur, quorum neutrum jure fieri poterat; utrumque discussit, senatus simul studium inhibendo, et tribunos verecundiæ suæ[4] exemplum sequi cogendo. Ita unus[5] causa fuit, ut amplissimus ordo, populusque tutus esset ab injusti facti reprehensione.

5. Fabius vero Maximus[6] quum a se quinquies, et a patre, avo, proavo, majoribusque suis sæpenumero consulatum

vulgo ederetur *propera*. Cæterum non est, quod offendat quemquam orationis series : *superare.... fugientem..... apprehendentem ;* nam sic sæpe Latini.

1. *Marcius Rutilius Censorinus*. Sicut Camillus dictaturam, nisi solenni jure demandatam, accipere non sustinuit, ita hic continuare censuram omnino recusavit. An. U. 488. *Censorinus* a *censuræ* rigore dictus est, sicut Cato.

2. *Tempus coarctandum*. Censura primo quinquennis fuit per lustrum, deinde facta est XVIII mensium, postremo ad semestre spatium contracta. Vid. Liv. IV, 24; IX, 33. An. U. 319.

3. *Cincinnatus*. An. U. 293. Liv. III, 21; Quinctius Cinc., quum Romanorum consul ab Æquis ad Algidum obsideretur cum exercitu, dictator creatus, cæsis hostibus triumphavit, dictaturam decimo sexto die deposuit et ad agellum suum rediit. Nam a filio suo, grandi pecunia damnato, ad inopiam erat redactus.

4. *Verecundiæ suæ*. Quia, quum sprevisset consulatum, pudore quodam deterriti sunt tribuni pl. a continuatione magistratus.

5. *Unus*. Quinctius Cincinnatus opponitur senatui populoque romano.

6. *Fabius vero Maximus*. An. U. 461. *Fabius Gurges* genuit *Fabium Rullianum*, qui genuit alterum *Gur-*

Digitized by Google

gestum animadverteret, comitiis, quibus filius ejus summo consensu consul creabatur, quam potuit constanter cum populo egit, *ut vacationem aliquando hujus honoris Fabiæ genti darent:* non quod filii virtutibus diffideret (erat enim illustris), sed ne maximum imperium in una familia continuaretur. Quid hac moderatione valentius, aut efficacius, quæ etiam patrios affectus, qui potentissimi habentur, superavit?

6. Non defuit majoribus grata mens ad præmia superiori Africano exsolvenda[1]: siquidem maxima ejus merita paribus ornamentis decorare conati sunt. Voluerunt illi statuas[2] in comitio, in rostris, in curia, in ipsa denique Jovis opt. max. cella ponere: voluerunt imaginem ejus triumphali ornatu indutam capitolinis pulvinaribus applicare[3]: voluerunt ei continuum per omnes vitæ annos consulatum, perpetuamque dictaturam tribuere. Quorum nihil sibi[4] neque plebiscito dari, neque senatusconsulto decerni

gitem, ex quo natus est *Fabius Maximus*. — *Ejus*. Edd. vett. habent *suus*, sed contra codd. MSS., qui satis constanter *ejus* servant. — *Vacationem*. Hæc proprie est militum, sed dicitur quoque de his, qui magnis onerosisque honoribus funguntur. Maximis laboribus sæpius impliciti erant consules, qui bene administrare rempublicam cupiebant. Hinc ab hoc munere *vacare*, optare poterant tamquam beneficium. At quum fastus et imperitandi cupido mentes invaderent, nullum fere modum turpem habuere, quo ad hanc dignitatem pervenirent.

1. *Præmia.... exsolvenda*. An. U. 552. Livius, XXXVIII, 56. Infra VIII, 15. Inter præmia fuit etiam florum honos, ut huic uni flores spargerentur. Vid. Plin. XXI, 3.

2. *Statuas*. Statuæ viris egregie meritis jam apud Græcos erigi solebant. Vid. Nepos, I, 6. — *In comitio, in rostris*. In *comitio*, ubi conveniebant ad magistratus eligendos; in *rostris*, ubi publica edicta fiebant. — *Jovis ..... cella*. Sacello in Capitolio. De Scipionis matre fabula percrebuit, illi visum immensæ magnitudinis anguem cum ea concumbere, ex quo conceperit Scipionem. Nec difficile erat, animo similibus fabellis repleto, ejusmodi prodigia *somniare*. Sed hanc famam deinde Scipio ipse rebus præclarissime gestis auxit. Et quum viro indies major accresceret auctoritas plebisque obsequium, se διογενῆ haberi passus est, licet externam pompam recusaret.

3. *Voluerunt.... applicare*. Divino eum honore affecturi.

4. *Nihil sibi*. Passim *sibi nullum*,

Digitized by Google

patiendo, pæne tantum in recusandis honoribus se gessit, quantum gesserat in emerendis.

Eodem robore mentis causam Hannibalis in senatu protexit, quum eum cives sui missis legatis tamquam seditiones apud eos moventem accusarent[1]. Adjecit quoque, *non oportere patres conscriptos se reipublicæ Carthaginiensium interponere*[2]: altissimaque moderatione alterius saluti consuluit, alterius dignitati; victoria tenus utriusque hostem egisse contentus.

7. At M. Marcellus[3], qui primus et Hannibalem vinci, et Syracusas capi posse docuit, quum in consulatu ejus Siculi de eo questum in urbem venissent, nec senatum ulla de re habuit, quia collega Valerius Lævinus forte aberat; ne ob id Siculi in querendo timidiores essent: et ut is rediit, ultro de his admittendis retulit, querentesque de se patienter sustinuit. Jussos etiam a Lævino discedere, remanere, ut suæ defensioni interessent, coegit. Ac deinde utraque parte perorata[4], etiam excedentes curia subsequu-

nempe *honorem*. Torren. edidit *nihil sibi*, præeuntibus MSS. compluribus.

1. *Eodem..... accusarent*. An. U. 558. Livius, XXXIII, 47. Pro: *cives sui missis legatis*, in codice Ultraject. prim. et Rem. est: *cives summissis legatis*, id est *clam missis*, quod fortasse præferendum. Neque enim missi erant publice legati a Carthaginiensibus ad Hannibalem accusandum, sed hic ab adversæ factionis hominibus insimulabatur, literas et legatos misisse ad Antiochum, ut sic Romani in illum stimularentur. Liv. XXXIII, 45.

2. *Non ..... interponere*. Quia parum ex populi rom. dignitate esse duxit, subscribere odiis accusationibusque in Hannibalem.

3. *M. Marcellus*. An. U. 543. Vid. Liv. XXVI, 26, 29, 30. — *Vinci*. Apud Nolam. — *Syracusas capi*. Cujus difficillima ac prope incredibilis fuit expugnatio: quippe quum urbs ipsa situ et natura soli validissima, munitionibus quoque firmissimis undique cincta esset; accessit, quod in ea Archimedes mirabilis bellicorum tormentorum inventor erat, quibus, quæ hostes ingenti mole agerent, ipse perlevi momento ludificaretur. Attamen vicit tandem pertinax Marcelli labor atque virtus. — *Aberat*. In Macedonia adversus Philippum.

4. *Utreque parte perorata*. Parum refert, sive cum Gudio explices: *quum utraque pars perorasset*, sive cum Torrenio: *causa utriusque par-*

Digitized by Google

tus est, quo liberius senatus sententiam ferret. Improbatis quoque eorum querelis, supplices et orantes, *ut ab eo in clientelam*[1] *reciperentur*, clementer excepit. Super hæc Siciliam sortitus, eam provinciam collegæ cessit. Toties laudatio Marcelli variari potest[2], quoties novis ipse gradibus moderationis adversus socios usus est.

8. Quam Ti. etiam Gracchus[3] admirabilem se exhibuit! Tribunus enim plebis, quum ex professo inimicitias cum Africano, et Asiatico, Scipionibus gereret, et Asiaticus judicatæ pecuniæ[4] satisdare non posset, atque ideo a consule in vincula publica duci jussus esset, appellassetque collegium tribunorum; nullo volente intercedere, secessit a collegis, decretumque composuit. Nec quisquam dubitavit, quin eo scribendo irati[5] hostis adversus Asiaticum verbis usurus esset. At is primum juravit, *se cum Scipionibus in gratiam non rediisse;* deinde tale decretum recitavit : « Quum L. Cornelius Scipio die triumphi sui ante currum actos hostium duces in carcerem conjecerit, indignum et alienum a majestate populi rom. videri, eodem ipsum duci[6]. Itaque id non se fieri passurum. » Libenter

tis perorata. — *Subsequutus est.* Quum consul manere posset.

1. *In clientelam.* Tunc temporis urbium expugnatores earum postmodum patroni dicebantur et erant: æquum enim, ut, qui vulnera intulisset, eadem sanaret.

2. *Variari potest.* MSS. octo cum vetustissimis edd. *variari non potest;* quod Modius probavit et Torren. *plus dicere* ait, quam si particula negativa absit. Addit tamen idem, commode exponi posse, toties Marcellum novum et proprium laudis genus meritum esse, quoties novo usus sit moderationis gradu.

3. *Ti. etiam Gracchus.* An. U. 566. Liv. XXXVIII, 50; Gellius, VII, 19.

4. *Judicatæ pecuniæ.* Judicata pecunia est, quæ reo cuipiam est solvenda. Vocatur etiam *lis æstimata.* Unde dicunt litem æstimatam solvere. — *Satisdare.* Id est, datis fidejussoribus polliceri, debitum solutum iri. — *A consule.* Non a consule, sed a prætore Terentio id factum, prodidit Livius. — *Appellassetque.* Opem implorasset.

5. *Quin eo scribendo irati*, etc. Codd. duo *quin in eo scribendo*, quod fortasse præferendum. Pro *irati* quidam *iracundis*, scilicet verbis.

6. *Quum..... duci.* Quum L. Sci-

Digitized by Google

tunc opinionem suam populus rom. a Graccho deceptam cognovit, moderationemque ejus debita laude prosequutus est.

9. C. quoque Claudius Nero[1] inter cætera præcipuæ moderationis exempla numerandus est. Livii Salinatoris in Hasdrubale opprimendo gloriæ particeps fuerat: attamen eum triumphantem equo sequi, quam triumpho, quem ei senatus æque decreverat, uti maluit; quia res in provincia Salinatoris gesta fuerat[2]. Sine curru ergo triumphavit, eo quidem clarius, quod illius victoria tantummodo laudabatur, hujus etiam moderatio.

10. Ne Africanus quidem posterior[3] nos de se tacere patitur: qui censor, quum lustrum conderet[4], inque solito fieri sacrificio scriba ex publicis tabulis solenne ei præcationis carmen præiret, quo dii immortales, ut populi romani res meliores amplioresque facerent, rogabantur:

pio duces hostium in carcerem conjecerit, indignum videri, eumdem illum in carcerem duci. *Decretum* ipsum legimus in Gellio, l. c.

1. *Nero.* An. U. 546. Livius, XXVIII, 9. Nero et Livius Hasdrubalem in Gallia cisalpina haud procul a Placentia vicerant.

2. *Quia..... fuerat.* Addit Livius aliam causam : « quoniam eo die, quo pugnatum foret, ejus forte auspicium fuisset, exercitus Livianus deductus Romam venisset, Neronis de provincia deduci non potuisset. »

3. *Ne Africanus quidem posterior*, etc. An. U. 611.

4. *Lustrum conderet.* Censorum erat inter alia *censum facere* et *lustrum condere.* Censum facere erat, romanorum civium capita describere et in classes pro cujusvis opibus conjicere. Condere lustrum erat, quinto quoque anno civitatem quibusdam lustralibus, id est, piacularibus sacrificiis purgare. *Lustrum* etiam dicebatur totius exercitus purgatio, quum omnes numerabantur, et qui ad arma ferenda non erant idonei, sicut senes, eximebantur, juniores educebantur. Et tunc *condere* lustrum significat, lustrum *finire.* — *Solito fieri.* Id est, modico apparatu. Sacrificium, *suovetaurilia* seu *solitaurilia* dictum, omnium lustrationum proprium fuit, ac præcipue lustrationis censoriæ, ubi suem, ovem, taurum immolarunt. Nonnulli pro : *solito fieri*, maluerunt legere : *suovetaurili sacrificio.* — *Carmen.* Carmen, à carpendo, sæpius denotat formulam, de qua nihil licebat immutare, sicut nec de reliquis verbis sacratis. Unde dicebant *verbis præire*, item *voce præire.* Cf. Liv. VIII, 9; X, 28.

Digitized by Google

Satis, inquit, *bonæ ac magnæ sunt. Itaque precor, ut eas perpetuo incolumes servent.* Ac protinus in publicis tabulis ad hunc modum carmen emendare[1] jussit. Qua votorum verecundia deinceps censores in condendis lustris usi sunt. Prudenter enim sensit tunc incrementum romano imperio petendum fuisse, quum intra septimum lapidem triumphi quærebantur[2]: majorem autem totius terrarum orbis partem possidenti, ut avidum esset[3] quidquam ultra appetere, ita abunde felix, si nihil ex eo, quod obtinebat, amitteret. Neque alia ejus in censura moderatio pro tribunali apparuit[4]. Centurias recognoscens equitum[5], postquam C. Licinium Sacerdotem citatum processisse animadvertit, dixit «se scire illum verbis conceptis pejerasse. Proinde si quis eum accusare vellet, usurum testimonio suo.» Sed nullo ad id negotium accedente, «Traduc equum, inquit, Sacerdos, ac lucrifac[6] censoriam notam; ne ego in tua persona, et accusatoris, et testis, et judicis partes egisse videar.»

11. Quod animi temperamentum etiam in Q. Scævola, excellentissimo viro, adnotatum est. Testis namque in reum

1. *Emendare.* Sic Vorstius et Torrenius ediderunt, nulla in notis reddita ratione, quamvis vulgo legitur *emendari.* Kappius tamen præferendum censet *emendare*, ita ut *scribam* subintelligatur.

2. *Quum intra ..... quærebantur.* Quum fines imperii non extenderentur ultra septem M. passuum: nam lapidibus milliaria designabantur. A *milliario aureo* seu columna in foro romano ad ædem Saturni, ubi omnes per Italiam viæ conveniebant, numerabant lapides: inde dictum ad tertium, quartum, quintum, etc. lapidem. Vid. Plin. IV, 5.

3. *Esset.* In undecim codd. MSS. exstat *esse*, quod præferunt Gronovius et Perizonius. *Esset* a præcedente *ut* profectum videtur.

4. *Neque..... apparuit.* Vid. Cic. pro Cluent. 48.

5. *Centurias recognoscens equitum.* Dum recenseret equites, ut si deprehendisset vitium, equo reprobos privaret, vel alia nota censoria damnaret. — *Verbis conceptis.* Jurisjurandi verba sæpius scripto concepta recitabantur.

6. *Lucrifac.* In lucro pone, quod a censore propter ejus moderationem ignominia non sis affectus. Nam quum certo sciret, istum pejerasse, potuisset eum notasse ex suo unius testimonio, sed noluit.

Digitized by Google

productus, quum id respondisset, quod salutem periclitantis[1] magnopere læsurum videbatur, discedens adjecit, « ita sibi credi oportere, si et alii idem asseverassent : quoniam unius testimonio aliquem credere pessimi esset[2] exempli. Et religioni[3] igitur suæ debitam fidem, et communi utilitati salubre consilium reddidit.

12. Sentio quos cives, quæve facta eorum ac dicta quam angusto ambitu orationis amplectar. Sed quum magna et multa breviter dicenda sint de claritate excellentibus viris; sermo infinitis personis rebusque circumfusus, utrumque præstare non potest[4]. Itaque propositi quoque nostri ratio non laudanda sibi omnia, sed recordanda sumpsit. Quapropter bona cum venia duo Metelli, Macedonicus et Numidicus, maxima patriæ ornamenta, strictim se narrari patientur. Acerrime cum Scipione Africano[5] Macedonicus dissenserat, eorumque ab æmulatione virtutis profecta contentio, ad graves testatasque inimicitias progressa fuerat. Sed tamen quum interemptum[6] Scipionem conclamari audisset, in publicum se proripuit, mæstoque

1. *Periclitantis*. Rei, qui accusatus est. Periculum est interdum accusatio, judicium. Sic apud Nepotem in Epaminonda et alibi occurrit.

2. *Quoniam ... . exempli*. Vid. Senec. Controv. VII : « *Uni, etiam de minori scelere, non creditur*. Quod etiam antiquitus divina lege cautum, ut quævis causa duos vel tres testes postulet. Nonnulli codices MSS. exhibent *cedere*, quod Gronovio placet. Lipsius exinde conjicit *cædere*, id est perdere et affligere. Perizonius malit *cadere*.

3. *Et religioni*. Quia affirmavit, verum esse, quod dixerat. — *Et communi utilitati*. Ne quis unius testimonio periclitaretur.

4. *Sed quum ..... non potest*. Sic in magna lectionis varietate textum constituit Pighius. At plures codd. *de*, itemque *viris*, *sermo* omittunt, ac pro *non potest* nonnulli exhibent *non possum*, alii *nequeo*. Unde Kappius conjicit legendum : *sed quum magna et multa breviter dicenda sint; claritate excellentibus infinitis personis rebusque circumfusus, utrumque præstare nequeo*.

5. *Scipione Africano*. Minore Æmiliano. — *Testatasque*. Cicero vult, Scipionem inter et Metellum dissensionem tantum fuisse sine acerbitate.

6. *Interemptum Scipionem*. An. U. 624. Constat, Scipionem celeriter mortuum; quo autem mortis ge-

Digitized by Google

vultu et voce confusa, « Concurrite, concurrite, inquit, cives : mœnia urbis nostræ eversa sunt. Scipioni enim Africano intra suos penates quiescenti nefaria vis illata est. » O rempublicam pariter Africani morte miseram, et Macedonici tam humana tamque civili lamentatione felicem! eodem enim tempore, et quantum amisisset principem, et qualem haberet, recognovit. Idem filios suos[1] monuit, ut funebri ejus lecto humeros subjicerent, atque huic exsequiarum, illum honorem vocis adjecit, *Non fore, ut postea id officium ab illis viro majori præstari posset.* Ubi illa tot in curia jurgia? ubi tam multæ pro rostris altercationes? ubi maximorum ducum et civium tantorum[2] togata prælia? Omnia nimirum ista præcipua veneratione prosequenda delevit moderatio.

13. Numidicus autem Metellus[3] populari factione patria pulsus, in Asiam secessit. In qua quum ei forte ludos Trallibus[4] spectanti literæ redditæ essent, quibus scriptum erat, maximo senatus et populi consensu reditum illi in urbem datum, non e theatro prius abiit, quam spectaculum ederetur : non lætitiam suam proxime sedentibus ulla ex parte patefecit; sed summum gaudium intra se continuit. Eumdem constat pari vultu, et exsulem fuisse, et restitutum. Adeo moderationis beneficio, medius semper inter secundas et adversas res animi firmitate versatus est.

14. Tot familiis in uno genere laudis enumeratis, Por-

nere, dubitatur. Sunt, qui ejus uxorem Semproniam in suspicionem vocent. Hæc enim fuit soror C. Gracchi. Et Scipio, quum interrogaretur, quid de Gracchi morte sentiret ? respondit : jure cæsum videri. Alii Carbonem interfectorem suspicantur, cui adversatus erat Scipio in agris dividundis. Vide Plin. VII, 44.

1. *Filios.* Quos habuit quatuor.

2. *Tantorum.* Alii *tantum non*, quod Lipsio, Colero et Vorstio placet.

3. *Metellus.* An. U. 654. Liv. LXIX, Aurel. Vict. 62.

4. *Trallibus.* Tralles Asiæ civitas, ad Mæandrum flumen. De ludorum loco scriptores dissentiunt. Livius enim Rhodi, Aurelius Victor autem Smyrnæ Metellum exsulasse prodit.

Digitized by Google

cium nomen[1] velut expers hujusce gloriæ silentione prætereundum? Negat fieri debere posterior Cato[2], non parvo summæ moderationis fisus indicio. Cypriacam pecuniam maxima cum diligentia et sanctitate in urbem deportaverat[3]. Cujus ministerii gratia senatus relationem interponi jubebat, ut prætoriis comitiis extra ordinem ratio ejus haberetur. Sed ipse id fieri passus non est; *iniquum esse*, affirmans, *quod nulli alii tribueretur, sibi decerni.* Ac ne quid in persona sua novaretur, campestrem[4] experiri temeritatem, quam curiæ beneficio uti, satius esse duxit.

15. Ad externa jam mihi exempla transire conanti, M Bibulus[5], vir amplissimæ dignitatis, et summis honoribus functus, manus injicit. Qui quum in provincia Syria moraretur, duos egregiæ indolis filios suos a Gabinianis[6] militibus Ægypti, occisos esse cognovit. Quorum inter-

1. *Porcium nomen*, etc. An. U. 617. Dio Cass. 39. — *Silentione*, etc. Ita Pighius ex cod. Campensi. At omnes alii et scripti et editi libri : *silentio prætereundum se negat fieri debere posterior Cato.* Torrenius ait : forte excidit repetitum continuo verbum *negat*, ut auctor scripserit : *silentio prætereundum se negat* (scil. Porcium nomen). *Negat fieri*, etc.

2. *Posterior Cato.* Majoris nepos, idem qui perlecto Platonis Phædone, gladio incubuit Uticæ. Cæsar de B. C. III.

3. *Cypriacam ..... deportaverat.* Ptolemæus, rex Cypri, magnam vim pecuniæ coegerat. Lata autem a P. Clodio lege de rege ejiciendo, ac Cypro insula in provinciam redigenda missus fuit Cato, qui regiam pecuniam Romam deportaret. Metuit enim senatus, ne tantis opibus rex incitatus bellum suscitaret. Qui quidem Cato rem ita gessit, ut nulli repetundarum in se accusationi locum reliquerit, omnique crimine liber summa fide omnem pecuniam Romam deportarit. Sed libros, in quibus pecuniæ ratio continebatur, Cato amiserat. Quum autem populus rationem reposceret, senatus eam relationem interdici voluit; immo ut prætor a reddenda ratione levaretur, eum extra ordinem et non per solitos gradus prætorem creandum censuit.

4. *Campestrem.* Populi rom. qui in campo Martio suffragia ferebat.

5. *M. Bibulus.* An. U. 703. Cæsar de B. C. III, 4.

6. *Gabinianis.* Dicti sunt ita, quod Gabinius, quum Ptolemæum regem in regnum reduceret, eos apud regem in Ægypto reliquerat. Quæ de reducendo rege in senatu acta sint, uberius relata leges in Cic. epp. ad Lentulum. — *Ægy-*

Digitized by Google

fectores ad eum vinctos regina Cleopatra misit, ut gravissimæ cladis ultionem arbitrio suo exigeret. At ille oblato beneficio, quo nullum majus lugenti tribui potuerat, dolorem moderationi cedere coegit : carnificesque sanguinis sui intactos e vestigio ad Cleopatram[1] reduci jussit; dicendo, *potestatem hujus vindictæ non suam, sed senatus esse debere.*

DE MODERATIONE QUÆ IN EXTERNIS.

1. Tarentinus Archytas[2], dum se Pythagoræ præceptis Metaponti penitus immergit, magno labore longoque tempore solidum opus doctrinæ complexus, postquam in patriam revertitur[3], ac rura sua revisere cœpit, animadvertit negligentia villici corrupta et perdita : intuensque male meritum, *Sumpsissem*, inquit, *a te supplicium, nisi tibi iratus essem.* Maluit enim impunitum dimittere[4], quam propter iram gravius justo punire.

pti. Id est, in Ægypto. Regionum etiam, ut urbium, nomina interdum sine præpositione ponuntur.

1. *Cleopatram.* Pater hujus ille fuit Ptolemæus, quem Gabinius in regnum reduxerat, quique præter filium natu majorem hanc quoque filiam *Cleopatram* (quod nomen aliquamdiu filiarum regum commune fuisse videtur), heredem testamento fecerat. Regno autem expulsa a fratre bellum cum eo gessit, quum Pompeius a Cæsare victus in Ægyptum profugit, tandemque a Cæsare, eodem veniente in regnum, restituta est. Conf. Cæsar de Bello Civ. III, 103.

2. *Tarentinus Archytas.* Vid. Plut. de Pueror. educ. c. 23; Cic. Tusc. IV, 36. Fuit philosophus Pythagoricus nobilissimus. Admiratio ejus summa fuit apud plurimos ob eximiam virtutem. Septies civibus suis præfectus est. Vid. Horat. Carm. I, 28. — *Metaponti.* Metapontum Italiæ oppidum in finibus Tarentinis conditum a Locrensibus, teste Solino.

3. *Revertitur.* Alii *revertit;* quod haud spernendum, propter sequens *cœpit.* — *Ac rura.... perdita.* Archytam, præterquam quod disciplinis mathematicis aliisque operam dedit, etiam agriculturæ studiosum fuisse, apparet ex eo, quod Varro et Columella inter scriptores rei rusticæ et ipsum referunt.

4. *Sumpsissem.* Duo codd. fortasse rectius *sumerem.*

5. *Maluit..... dimittere.* Male quidem : poterat enim alio tempore eum punire, nec aliis negligentibus

Digitized by Google

2. Nimis liberalis Archytæ moderatio : Platonis temperatior. Nam quum adversus delictum servi vehementius exarsisset, veritus, ne ipse modum vindictæ dispicere non posset, Speusippo[1] amico castigationis arbitrium mandavit; deforme sibi futurum existimans, si commisisset, ut parem reprehensionem culpa servi, et animadversio Platonis mereretur. Quo minus miror, quod in Xenocrate discipulo suo tam constanter moderatus[2] fuit. Audierat, eum de se multa impie locutum : sine ulla cunctatione criminationem respuit. Instabat certo vultu[3] index, causam quærens cur sibi fides non haberetur : adjecit, *non esse credibile, ut quem tantopere amaret, ab eo invicem non diligeretur*. Postremo, quum ad jusjurandum inimicitias ferentis malignitas confugisset, ne de perjurio ejus disputaret, affirmavit, «nunquam Xenocratem illa dicturum fuisse, nisi ea dici expedire sibi judicasset.» Non in corpore mortali[4], sed in arce cælesti, et quidem armatum animum ejus, vitæ stationem putes peregisse, humanorum vitiorum

malum impunitatis exemplum præbere, ex qua major enascitur peccandi licentia. Vix igitur, quod fecit Archytas, laudanda moderatio dici potest.

1. *Speusippo*. Speusippus, a summis viris, Solone et Codro, ortum ducens, successit Platoni in academia, iisdem doctrinis, non autem moribus illum sequutus. Fuit enim luxuriæ deditus. Speusippum excepit Xenocrates, qui per XXV annos præfuit academiæ. Hic primum ingenio adeo obtusus, ut Plato eum cum asino, sicut Aristotelem cum equo, compararet; sed indefessa diligentia naturam emendavit. Vir probitate meritisque gravis fuit, et pravæ voluptatis severissimus castigator; nec non Alexandri munerum contemptor, quum e contrario Aristoteles vano quodam luxu et ingrato in Platonem animo aliquam improbitatem significaret. V. Ælianum, II, 19; IV, 9.

2. *Moderatus*. Absolute pro *sibi* aut *animo suo* moderatus.

3. *Certo vultu*. In quinque MSS. est *torvo vultu*, id est, irato, quod sibi fides non haberetur. Sed præstat *certo vultu*, id est, constanti neque confuso, qualis solet esse hominum mentientium sibique diffidentium, ut bene Perizonius explicat. *Incertus vultus* est paventium apud Sallust. Jugurth. c. CVI.

4. *In corpore mortali*. Passim *in corde*. Non male, quia cor quasi arx humana haberi potest. — *In arce cælesti*. Alludit ad Platonis sen-

Digitized by Google

incursus a se invicta pugna repellentem, cunctosque virtutis numeros altitudinis suæ sinu clausos custodientem.

3. Nequaquam Platoni[1] literarum commendatione par syracusanus Dion; sed quod ad præstandam moderationem attinet, vehementioris experimenti[2]. Patria[3] pulsus a Dionysio tyranno, Megaram petierat; ubi quum Theodorum, principem ejus urbis, domi convenire vellet, neque admitteretur, multum diuque antè fores retentus, comiti suo: « Patienter hoc ferendum est, ait. Forsitan enim et nos, quum in gradu dignitatis nostræ essemus, aliquid tale fecimus. » Qua tranquillitate consilii, ipse sibi conditionem exsilii placidiorem reddidit.

4. Thrasybulus[4] etiam hoc loci apprehendendus est: qui populum atheniensem, triginta tyrannorum sævitia sedes suas relinquere coactum, dispersamque et vagam vitam miserabiliter exigentem, animis pariter atque armis confirmatum, in patriam reduxit. Insignem deinde restitutione libertatis victoriam clariorem aliquanto moderationis laude fecit. Plebis enim scitum interposuit, ne qua præteritarum rerum mentio fieret. Hæc oblivio, quam Athenienses ἀμνηστίαν[5] vocant, concussum et labentem civitatis statum, in pristinum habitum revocavit.

tentiam, animas in cælo formatas, antequam in corpora demittantur. — *Incursus*. Vitiorum humanorum impetus. — *Cunctosque virtutis numeros*. Sicut dicimus: omnibus numeris absolutos, omnes numeros implere, quod a re palæstrica petitum videtur. Vid. Senec. de Benefic. VII, 1; Quintil. XII; Plin. Epp. I, ep. 12; Cic. de Fin. III, 7. — *Altitudinis ..... custodientem*. Nimis detortum, et affectata elegantia pro: præstantissimam virtutem sapientissimo probissimoque animo custodientem.

1. *Platoni*. Vid. Plut. in vit. ejus.

2. *Vehementioris experimenti*. Id est, multo majus specimen moderationis edidit Dion, quam Plato. Nonnulli codices habent *exempli*, quod glossam redolet.

3. *Patria*. Syracusis. — *Megaram*. Megara, urbs Achaiæ, in confinio Atticæ et Peloponnesi.

4. *Thrasybulus*. Vid. Cornel. in Thrasyb. et Justin. V. — *Apprehendendus est*. Scil. stilo; id est, scribendum de eo.

5. Ἀμνηστίαν. Quam magna cum laude repetivit singulari decreto

Digitized by Google

5. Non minoris admirationis illud : Stasippus tegeates[1], hortantibus amicis ut gravem in administratione reipublicæ æmulum, sed alioqui probum et ornatum virum, qualibet ratione vel tolleret, vel submoveret, negavit se facturum; ne, quem in tutela patriæ bonus civis locum obtineret, malus et improbus occuparet: seque potius vehementi[2] adversario urgeri, quam patriam egregio advocato carere præoptavit.

6. Pittaci[3] quoque moderatione pectus instructum, qui Alcæum poetam, et amaritudine odii, et viribus ingenii adversus se pertinacissime usum, tyrannidem a civibus delatam adeptus, tantummodo quid in opprimendo posset, admonuit.

7. Hujus viri mentio subjicit, ut de septem sapientium moderatione referam[4]. A piscatoribus in milesia regione verriculum[5] trahentibus, quidam jactum emerat. Extracta deinde magni ponderis aurea mensa delphica[6], orta con-

Aurelianus, teste Vopisco. — *Concussum*. Cf. supra, III, 8, ext. 6.

1. *Tegeates*. Tegea oppidum Arcadiæ, in quo Pan præcipuis honoribus cultus est, qui inde Tegeæus dicebatur.

2. *Vehementi*. Plurimi MSS. *vehementer*; at melius *vehementi*, quum *vehemens adversarius* et *egregius advocatus* opponantur.

3. *Pittaci*. Alcæus versu iambico eum lusit et appellavit latos pedes trahentem, tumescentem, pedum morbo laborantem, obtrectationibus patentem et sordidum. Vixit Crœsi ætate. E singulari certamine cum Phrynone, quum Atheniensibus et Mitylenæis de agro quodam possidendo esset contentio, Pittacus deportavit principatum. In illo certamine adversarium reti sub clypeo ante occultato sic implicuit, ut eum commode cædere posset. Unde posthæc *retiarii*. Tyrannidem quum per X annos tenuisset, patria optimis legibus constituta, sponte a magistratu se abdicavit. — *Tyrannidem a civibus delatam*. Tyrannis igitur h. l. pro justo principatu, qui alicui sponte a civibus defertur, sumitur.

4. *Ut..... referam*. Vid. Plut. in Solone; Diogen. Laert. in Thalete.

5. *Verriculum*. Genus plumbati retis, quod per alveum fluminis verritur seu trahitur. Cicero per jocum Verrem nominat *verriculum* seu *everriculum*: nam et is ejusmodi verborum lusus interdum amat, nulla dignos æmulatione. Vid. Quintil. VI, 7.

6. *Mensa delphica*. Tripodes erant

Digitized by Google

troversia est; illis piscium se capturam vendidisse affirmantibus, hoc fortunam jactus[1] se emisse dicente. Qua conditione propter novitatem rei, et magnitudinem pecuniæ[2], ad universum ejus civitatis populum delata, placuit Apollinem delphicum consuli, *cuinam adjudicari mensa deberet.* Deus respondit, *illi esse dandam, qui sapientia cæteros præstaret,* his verbis:

Ὃς σοφίῃ πάντων πρῶτος, τούτῳ τρίποδ' ἂν δῶ.

Tum Milesii consensu Thaleti[3] mensam dederunt. Ille cessit eam[4] Bianti, Bias Pittaco, is protinus alii, deinceps-que per omnium septem sapientium orbem ad ultimum ad Solonem pervenit: qui et titulum amplissimæ sapientiæ, et præmium ad ipsum Apollinem transtulit.

8. Atque ut[5] Theopompo quoque, Spartanorum regi, moderationis testimonium reddamus, quum primus instituisset, ut ephori Lacedæmone crearentur, ita futuri re-

in Apollinis templo, quibus admota Pythia, numine afflata, futura prædicere credebatur.

1. *Fortunam jactus.* Id est, quantum forte et quodcunque extraheretur.

2. *Magnitudinem pecuniæ.* Qua aurea illa mensa æstimata erat.

3. *Thaleti.* Qui scholæ Ionicæ auctor, primus VII sapientum habetur. Reliqui sunt: Bias prieneus, Pittacus de quo supra, Solon atheniensis, Chilo lacedæmonius, Cleobulus lydius, Periander corinthius. Eorum sapienter dicta refert Ausonius poeta.

4. *Cessit eam.* Dicitur utrumque, *cedere cui qua re* et *cedere cui quid.*

5. *Atque ut.* Lipsius conjicit *atquin*, quod Colerus in textum recepit. Sed tamen omnes alii: *atque ut.* Cf. IV, 3, ext. 1. — *Ephori.* Ephororum creationem Herodotus ad Lycurgum refert: sed plurium consensus Theopompo tribuit. Frænum hoc objectum regibus. Revera autem Theopompi tempore non tantam fuisse potestatem est verisimile, sicut neque apud Romanos tribunitia potestas statim tanta fuit, quanta postea. Quum ἐφορεία adolevisset, numero V, singulis annis creati, quorum unus ἐπώνυμος, quod nomine suo annum, sicut Romæ consules, signaret. Eligebantur in comitiis ex toto populo, sine discrimine generis aut opum, adeo ut etiam infimæ sæpe conditionis homines illa ornarentur dignitate. Tanta eorum erat auctoritas, ut vocantibus iis reges et omnes majores magistratus cederent. Præterea

Digitized by Google

giæ potestati oppositi, quemadmodum Romæ consulari imperio tribuni plebis sunt objecti; atque illi uxor dixisset, *id egisse illum, ut filiis minorem potestatem relinqueret : Relinquam*, inquit, *sed diuturniorem.* Optime quidem : ea enim demum tuta est potentia, quæ viribus suis modum imponit. Theopompus igitur legitimis regnum vinculis constringendo, quo longius a licentia retraxit, hoc propius ad benevolentiam civium admovit.

9. Antiochus[1] autem a L. Scipione ultra Taurum montem imperii finibus submotus, quum Asiam provinciam, vicinasque ei gentes amisisset, gratias agere populo romano non dissimulanter tulit, *quod nimis magna procuratione liberatus, modicis regni terminis uteretur.* Et sane nihil est tam præclarum, aut tam magnificum, quod non moderatione temperari desideret.

CAPUT II.

De reconciliatione[2].

1. M. AEmilii Lepidi et M. Fulvii Flacci censorum. — 2. M. Livii Salinatoris et C. Claudii Neronis consulum. — 3. P. Africani majoris et Ti. Sempronii Gracchi. — M. T. Ciceronis et A. Gabinii. — 5. P. Clodii Pulchri et L. Cornelii Lentuli. — 6. L. Caninii Galli, et C. Antonii. — 7. M. Cœlii Rufi, et Q. Pompeii.

Quæ quoniam multis et claris auctoribus illustrata est, transgrediamur ad egregium humani animi ab odio ad

administrabant domi fere omnia, quæ alicujus momenti in republica essent; bellum gerendi, pacem stabiliendi, ipsos reges in carcerem conjiciendi, ad mortem damnandi potestas penes illos erat. Unde Plato et Aristoteles scripsere, eam potestatem tyrannidis speciem præbere.

1. *Antiochus.* An. U. 564. Cic. pro Dejot. cap. 13. — *Finibus submotus.* Perizonius malit *finibus submotis.* — *Modicis.* Passim *modici* legitur; sed *modicis* est quoque apud Ciceronem, cujus ipsis verbis auctor utitur.

2. *De reconciliatione.* Multi codd. MSS. et edd. inscriptionem hujus capitis sic constituunt : *De iis, qui ex inimicis juncti sunt amicitia aut necessitudine.* Nisi quod nonnulli

Digitized by Google

gratiam deflexum[1]; et quidem eum læto stilo prosequamur. Nam si placidum mare ex aspero, cælumque ex nubilo serenum hilari adspectu sentitur; si bellum pacc mutatum, plurimum gaudii affert: offensarum etiam acerbitas deposita, candida[2] relatione celebranda est.

1. M. Æmilius Lepidus bis consul[3], et pontifex max. splendorique honorum par gravitate vitæ, diutinas ac vehementes inimicitias cum Fulvio Flacco ejusdem amplitudinis viro gessit. Quas, ut simul censores renuntiati sunt[4], in campo deposuit; existimans, non oportere eos privatis odiis dissidere, qui publice summa[5] juncti essent potestate. Id judicium animi ejus et præsens ætas comprobavit, et nobis veteres annalium scriptores laudandum tradiderunt.

2. Sicuti Livii quoque Salinatoris[6] finiendarum simultatum illustre consilium ignotum posteritati esse noluerunt. Is namque, etsi Neronis[7] odio ardens in exsilium profectus fuerat, testimonio ejus præcipue afflictus, tamen postquam eum inde revocatum cives collegam illi in consulatu dederunt, et ingenii sui, quod erat acerrimum, et injuriæ, quam gravissimam acceperat, oblivisci sibi imperavit: ne, si dissidente animo consortionem[8] imperii voluisset,

habent *ex inimicitiis*, et delent in initio *de iis*.

1. *Ab odio ad gratiam deflexum*. Ita Pighius e codd. MSS. edidit. Alii codices MSS. et editt. habent *affectum* in quibusdam codicibus est *effectum*, item *defluxum*. Melius *deflexum*, ut pote quod non adjectivum, sed substantivum est.

2. *Candida*. Livoris et tristitiæ experti.

3. *Bis consul*. An. U. 574. Liv. XL; Gell. XII, 8.

4. *Renuntiati sunt*. Nam in comitiis collectis per puncta suffragiis, qui numerandis punctis præerant, *nuntiabant* præconi eos, qui electi fuerant. Et præco electis *renuntiabat*, id est iterum nuntiabat. — *Campo*. Martio.

5. *Summa*. Nam censura pæne æqualem consulatui habuit potestatem.

6. *Sicuti... Salinatoris*. Vid. supr. IV, 1, 9. In multis codd. librariorum errore legitur *Sexti Livii*.

7. *Neronis*. Claudius Nero, de quo supra, IV, 1, 9.

8. *Consortionem*. Consortionem etiam Cicero habet: ideo non mu-

Digitized by Google

pertinacem exhibendo inimicum, malum consulem ageret. Quæ quidem mentis ad tranquilliorem habitum inclinatio, in aspero ac difficili temporum articulo[1] plurimum salutis urbi atque Italiæ attulit; quia pari virtutis impetu connisi, terribiles punicas vires[2] contuderunt.

3. Clarum etiam in Africano superiore[3] ac Ti. Graccho depositarum inimicitiarum exemplum. Siquidem ad cujus mensæ sacra[4] odio dissidentes venerant, ab ea amicitia et affinitate juncti discesserunt. Non contentus enim Scipio auctore senatu[5] in Capitolio, Jovis epulo cum Graccho concordiam communicasse, filiam quoque ei Corneliam protinus ibi despondit.

4. Sed hujusce[6] generis humanitas etiam in M. Cicerone præcipua apparuit. A. namque Gabinium[7] repetundarum reum summo studio defendit, qui eum in consulatu suo urbe expulerat. Idemque P. Vatinium[8] dignitati

tandum in *consortium*. — *Exhibendo*. Additur passim *se*; at pronomen commode potest abesse.

1. *In..... articulo*. Quo Hannibal Romam vexavit. An. U. 546. Vid. Liv. XXVII.

2. *Punicas vires*. Præsertim Hasdrubalis exercitum.

3. *In Africano superiore*, etc. An. U. 566. Liv. XXXVIII; Gell. XII, 8. — *Ti. Graccho*. Hic fuit Ti. et C. fratrum pater.

4. *Mensæ sacra*. Mos annuus et solennis erat Romæ, ut epulæ Jovis in Capitolio celebrarentur, quo principes convenientes discumbebant et epulabantur. — *Affinitate*. Affinitas est quælibet propinquitas e matrimoniis contracta.

5. *Auctore senatu*. Interveniente senatus auctoritate, qui eos, ut reconciliarentur, epulo simul interesse voluit.

6. *Sed hujusce*, etc. An. U. 699 et 97. Cic. ad Q. fratr. 2 et Epp. ad famil. I, 9; Dio Cass. XXXIX; Quint. VI, 5.

7. *Gabinium*. Gabinius ille, Catilinæ favens, consul fuerat, quum Cicero in exsilium iret. Qui nisi a partibus Clodii stetisset, hic mala sua consilia exsequi non potuisset. Deinde et proconsul Syriæ fuit. Gessit autem se apud Syros ita, ut illi plurimum de eo quererentur. Ipse quoque Cicero initio valde eum oppugnavit; sed inductus deinde fuit a Pompeio, ut non tantum ab eo accusando se abstineret, verum et caussam ejus ageret: id quod et vitio ipsi versum.

8. *P. Vatinium*. In hunc Vatinium antea dixerat Cicero, accusatum ambitus a Paullo, vel M. Licinio Crasso. Vid. Cic. epp. ad Atticum et Lentulum. Ad Atticum

Digitized by Google

suæ semper infestum, duobus publicis judiciis tutatus est, ut sine ullo crimine levitatis, ita cum aliqua laude : quia speciosius aliquanto injuriæ beneficiis vincuntur, quam mutui odii pertinacia pensantur.

5. Ciceronis autem factum adeo visum est probabile, ut imitari id ne inimicissimus quidem illi P. Clodius Pulcher[1] dubitaverit. Qui incesti crimine[2] a tribus Lentulis accusatus, unum ex his ambitus reum patrocinio suo protexit, atque in animum induxit, et judicem et prætorem, et Vestæ ædem intuens, amicum Lentulo agere : inter quæ[3] ille salutem ejus fœdo crimine obruere cupiens, hostili voce peroraverat.

6. Caninius autem Gallus[4] reum pariter atque accusatorem admirabilem egit, et C. Antonii, quem damnaverat, filiam in matrimonium ducendo, et M. Colonium,

sic ait: «Quin etiam Paullus noster productus testis in Sextium, confirmavit se nomen Vatinii delaturum, si M. Licinius cunctaretur.» Et hunc in Ciceronem cum Clodio conspirasse, opinio est, cui deinde reconciliatus patrocinium suum dedit. — *Duobus publicis judiciis*. Ambitus et repetundarum accusatus erat. Publica judicia sunt, quæ ad rempublicam pertinent, et de quibus lata lex est, exempli causa, majestatis læsæ, peculatus, perduellionis, falsi, etc.

1. *P. Clodius Pulcher*. Qui, ut Ciceroni in exsilium eundum esset, effecit. Cic. ad Att. I, 9; Senec. epistol. 97. An. Urb. 692, 700.

2. *Incesti crimine*. Stupraverat Clodius tres sorores suas. Deinde quum Cæsar pontifex maximus esset, inque ædibus ejus sacra Bonæ deæ fierent, ad quæ viris accedere non licebat, amore Pompeiæ, uxoris Cæsaris, captus, ædes Cæsaris cum veste muliebri nocturno tempore intrarat, indeque ejectus est. Tribus Lentulis, a quibus accusatus est, prænomina fuere Publio, Lucio et Caio. — *Ambitus*. Postrema lex contra *ambitum* fuit Julia. — *Vestæ ædem intuens*. Quum esset in conspectu ædis, et ita memor contumeliæ sibi illic objectæ.

3. *Inter quæ*. Non *intra quam*, quod vett. edd. habent.

4. *Caninius autem Gallus*. An. U. 694. Antonius multos in Achaia spoliaverat Græcos, qui eum in jus traxerunt ad M. Lucullum, prætorem peregrinum. Egit pro Græcis Gallus, tunc adolescentulus. — *M. Colonium*. Caninius accusatus est ambitus, apud M. Colonium, quod in præturæ petitione candidatus gladiatorium ludum populo dedisset, ut favorem ejus amplecteretur, et licet excusatione funeris

Digitized by Google

a quo damnatus fuerat, rerum suarum procuratorem habendo.

7. Cœlii vero Rufi[1] ut vita inquinata, ita misericordia, quam Q. Pompeio præstitit, probanda. Cui a se publica quæstione[2] prostrato, quum mater Cornelia fidei commissa prædia non redderet, atque iste auxilium suum literis implorasset, pertinacissime absenti adfuit. Recitavit et ejus epistolam judicio ultimæ necessitatis[3] indicem, qua impiam Corneliæ avaritiam subvertit. Factum propter eximiam humanitatem, ne sub Cœlio quidem auctore repudiandum.

patris uteretur, tamen ab illo damnatus est, quem deinde acerrimum suarum rerum et dignitatis procuratorem habuit.

1. *Cœlii vero Rufi.* An. U. 702. Videtur ille esse Cœlius, cujus ad Ciceronem humanitatis quidem, sed et affectatæ elegantiæ jocique plenæ epistolæ exstant. Conf. Velleium, II, 68 § 1, p. 175 nostræ edit. — *Vita inquinata.* Perdita enim tum temporis fuit juventutis libido atque protervia. Sic et Rufi. Nam quum, eum subornasse in Lucceium veneficos, suspicio esset, ejus accusatores amores, adulteria inusitata, convivia, commessationes, cantus, symphonias, navigia ei ad firmandam suspicionem objecerunt. — *Q. Pompeio.* Hic restiterat P. Sulpicio tribun. pleb. leges promulganti de exsulibus revocandis, de novis civibus libertinisque distribuendis, de Mario adversus Mithridatem creando duce. Easdemque perniciosas leges Cœlius defendisse videtur.

2. *Publica quæstione.* Nam accusatus est, quod seditiosum tribunatum gesserit, et populum adversus Milonem excitaverit, cujus amicissimus erat Cœlius. — *Prostrato.* Superato. In ea contentione Q. Pompeii filius occisus est, et ipsi consules evadere vix potuerunt. — *Mater Cornelia.* Fratrum Gracchorum. — *Adfuit.* Apparet hic vis verbi *adesse.* Nimirum absenti quoque adesse possumus, si rationem ejus habeamus opemque ei feramus. Sic Cicero: *semper*, inquit, *absenti adfui Dejotaro.*

3. *Ultimæ necessitatis.* Ut etiam ab inimico auxilium petere cogeretur.

Digitized by Google

CAPUT III.

De abstinentia et continentia, quarum romana sunt.

1. P. Scipio Africanus major procos. — 2. M. Cato Uticensis propr. — 3. Nero Claudius Drusus et Antonia. — 4. Cn. Marcius Coriolanus. — 5. M. Curius Dentatus cos. — 6. C. Fabricius Luscinus cos. — 7. Q. AElius Tubero Catus cos. — 8. L. AEmil. Palulus procos. — 9. Legati rom. Q. Fabius Gurges, et N. Fabius Pictor, et Q. Ogulnius. — 10. L. Calpurnius Piso Frugi cos. — 11. M. Cato senior cos. — 12. M. Cato Uticensis. — 13. P. Scipio AEmilianus. — 14. Populus romanus.

De abstinentia et continentia, quarum externa sunt.

1. Pericles atheniensis. — 2. Sophocles atheniensis. — 3. Xenocrates academicus. — 4. Diogenes cynicus.

DE ABSTINENTIA ET CONTINENTIA, QUARUM ROMANA SUNT.

Magna cura præcipuoque studio referendum est, quantopere libidinis et avaritiæ furori similes impetus ab illustrium virorum pectoribus consilio ac ratione submoti sint: quia demum ii penates, ea civitas, id regnum æterno in gradu facile steterit, ubi minimum virium Veneris pecuniæque cupido sibi vindicaverit. Nam quo istæ generis humani certissimæ pestes penetraverint, ibi injuria dominatur, infamia flagrat. Quibus longius relictis, contrarios tam diris vitiis mores commemoremus[1].

1. Quartum et vicesimum annum agens Scipio[2], quum in Hispania Carthagine oppressa, majoris Carthaginis capiendæ sumpsisset auspicia, multosque obsides, quos in

1. *Contrarios..... commemoremus.* Abstinentia est, si res aut alienas, aut quæ abusu nocere nobis possint, omnino fugimus : continentia, si mentem, i. e., libidinem, voluptatem, desideria, etc., justis terminis coercemus. Sed de abstinentia maxime loquitur Valerius, nec ubique rite distinguit inter utramque virtutem.

2. *Scipio.* An. U. 543. Livius, lib. XXVI, c. 50; A. Gellius, lib. VI, c. 8; Ammianus, lib. XXIV, c. 4; Polyb. lib. X, c. 19; Front. l. II, c. 11. — *Carthagine.* Fuit hæc Carthago nova, quam Hasdrubal, dux Carthaginiensium, in Hispania Bætica condiderat. — *Sumpsisset auspicia.* Quia omnia auspicata

Digitized by Google

ea urbe Pœni clausos habuerant, in suam potestatem redegisset, eximiæ inter eos formæ virginem, ætatis adultæ, et juvenis, et cælebs, et victor, postquam comperit illustri loco inter Celtiberos natam, nobilissimoque gentis ejus Indibili desponsatam, arcessitis parentibus et sponso inviolatam tradidit; aurum quoque, quod pro redemptione puellæ allatum erat, summæ dotis adjecit. Qua continentia ac munificentia Indibilis obligatus, Celtiberorum animos Romanis applicando, meritis ejus debitam gratiam retulit.

2. Verum ut hujus viri abstinentiæ[1] testis Hispania, ita M. Catonis Epiros, Achaia, Cyclades insulæ, maritima pars Asiæ, provincia Cypros. Unde quum pecuniæ deportandæ ministerium sustineret, tam aversum animum ab omni Venere, quam a lucro habuit, in maxima utriusque intemperantiæ versatus materia[2]. Nam et regiæ divitiæ[3] potestate ipsius continebantur, et fertilissimæ deliciarum tot Græciæ urbes, necessaria totius navigationis

gerebantur apud Romanos. — *Victor.* Victoria plerumque insolentiores minusque continentes reddidit alios. — *Indibili.* Frontinus, II, 11, 5, eum Lucceium vocat. Indibilis alius quidam regulus fuit, de quo Liv. XXVII et XXVIII.

1. *Abstinentiæ.* Abstinentia hic duplici notione usurpata. Nam et in Scipione abstinentiam fuisse dicit, quod alteri desponsatam non attigit; et in Catone, quod ex opibus, quas Cypro Romam deportavit, nihil in suos usus convertit. An. Urb. 695. — *Epiros.* Quondam Molossia, deinde Chaonia, post Epiros, Pyrrho clara. — *Cyclades insulæ.* Insulæ, quæ in orbem circa Delum sitæ sunt. — *Asiæ, provincia.* Perizonius malit *Asiæ provinciæ*, quod codd. quidam habent. At Valerius Cyprum provinciam dixit, quod proprie Catonis fuit provincia.

2. *In maxima..... materia.* Id est, quamvis maxima habebat incitamenta, tum ad avaritiam, tum ad libidinem.

3. *Regiæ divitiæ.* Divitias Ptolemæi, regis Cypri, intelligit, quas Florus, V, 9, ærarium populi romani latius, quam ullum triumphum, implevisse scribit. Cæterum quod idem populus, P. Clodio duce, socii vivique regis confiscationem mandavit, id Cicero aliique summopere improbarunt. — *Tot Græciæ urbes.* Pighius putavit rescribendum *tot egregiæ urbes*, quum ita in cod. Campensi reperisset. Lect. vulgata est præferenda. Erant enim et illæ maritimæ asiaticæ urbes græcæ vel Græciæ; omnesque *fertilissimæ deliciarum.*

Digitized by Google

deverticula erant. Atque id Munatius Rufus[1], cypriacæ expeditionis fidus comes, scriptis suis significat. Cujus testimonium non amplector. Proprio enim argumento laus ista nititur : quoniam ex eodem naturæ utero et continentia nata est, et Cato.

3. Drusum etiam Germanicum[2], eximiam Claudiæ familiæ gloriam, patriæque rarum ornamentum, et quod super omnia est, operum suorum, pro habitu ætatis, magnitudine vitrico pariter ac fratri Augustis, duobus reipublicæ divinis oculis, mirifice respondentem, constitit usum Veneris intra conjugis caritatem clausum tenuisse. Antonia quoque, femina laudibus virilem familiæ suæ[3] claritatem supergressa, amorem mariti egregia fide pensavit: quæ post ejus excessum, forma et ætate florens, cubiculum socrus[4] pro conjugio habuit : in eodemque toro alterius adolescentiæ vigor exstinctus est, alterius viduitatis experientia consenuit. Hoc cubiculum talibus[5] experimentis summam imponat.

4. Deinceps et his vacemus[6], quorum animus aliquo in momento ponendo pecuniam nunquam vacavit. Cn.

1. *Munatius Rufus.* MSS. fluctuant inter *Munacius*, *Mimacius*, *Minucius*, *Numacius*, *Mutius*, *Muriatius*, *Minatius*. Nota Romæ et *Minacia* et *Munatia* gens. Hic vero, quum alibi non memoretur, ex qua fuerit incertum est.

2. *Drusum etiam Germanicum.* An. U. 744. Drusus Germanicus primo censum egerat, deinde Germaniæ cis et trans Rhenum positas civitates oppugnavit, et tumultus ob eum censum in Gallia exortos composuit. Postremo varias quoque gentes trans Rhenum armis suis subegit. Hic igitur *Germanicus* dictus est. — *Claudiæ familiæ.* Claudius Nero ex Livia uxore Tiberium genuit; Octavianus deinde eo mortuo gravidam duxit uxorem, quæ peperit Drusum. — *Divinis oculis.* Cf. Præfat. Valerii et II, 1, 10.

3. *Familiæ suæ.* Paternæ : quia ejus pater triumvir Antonius, libidine et illecebris Cleopatræ, repudiata Octavia, Augusti sorore, diffamatus est.

4. *Socrus.* Liviæ.

5. *Talibus.* Abstinentiæ. — *Summam.* Finem.

6. *Deinceps et his vacemus.* Sensus : nunc de iis loquar. Pigh. edidit : *deinceps ex iis vocemus.* Male, contra MSS. — *Quorum animus... vacavit.* Sensus:

Digitized by Google

Marcius[1], patriciæ gentis adolescens, Anci regis clara progenies, cui Corioli Volscorum oppidum captum cognomen adjecit, quum editis conspicuæ fortitudinis operibus, a Postumo Cominio consule, accurata oratione apud milites laudatus, omnibus donis militaribus, et agri centum jugeribus, et decem captivorum electione, et totidem ornatis equis, centenario boum grege, argentoque, quantum sustinere valuisset, donaretur; nihil ex his, præter unius hospitis captivi salutem, equumque, quo in acie uteretur, accipere voluit. Qua tam circumspecta animi moderatione, nescias, utrum majore cum laude præmia meruerit[2], an rejecerit.

5. M. autem Curius[3], exactissima norma romanæ frugalitatis, idemque fortitudinis perspectissimum specimen, Samnitum legatis agresti se in scamno assidentem foco, atque ligneo catillo cænantem (quales epulas, apparatus

animus eorum nunquam vacavit, (id est, *nunquam otium habuerunt*) ut in aliquo momento ponerent pecuniam (*ut pecuniam tamquam rem magni momenti corradere studerent*).

1. *Cn. Marcius.* Coriolanus. An. U. 260. — *Captum.* Deceptis custodibus, Marcius sub Postumio militans, oppidum irruit, ignemque in tecta conjecit, quibus correptis, quum ad delendum incendium omnes concurrerent, facilem fecere Romanis expugnationem. — *Accurata*, i. e. copiosa. — *Ornatis equis.* Ornati equi sunt, ad pugnam instructi. Sic dicunt: ornatus elephas, ornare classem, etc. Vid. V, 1, 7. — *Grege.* Grex proprie denotat minora, armentum majora animalia; sed interdum his promiscue utuntur. — *Sustinere.* Sursum a terra levatum tenere.

2. *Meruerit.* Octo MSS. cum quibusdam edd. *elegerit*, quod Colero et Vorstio placet, quia Coriolanus hospitis salutem et equum elegerit. At præferendum *meruerit*, quod hoc loco significat: *consequutus sit*; quo sensu *merere* apud Plinium aliosque haud raro occurrit.

3. *Curius.* An. U. 463. Curius Dentatus de Samnitibus, quibuscum per seculum fere dimicatum est, bis triumphavit, Pyrrhumque, cujus impium medicum remisit, exegit Italia. Hic tantæ frugalitatis et temperantiæ fuit, quantæ vix alius. Cincinnatus enim temperans fuit, quum laute vivere non posset, Curius, quum posset. Conf. Senec. ad Helv. X. — *Perspectissimum.* Id est, exploratissimum seu probatissimum. Sic Cicero ad Attic. XI, 1, ait: *perspectissima benevolentia.* In codd. aliquot tamen est *perfectissimum.* — *Ligneo catillo.* Vasculum proprie ad edendum; sed Plinius, XXX, 6: *aquam bibere catillo.*

Digitized by Google

indicio est) spectandum præbuit. Ille enim Samnitum divitias contempsit : Samnites ejus paupertatem mirati sunt. Nam quum ad eum magnum auri pondus publice missum attulissent, benignis verbis invitatus ut eo uti vellet, et vultum risu solvit, et protinus : « Supervacuæ, inquit, ne dicam ineptæ legationis ministri, narrate Samnitibus, M. Curium malle locupletibus imperare, quam ipsum fieri locupletem ; atque istud ut pretiosum, ita malo hominum excogitatum munus refertote, et mementote, me nec acie vinci, nec pecunia corrumpi posse. »

Idem quum[1] Italia Pyrrhum regem exegisset, nihil omnino ex præda regia, qua exercitum urbemque ditaverat, attigit. Decretis etiam a senatu septenis jugeribus agri populo, sibi autem quinquaginta, popularis assignationis modum non excessit[2]; parum idoneum reipublicæ civem existimans, qui eo, quod reliquis tribueretur, contentus non esset.

6. Idem sensit[3] Fabricius Luscinus, honoribus et auctoritate omni civitate temporibus suis major, censu par unicuique pauperrimo : qui a Samnitibus, quos universos in clientela habebat, decem æris, et quinque pondo[4] argenti, totidemque servos sibi missos, in Samnium remisit, continentiæ suæ beneficio sine pecunia prædives, sine usu familiæ abunde comitatus : quia locupletem illum faciebat, non multa possidere, sed modica desiderare[5]. Ergo do-

1. *Idem quum*, etc. An. U. 478. Vid. Plin. XVI, 38 ; Colum. I, 3.

2. *Popularis..... excessit.* Septem tantum jugera accepit.

3. *Idem sensit*, etc. An. U. 480. Gell. I, 14. — *Fabricius Luscinus.* Curii fuit æqualis. Et quum pari esset abstinentia, factum, ut unum idemque ab aliis Curio, ab aliis Fabricio tribueretur. — *Civitate.* Vulgo cive.

4. *Quinque pondo.* Gellius loco citato prodit, Samnites illi dono obtulisse grandem pecuniam. Unde Pigh. recte conjicit, numerum apud Val. esse corruptum. Etiam si e cod. Gemblacensi substituamus XV, illiusque ævi, quo majus fuit numorum pretium, habeamus rationem ; hæc tamen est levissima summa.

5. *Modica desiderare* Hic de continentia loquitur.

Digitized by Google

mus ejus, quemadmodum ære et argento et mancipiis Samnitum vacua, ita gloria, ex his contemptis parta, referta fuit. Consentanea repudiatis donis Fabricii vota exstiterunt. Legatus[1] enim ad Pyrrhum profectus, quum apud eum Cineam Thessalum narrantem audisset, « quemdam Atheniensem clarum sapientia suadere, ne quid aliud homines quam voluptatis causa facere vellent, » pro monstro eam vocem accepit, continuoque Pyrrho et Samnitibus istam sapientiam deprecatus est. Licet Athenæ doctrina sua glorientur, vir tamen prudens[2] Fabricii detestationem, quam Epicuri maluit præcepta : quod eventus quoque indicavit. Nam, quæ urbs[3] voluptati plurimum tribuit, imperium maximum amisit; quæ[4] labore delectata est, occupavit : et illa libertatem tueri non valuit; hæc etiam donare potuit.

7. Curii et Fabricii[5] Q. Ælium Tuberonem cognomine *Catum* discipulum fuisse merito quis existimaverit. Cui consulatum gerenti, quum Ætolorum[6] gens omnis usus vasa

1. *Legatus*, etc. An. U. 474. Cic. in Catilin. XIII; Plut. in Pyrrho, XX. Hic legatus fuit ipse Fabricius, missus a S. P. Q. R. ut ageret cum rege de permutatione vel redemptione captivorum.—*Quemdam Atheniensem.* Epicurum forsan. — *Deprecatus est.* In nonnullis codd. *detestatus est.* Cf. Gell. VI, 16, 15.

2. *Vir tamen prudens.* Pyrrhum intelligere auctor videtur, non Cineam Thessalum, quem quidem intelligi Vorstius credit. Perizonius collective sumit pro *omni viro prudente*, ac deinceps pro *maluit* legit *maluerit*, ut sensus sit : *omnis vir prudens prætulerit Epicuri præceptis Fabricii detestationem.*

3. *Quæ urbs.* Athenæ, quæ urbs quum diu Græciæ imperium tenuisset, luxu perdita in servitutem redacta est, usque dum Romani libertatem illi redderent.

4. *Quæ.* Roma.

5. *Curii et Fabricii*, etc. An. U. 555. Plinius, XXXIII, 11. — *Q. Ælium Tuberonem.* Errat Valerius, quod eum Q. Ælium Tuberonem Catum dicit, qui fuit *Sextus Ælius Pætus Catus*, An. U. 555, consul cum T. Quint. Flaminio, in quo consulatu talem se gessit, ut non multo post ad censuræ dignitatem vocaretur. Nec minus errat Plin. loc. cit. quod ei socerum dat *Æmilium Paullum Macedonicum.* Cf. Periz. An. H. p. 73 seq.—*Catum.* Catus nomen prudentis et acuti hominis : sic et acute dicta *cata dicta* dicuntur.

6. *Ætolorum.* Ætolia, continen-

Digitized by Google

argentea, magno pondere, et exquisita arte fabricata, per legatos misisset, qui superiori tempore gratulandi causa ad eum profecti retulerant, « fictilia se in ejus mensa vasa vidisse; » monitos, « ne continentiæ quasi paupertati succurrendum putarent, cum suis sarcinis abire » jussit. Quam bene Ætolicis domestica prætulerat, si frugalitatis ejus exemplum posterior ætas sequi voluisset! Nunc quo ventum est? a servis[1] vix impetrari potest, ne eam supellectilem fastidiant, qua tunc consul uti non erubuit.

8. At Perse rege devicto[2], Paullus, quum Macedonicis opibus veterem atque hereditariam urbis nostræ paupertatem eo usque satiasset, ut illo tempore primum populus romanus tributi præstandi onere se liberaret : penates suos nulla ex parte[3] locupletiores fecit; præclare secum actum existimans, quod ex illa victoria alii pecuniam, ipse gloriam occupasset.

9. Atque huic[4] animi ejus judicio Q. Fabius Gurges, Num. Fabius Pictor, Q. Ogulnius subscripserunt : qui legati ad Ptolemæum regem missi, munera, quæ ab eo privatim acceperant, in ærarium, et quidem prius, quam ad

tis Græciæ regio, contigua Acarnaniæ, a qua eam Achelous fluvius separat, insignis fœdere ætolico, in quo Cleomenes, sicut Aratus in achaico, inclaruit.

1. *A servis.* Vid. Plin. Hist. Nat. XXXIII, 10, 11; Senec. de Benef. II, 27; Martial, V, 13. — *Qua tunc consul uti non erubuit.* Alii magis eleganter legunt : *quam tunc consul non erubuit.* Optime dicitur : *erubescere aliquid.*

2. *At Perse rege devicto.* An. U. 587. Plut. in Paullo, XXXVIII; Cic. de Offic. II, 22. — *Tributi.* Pecuniæ per singulas tribus in stipendium militare erogatæ.

3. *Nulla ex parte.* Plutarchus l. c. refert, eum tantum quosdam ex ea præda sibi retinuisse libellos.

4. *Atque huic*, etc. An. U. 480. — *Subscripserunt.* Minus accurate Valer. loquutus est; debuerat scil. dicere : *Paullus subscripsit judicio animi Q. Fabii Gurgitis*, etc., quia Q. Fabius Gurges, Num. Fabius Pictor et Q. Ogulnius multo antiquiores fuerunt Paullo. Quapropter *subscripserunt* ita accipiendum, ac si auctor dixisset : *idem fecerunt, quod post eos Paullus fecit.* Cæterum in nominibus trium illorum legatorum admodum variant librarii, ut videre est apud Torrenium.

Digitized by Google

senatum legationem referrent, detulerunt: de publico scilicet ministerio nihil cuiquam, præter laudem bene administrati officii, accedere debere judicantes. Jam illud humanitatis senatus, et attentæ majorum disciplinæ indicium est. Data sunt enim legatis, quæ in ærarium reposuerant, non solum patrum conscriptorum decreto, sed etiam populi permissu: eaque legatis quæstores prompte unicuique distribuerunt. Ita in iisdem Ptolemæi liberalitas, legatorum abstinentia, senatus ac populi romani æquitas, debitam probabilis facti portionem obtinuit.

10. Fabiorum et Ogulnii continentiæ Calpurnium Pisonem[1] in consimili genere laudis æmulum fuisse res ipsa documento est. Consul, gravi fugitivorum bello a se liberata Sicilia, eos, quorum præcipua opera usus fuerat, imperatorio more donis prosequebatur. Inter quos filium suum locis aliquot præliatum fortissime, titulo trium librarum aureæ coronæ decoravit; præfatus, *non oportere a magistratu e publica pecunia erogari, quod in ipsius domum rediturum esset:* tantumque ponderis se testamento adolescenti legaturum promisit, ut honorem publice a duce, pretium a patre privatim reciperet[2].

11. Age, si quis hoc seculo vir illustris[3] pellibus hædinis pro stragulis utatur, tribusque servis comitatus Hispaniam regat, et quingentorum assium sumptu transmari-

1. *Calpurnium Pisonem*, etc. An. U. 620. Plinius, XXXIII, 2. Vid. quoque supra II, 7, 9. Calpurnius, quum in bello fugitivorum provinciam Siciliam obtineret, quam LX millia servorum occupaverant, liberata provincia, omnes strenuos et bene meritos milites donis ornavit.

2. *Reciperet*. Pighius dedit *acciperet*, præter necessitatem, quum *recipere* sæpissime pro *accipere*, atque ipso etiam *capere* ponatur.

3. *Vir illustris*. An. U. 558. Liv. XXXII; Plin. XIV, 13; Front. IV, 3, 1; De Catone sermo est majore, quum Celtiberos devicisset, et tunc totam provinciam administraret. — *Stragulis*. Stragulum erat tapetum, vestis quædam versicolor, quibus veteres in sternendis lectis utebantur. Ita apud Senec. Epist. 87 post init. « Ex duabus pænulis altera stragulum altera opertorium est. » — *Tribusque*. Plutarchus illi

Digitized by Google

nam provinciam petat, eodem cibo, eodemque vino, quo nautæ, uti contentus sit, nonne miserabilis existimetur? Atqui ista patientissime superior Cato toleravit, quia illum grata frugalitatis consuetudo[1] in hoc genere vitæ cum summa dulcedine continebat.

12. Multum a prisca continentia spatio annorum posterior Cato[2] discedit, utpote in civitate jam divite et lautitia gaudente natus: is tamen quum bellis civilibus[3] interesset, filium secum trahens, duodecim servos habuit; numero plures, quam superior; temporum diversis moribus, pauciores.

13. Exsultat animus maximorum virorum memoriam percurrens. Scipio Æmilianus[4] post duos inclytos consulatus, totidemque suæ præcipuæ gloriæ triumphos, septem servis sequentibus officio legationis functus est; et, puto, Carthaginis ac Numantiæ spoliis comparare plures potuerat, nisi operum suorum ad se laudem, manubias[5] ad patriam redundare maluisset: itaque quum per socios et exteras gentes iter faceret, non mancipia ejus, sed victo-

quinque tribuit. — *Eodemque vino.* Front. IV, 3, 1, ait: *M. Catonem vino eodem, quo remiges, contentum fuisse traditur;* omisso verbo *uti*, quod et in pluribus codd. ap. Valer. deest. Pauculi pro *eodemque vino* habent *eodemque potu.* — *Miserabilis.* Alii: *mirabilis;* utrumque commode explicari potest. Spontanea enim penuria *miseriæ* speciem præbet.

1. *Frugalitatis consuetudo.* Sic Cato ipse: « Ego, inquit, jam a principio in parcimonia atque in duritia omnem adolescentiam meam abstinui, agro colendo, saxis sabinis silicibus repastinandis atque conserendis. »

2. *Posterior Cato.* An. U. 704. Vid. Plut. in vita. — *Discedit.* Codices aliquot, *descendit*, quod Kappio placet; ut auctor innuat, Catonem Uticensem invitum priscam continentiam reliquisse.

3. *Bellis civilibus.* Cæsarem inter et Pompeium. — *Duodecim. Quinque* illi addicunt alii scriptores.

4. *Scipio Æmilianus.* An. U. 623; Justin. XXXVIII, 8; Aurel. Vict. LVIII; Athen. VI. Æmilianum, Frontinus narrat, in itinere cum amicis ambulantem, accepto pane, vesci solitum. Idem Alexandrum maced. interdum fecisse memorant.

5. *Manubias.* Manubiæ, pecunia ex venditione prædæ accepta; *spolia*, quæ capiuntur ab hostibus, præcipue arma; *præda*, quæcunque corpora rerum quæ capiuntur, exempli causa, jumenta, vasa, impedimenta, etc.

Digitized by Google

riæ numerabantur; nec quantum auri et argenti, sed quantum amplitudinis pondus secum ferret, æstimabatur.

14. Continentia[1] vero etiam in universæ plebis animis sæpenumero cognita est; sed abunde erit, ex his duo exempla longe inter se distantium seculorum retulisse: Pyrrhus, impetus sui terrore[2] soluto, ac jam epiroticis armis languentibus, benevolentiam populi romani mercari, quia virtutem debilitare nequiverat, cupiens, pæne totum regiarum opum apparatum in urbem nostram transtulit. Cæterum, quum et magni pretii, et varii generis, a legatis ejus, tam virorum quam feminarum apta usui munera circa domos ferrentur, nulla cuiquam dono[3] janua patuit; tarentinæque petulantiæ[4] animosus magis quam efficax defensor, haud scio majore cum gloria hujus urbis moribus, an armis repulsus sit. In illa quoque procella[5], quam C. Marius et L. Cinna reipublicæ inflixerant, abstinentia populi romani mirifica conspecta est; nam quum a se proscriptorum[6] penates vulgi manibus diripiendos abjecissent, inveniri potuit nemo, qui civili luctu prædam

1. *Continentia*, etc. An. U. 473. Et ex his patet, Valerium *abstinentiam* inter et *continentiam* discrimen vix constituisse.

2. *Impetus sui terrore*. Alii Romanos bis, alii semel tantum elephantorum terrore victos tradunt.

3. *Dono*. Nonnulli habent *domo*, ut dedit Colerus, sed rectius est alterum.

4. *Tarentinæque petulantiæ*. Nam direpta classe atque violatis legatis *Tarentini* Romanorum arma in se excitarant.

5. *Procella*, etc. An. U. 666. Velleius, II, 22.

6. *Nam.... proscriptorum*. Proscribere idem est atque publice fixo libello aliquid edicere et denuntiare. Hinc proscribi bona dicuntur, quum fixis publice libellis, venditio eorum bonorum in diem certam edicitur et significatur: hinc *proscripti*, quorum nomina palam in foro scripta exstabant, ut ad necem quærerentur, præmio percussori et supplicio occultatori proposito. Hinc a Cornelio Sulla lex Cornelia dicitur, quæ proscriptum juvari vetabat, quam alii Valeriam dicunt. — *Penates*. Velleius, loco citato, *bona civis romani*. — *Abjecissent*. Alii legunt *objecissent*, quam lectionem Torrenius, Kappius et Helfrechtus in textum receperunt. — *Civili luctu*. Sic fere omnes libri MSS. et antiquiores typis impressi. Pighius ex codd. Pulm. et Camp. *civili ja-*

Digitized by Google

peteret; unus enim quisque se ab his perinde ac a sacris ædibus abstinuit: quæ quidem tam misericors continentia plebis, tacitum crudelium victorum convicium fuit.

DE ABSTINENTIA ET CONTINENTIA, QUARUM EXTERNA SUNT EXEMPLA.

1. Ac ne ejusdem laudis commemorationem externis invideamus, Pericles[1] Atheniensium princeps, quum tragœdiarum scriptorem Sophoclem in prætura collegam haberet, atque is publico officio una districtus, prætereuntis ingenui pueri formam impensioribus verbis laudasset, intemperantiam ejus increpans, dixit, *Prætori non solum manus a pecuniæ lucro, sed etiam oculos a libidinoso adspectu continentes esse debere.*

2. Sophocles[2] autem ætate jam senior, quum ab eo quidam quæreret, an etiam nunc rebus venereis uteretur: *Dii meliora*[3]*!* inquit; *libenter enim istinc tamquam ex aliqua furiosa profugi dominatione.*

3. Æque abstinentis senectæ Xenocratem[4] fuisse accepimus: cujus opinionis[5] non parva fides erit narratio,

ctura, quem sequuti sunt Colerus, Vorstius ac novissime etiam Helfrechtus. Torrenius et Kappius reposuere *civili luctu*, quod significat re: *dum civitas in luctu est, tempore civilis luctus.* Neque tamen negari potest, vocem *jactura* bene huc quadrare, quia paulo ante vocabulo *procellæ* usus est auctor, ad tempestatem reipublicæ significandam.

1. *Pericles.* Vid. Cic. de Offic. I, 40; Plut. in vita Pericl.; Ælian. XIV, 22. Pericles, Anaxagoræ auditor, ipse philosophus, insignis orator bellique dux, mira prudentia Atheniensium rempublicam rexit per XL annos. — *Prætori.... debere.* Τὸν σώφρονα στρατηγὸν, οὐ μόνον τὰς χεῖρας, ἀλλὰ καὶ τὴν ὄψιν ἔχειν παρ' ἑαυτῷ δεῖ. Vid. Flor. II, 6.

2. *Sophocles.* Cic. in Cat.; Plato de republ. I; Ammian. XXV, 4. Sophocles celeberrimus poeta tragicus, quem Cic., de Div. I, divinum poetam laudat.

3. *Dii meliora.* Scil. velint, seu dent; absit!

4. *Xenocratem.* Si quando ad urbem proficiscebatur, turba omnis impudicorum, eum inquietandi gratia, ejus transitum observabat.

5. *Opinionis.* Famæ.

Digitized by Google

quæ sequitur: in pervigilio[1] Phryne, nobile Athenis scortum, juxta eum vino gravem accubuit, pignore cum quibusdam juvenibus posito, an temperantiam ejus corrumpere posset; quam nec tactu, nec sermone adspernatus, quoad voluerat, in sinu suo moratam, irritam propositi dimisit: factum sapientia imbuti animi abstinens, sed meretriculæ quoque dictum perquam facetum; deridentibus enim se adolescentibus, quia tam formosa, tamque elegans poti senis[2] animum illecebris pellicere non potuisset, pactumque victoriæ pretium flagitantibus, *de homine se cum iis, non de statua, pignus posuisse,* respondit. Potestne hæc Xenocratis continentia a quoquam magis vere magisque proprie demonstrari, quam ab ipsa meretricula expressa est? Phryne pulchritudine sua nulla ex parte constantissimam ejus abstinentiam labefecit. Quid rex Alexander[3]? an divitiis eum quatere potuit? ab illo quoque statuam, et quidem æque frustra tentatam, putes. Legatos ad eum cum aliquot talentis[4] miserat; quos in Academiam[5] perductos, solito sibi, id est, modico appa-

1. *In pervigilio.* Alii hæc verba post subsequens *vino gravem* collocant. *Pervigilium* est totius noctis vigilia. De *Phryne* vid. Perizon. ad Ælian. IX, 32. — *Nobile.* Sinistro sensu, pro *notum.* — *An temperantiam.* Pithœus pro *an* reponendum putat *ni*, ut Acron ad Horat. Sat. II, 3, v. 253, dicit: *Ni Xenocratem ad sui sollicitaret amorem.*

2. *Poti senis.* Voce *poti* active utitur auctor, neque legendum cum Colero *deposti.* Est quidem *deposti* seu *depositi* phrasis Plautina; at mirum prorsus non esset, si hominem *vino depositum*, id est, cujus sensus mero erant victi et velut exstincti, pellicere non potuisset. — *Pellicere.* Quidam MSS. *polluere:* frustra.

3. *Alexander.* Vid. Plut. de fortuna Alex.; Cic. Tusc. V.

4. *Talentis.* Talentorum maxima fuit diversitas ab Ægyptiaco ad Siculum usque, regium inter et commune. Hoc loco duplex respexisse satis erit, *atticum*, et *euboicum. Majus* talentum *atticum* LXXX libras habuit et paulo plus: alii numerant LXXXIII libras et IV uncias. Quod si volumus ad nummos referre romanos, ut Priscianus ait, VI millia nummorum romanorum habet. *Minus* libras habuit LX. *Talentum euboicum* paulo minus attico fuit: nempe, teste Festo, IV millium nummorum romanorum.

5. *Academiam.* Academia locus fuit nemorosus, ab Academo quo-

Digitized by Google

ratu, et admodum parvulis copiis excepit : postero die interrogantibus, cuinam adnumerari pecuniam vellet : *Quid? vos*, inquit, *hesterna cœna non intellexistis, ea me non indigere*[1]? Ita rex philosophi amicitiam emere voluit: philosophus regi suam vendere noluit.

4. Alexander[2] vero cognomen invicti assequutus, continentiam Diogenis cynici vincere non potuit : ad quem quum in sole sedentem accessisset, hortareturque, *ut, si qua sibi vellet præstari, indicaret*, quemadmodum erat in crepidine[3] collocatus, sordidæ appellationis, sed robustæ vir præstantiæ, *Mox*, inquit, *de cæteris; interim a sole mihi velim non obstes*[4]; quibus verbis illa nimirum inhæsit sententia : Alexander Diogenem gradu suo divitiis pellere tentat, celerius Darium armis. Idem Syracusis, quum olera ei lavanti Aristippus[5] dixisset, « Si Dionysium adulare velles, ista non esses : Immo, inquit, si tu ista esse velles, non adulares Dionysium. »

dam heroe sic cognominatus. — *Copiis*. Copiæ non de exercitu tantum, sed de iis etiam, quæ sunt in promptu, hoc loco, de esculentis et potu, usurpatur. Cf. Justin. XXIV, 7; Cæsar de Bello Gallico, lib. IV, cap. 4, § 7.

1. *Quid.... indigere*. Cic. addit : « Quum vidisset legatos tristiores, XXX minas accepit. » Donum enim cum contemptu repudiatum, maxime honesti afficit animum.

2. *Alexander*, etc. Vide Ciceronem Tuscul. V, 32.

3. *Crepidine*. Crepido extremitas est saxi, terræ aut valli, in qua mendici sedere solent. Sæpius quoque oram litoralem denotat. — *Sordidæ appellationis*. Cynicus propter immunditiem non secus ac mordacem insectationem, aut rabiosam loquendi libertatem dictus.

4. *A sole..... obstes*. Obstare alicui a sole est : objectu corporis sui impedire, quo minus radii solares ad aliquem pertingere possint. Sic Lucan. I, v. 58 : « *Nullæ obstent a Cæsare nubes;* » et Cicero : « *Abesse alicui a sole.* » Alexander, teste Laertio, dixit : se velle esse Diogenem, nisi esset Alexander.

5. *Aristippus*. Socratis discipulus, non autem imitator; in voluptate summum quærens bonum, commoratus est aliquamdiu in Dionysii aula. — *Adulare*. Adulare active apud complures occurrit. *Adulari* etiam passive. Dicunt præterea *adulari aliquem* et *alicui*. Vulgo tamen legitur : *Dionysio adulari..... adulareris Dionysio*. Conf. Quintil. IX, 3, 1. — *Esses*. Comederes; lautioribus cibis, meliori fortuna utereris apud Dionysium.

Digitized by Google

CAPUT IV.

De paupertate.

1. P. Poplicolæ. — 2. Agrippæ Menenii. — 3. C. Fabricii Luscini et Q. AEmilii Papi. — 4. Ducum ex agris ad magistratus arcessitorum. — 5. C. Atilii Reguli Serrani cos. — 6. M. Atilii Reguli procos. — 7. L. Quinctii Cincinnati dict. — 8. AEliæ familiæ. — 9. Q. AElii Tuberonis et L. AEmilii Paulli. — 10. Cn. Cornelii Scipionis. — 11. M. AEmilii Scauri.

Maxima ornamenta esse matronis liberos, apud Pomponium Rufum[1] Collectorum libro sic invenimus: Cornelia Gracchorum mater, quum campana matrona, apud illam hospita, ornamenta sua pulcherrima illius seculi[2] ostenderet, traxit eam sermone, quousque e schola redirent liberi, et, *Hæc*, inquit, *ornamenta mea sunt*. Omnia nimirum habet, qui nihil concupiscit; eo quidem[3] certius, quam qui cuncta possidet, quia dominium rerum collabi solet; bonæ mentis usurpatio nullum tristioris fortunæ recipit incursum. Itaque quorsum attinet, aut divitias in prima felicitatis parte, aut paupertatem in ultimo miseriarum statu ponere? quum et illarum frons hilaris multis intus amaritudinibus sit referta, et hujus horridior aspectus

1. *Pomponium Rufum.* De hoc scriptore ejusque Collectis seu Collectaneis minus constat. Non tamen est C. Pomponius Rufus, qui consul fuit cum Cn. Pompeio Feroci Liciniano, ut nonnulli autumant; nam hi consules diu post Valerium vixerunt.

2. *Pulcherrima illius seculi.* Colerus *illius seculi* a librario profectum credit; sed plurimi codd. illud agnoscunt. Probatur quoque a Grutero ad Taciti Ann. II, 33. Pigh. edidit: *illo seculo pulcherrima*; eodem plane sensu. Lipsius conjecit *illius oculis*. Minus bene. — *Hæc .... sunt.* Illuc respexit forsan statua etiam, ei posita, cui inscriptum erat: *Corneliæ, Gracchorum matri.* Peperit liberos duodecim.

3. *Eo quidem.* Perizonius legit *et quidem*, quod non necesse est, modo explices *eo* per *ob id*, *ideo*, *propterea*. Fraudi fuit Perizonio, quod putaret, post *eo* sequi debere *quo*; id quod accidit quoque librariis nonnullis, qui scripserunt: *quo cuncta possidet.*

Digitized by Google

solidis et certis bonis[1] abundet. Quod melius personis, quam verbis, repræsentabitur.

1. Regio imperio propter nimiam Tarquinii superbiam finito[2], consulatus initium Valerius Poplicola cum Junio Bruto auspicatus est; idemque postea tres consulatus acceptissimos[3] populo romano gessit, et plurimorum ac maximorum operum prætextu titulum imaginum suarum amplificavit; quum interim fastorum illud columen[4], patrimonio ne ad exsequiarum quidem impensam sufficiente, decessit; ideoque publica pecunia ductæ sunt[5]: non attinet ulteriore disputatione tanti viri paupertatem scrutari; abunde enim patet, quid vivus possederit, cui mortuo lectus funebris et rogus defuit.

2. Quantæ amplitudinis Agrippam Menenium[6] fuisse arbitremur, quem senatus et plebs pacis inter se faciendæ auctorem legit? quantæ[7] scilicet esse debuit arbiter publicæ salutis: hic nisi a populo collatis in capita sextan-

1. *Solidis et certis bonis.* Solidus opponitur *caduco*, *fragili* et *inani*, ac significat *verus*. Est ergo sensus *veris bonis et certis*, id est, perpetuis.

2. *Regio ..... finito*, etc. An. U. 244 et 250. Vid. Livius, II, 16. Ammian. XIV, 6; Dionys. V.

3. *Acceptissimos.* Lipsius ex vet. libro malit *acceptissime*, cui non favet codd. scriptorum ullus, teste Torrenio. — *Et plurimorum.... amplificavit.* Imaginibus res gestæ ac tituli adscribebantur, quæ igitur harum commemoratione quasi prætexebantur.

4. *Fastorum illud columen.* Fasti, in quibus magistratus et omnia gesta fuerant descripta, a Poplicola initium habuerunt: tamen eo usque pauper vixit, ut mortuo funeris sumptus defuerit; nam illum plebs extulit sextantibus collatis in capita. *Columen fastorum* eum vocat, quod historiæ romanæ insigne decus sit. Aliter tamen explicant Colerus et Vorstius: namque eum sic dictum putant, quod primus consul fuerit, aut locum supremum in Fastis obtinuerit.

5. *Ideoque.... sunt.* Vid. quid de Aristide narret Nepos, III, 3; et de Timoleonte, XX, 4.

6. *Agrippam Menenium.* An. U. 260. Liv. II, 32; Plin. XXXIII, 10. Menenius Agrippa, vir facundus plebique gratus, quum plebs ære alieno pressa in sacrum montem secessisset, recitata fabula de membris corporis, duras hominum mentes flexisse et plebem patribus reconciliasse dicitur. — *Legit.* Id est, elegit, quod etiam aliquot MSS. habent.

7. *Quantæ.* Scilic. amplitudinis.

Digitized by Google

tibus[1] funeratus esset, ita pecuniæ inops decessit, ut sepulturæ honore caruisset. Verum idcirco perniciosa seditione dividua civitas, manibus Agrippæ in unum contrahi voluit, quia eas pauperes quidem, sed sanctas[2] animadverterat. Cujus ut superstitis nullum fuit, quod in censum deferretur: ita exstincti, hodieque amplissimum est patrimonium, romana concordia.

3. In C. vero Fabricii et Q. Æmilii Papi, principum seculi sui, domibus argentum fuisse confitear oportet[3]: uterque enim patellam Deorum[4], et salinum habuit; sed eo lautior[5] Fabricius, quod patellam suam corneo pediculo sustineri voluit: Papus quoque satis animose, qui quum hereditatis nomine ea accepisset, religionis[6] causa abalienanda non putavit.

4. Illi etiam prædivites, qui ab aratro arcessebantur, ut consules fierent[7], voluptatis causa sterile atque æstuosissimum Pupiniæ solum versabant, deliciarumque gratia vastissimas glebas plurimo cum sudore dissipabant; immo vero quos pericula reipublicæ imperatores asserebant[8],

1. *Sextantibus*. Sexta pars assis seu libræ *sextans* est.

2. *Sanctas*. Non pollutas rapinis.

3. *In..... oportet*. An. U. 478. Plin. XXXIII, 12.

4. *Deorum*. Alii habent *eorum* et sequuntur Plin. loc. cit. Conf. Cic. in Verr. IV, 21, 46; de Finib. II, 7, 22; Liv. XXVI, 36.

5. *Lautior*. Ditior; ac forsan non tam ditior, quam elegantior in cultu, et splendidior.

6. *Religionis causa*. Quia putavit contra religionem se facturum, si quæ ad usum deorum majores applicuissent, ipse sine sua impensa ea assequutus ad privatum usum eorum pretia distraxisset.

7. *Qui..... fierent*. Quinct. Cincinnatus, qui vero tum non erat prædives, et M. Curius. Vid. Plin. XVIII, 3. — *Æstuosissimum*. Solis æstui maxime expositum. — *Pupiniæ*. Locus haud procul ab urbe, aliis sterilior, unde tribus *Pupinia* dicta est. Situs erat hiic ager Gabios inter et Romam. Vid. Liv. XXVI, 9; Varro de R. R. I, 9; Colum. I, 4; conf. quoque infra, IV, 8, 1. — *Deliciarumque gratia*. Ironice, ut paulo ante: *voluptatis causa*; et serio demum loquitur in sequentibus, ubi ait *immo vero*. Pro *gratia* nonnulli edit. *ignari* dederunt, non intelligentes auctoremi ronice loqui.

8. *Asserebant*. Aliquot MSS. *accersebant*. Male: vult enim auctor, pericula urbis Romæ Cincinnatum

Digitized by Google

angustiæ rei familiaris (quid cesso proprium nomen veritati reddere?) bubulcos fieri cogebant.

5. Atilium[1] autem, qui ad eum arcessendum a senatu missi erant ad imperium populi romani suscipiendum, semina spargentem viderunt; sed illæ rustico opere attritæ manus[2] salutem publicam stabilierunt, ingentes hostium copias pessumdederunt : quæque modo arantium boum jugum rexerant, triumphalis currus habenas retinuerunt; nec fuit iis rubori, eburneo scipione[3] deposito, agrestem stivam aratri repetere. Potest pauperes consolari Atilius; sed multo magis docere locupletes, quam non sit necessaria solidæ laudis cupidini[4] anxia divitiarum comparatio.

6. Ejusdem nominis et sanguinis Atilius Regulus[5], primi punici belli gloria, cladesque maxima, quum in Africa insolentissimæ Carthaginis opes crebris victoriis contunderet, ac prorogatum sibi ob bene gestas res in proximum annum imperium cognosceret, consulibus scripsit, villicum in agello, quem septem jugerum in Pupinia habebat, mortuum esse, occasionemque nactum mercenarium

et Atilium sibi duces et imperatores vindicasse et arrogasse, quos angustiæ rei familiaris coegissent ad opus servile subeundum.

1. *Atilium.* An. U. 496. Cicer. pro Rosc. XVIII, 50; Plin. XVIII, 3; Virgil. Æn. VI, 845; Lucan. I, 169. Atilius etiam Seranus dictus a *serendo*, quod, quum agrum suum coleret, evocatus ad remp. ob eximiam virtutem meruit dictaturam.

2. *Rustico opere attritæ manus.* Cf. Symmach. I, 52.

3. *Eburneo scipione.* Eburneus scipio gestamen consulare ab Hetruscis Romam delatum, de quo Juvenal. sat. X :

Da nunc et volucrem (aquilam) sceptro quæ surgit eburno.

Inter cætera, quæ Masinissæ donata fuere consulibus competentia, scipionis quoque eburnei mentionem facit Liv. XXX, 15; Dionys. Halic. III, 62. — *Stivam.* Stiva est manubium illud incurvum, quod manibus tenetur arando.

4. *Cupidini.* Passim *cupido*, quod itidem esset casus tertius, non primus. *Cupidini* abstracte dictum, more Valerii.

5. *Atilius Regulus.* An. U. 498. — *Cladesque.* Clades hoc loco active est, qua Regulus Pœnos affecit, ut apud Melam, II, 7, 64: *Clades romana.* Lipsius malit *quia clades*, quod codd. non agnoscunt. — *Prorogatum.* Pauci codices *propagatum.* Sic Liv. XXIII, 25: *Pro-*

Digitized by Google

amoto inde rustico instrumento discessisse; ideoque petere, ut sibi successor mitteretur, ne deserto agro non esset, unde uxor et liberi sui alerentur[1]. Quæ postquam senatus a coss. accepit, et agrum Atilii illico colendum locari, et alimenta conjugi ejus ac liberis præberi, resque quas amiserat, redimi publice[2] jussit. Tanti ærario nostro virtutis Atilianæ exemplum, quo omnis ætas romana gloriabitur, stetit.

7. Æque magna latifundia[3] L. Quinctii Cincinnati fuerunt: septem enim jugera agri possedit: ex hisque tria, quæ pro amico ad ærarium obsignaverat, mulctæ nomine amisit; pœnam quoque pro filio Cæsone[4], quod ad causam dicendam non occurrisset, hujus agelli reditu solvit; et tamen ei quatuor jugera aranti, non solum dignitas patrisfamiliæ constitit, sed etiam dictatura delata est. Anguste se habitare nunc putat, cujus domus tantum patet, quantum Cincinnati rura patuerunt.

8. Quid Ælia familia[5], quam locuples? sexdecim eodem tempore Ælii fuerunt, quibus una domuncula erat eodem loci, quo nunc sunt Mariana monumenta; et unus in agro Veiente fundus, minus multos[6] cultores desiderans,

pagari in annum imperium. — *Amoto.* Id est, furtim sublato. — *Rustico instrumento.* Collective pro instrumentis rusticis.

1. *Ne deserto.... alerentur.* Scripsit etiam, ut Livius loc. cit. tradit, non habere se, unde filias in matrimonium collocaret, qua ex re non minus patet, quanta fuerit paupertate.

2. *Publice.* Publicis impensis.

3. *Æque magna latifundia*, etc. Livius, III, 13, prodit, hæc latifundia, *Quintia prata* fuisse appellata, et *quatuor* jugerum agri mentionem facit. Vid. Pers. sat. I, 73. An. U. 292, 295.

4. *Cæsone.* Cæso ferox fuit juvenis magnisque corporis viribus præditus. Ei, quod tribunis plebis legem ferentibus agrariam nimis acriter resisteret, ab A. Virginio capitis dies et postea mulcta dicta, et teste Livio, loc. citato, pecunia a patre exacta crudeliter, ut divenditis omnibus bonis aliquamdiu trans Tiberim veluti relegatus in vili quodam tugurio viveret. — *Occurrisset.* Id est, venisset; sensu non insolenti. Vid. Plin. Epist. VI, 34, 3; Cic. Phil. I, 4; Vell. II, 61, 2.

5. *Ælia familia.* An. U. circiter 534. Plut. in Paullo. Cod. Ultraj. prim. *Emilia*, et deinde *Emilii.*

6. *Minus multos.* Sic cod. Ultraj.

Digitized by Google

quam dominos habebat; inque Maximo et Flaminio[1] spectaculi locus: quæ quidem loca ob virtutem publice donata possidebant.

9. Eadem gens[2] nullum ante scrupulum argenti habuit, quam Paullus Perse rege devicto, Q. Ælio Tuberoni genero suo quinque pondo argenti ex præda donaret; taceo enim[3] quod princeps civitatis filiam ei nuptum dedit, cujus penates tam jejunos pecunia videbat. Quin ipse quoque adeo inops decessit, ut, nisi fundus, quem unum reliquerat, venisset, uxor ejus dotem unde reciperet[4], non exstitisset. Animi virorum et feminarum vigebant in civitate, eorumque bonis dignitatis æstimatio cunctis in rebus ponderabatur: hæc imperia conciliabant; hæc jungebant affinitates; hæc in foro, hæc in curia[5], hæc intra privatos

prim., quem Lipsius sequutus est. Vulgo *minus multo*, quod ipsi novissimi editores, Torren. Kappius, et Helfrechtus in textum receperunt. *Minus multo* significaret *multo pauciores*, sensui paulo insolentiori, unde *minus multos* præferendum duximus. Certe adverbium, *minus*, raro positum invenias pro, *pauciores*. Maluit igitur Perizonius: *minus multo multorum*. Conf. Heinsius ad Ovid. Fast. IV, 765.

1. *Maximo et Flaminio*. Scil. circo. Duo enim tunc Romæ erant circi.

2. *Eadem gens*. An. U. 586 et 593. Plin. XXXIII, 11; Livius, XLVI; Plut. et Aur. Vict. — *Scrupulum*. Scrupulus, alias siliqua, minimum pondus est. Alii dicunt, scrupulum contineri tantummodo quatuor siliquis; siliquam vero quatuor hordei grana continere. Variæ scilic. de his ponderibus sententiæ. Nonnulli post scrupulum ponunt drachmam, quam e tribus scrupulis constare volunt; post drachmam argenteum nummum, qui denarius apud Romanos vocatus est. Hic e quatuor scrupulis erat confectus. Post hunc sequebatur uncia, quæ ex octo drachmis constabat; post unciam libra italica, quæ ex undecim constabat unciis. — *Genero*. Æmilius Paullus duas habuit filias, quarum alteram huic, alteram Catoni, Majoris filio, in matrimonium dedit.

3. *Enim*. Deest in MSS. aliquot; nec desideratur. — *Nuptum dedit*. Alii *nuptui dedit*, quod occurrit etiam apud Liv. VII, 1, 1. Sed et illic, ut hic, variant MSS. Plurea tamen *nuptum* præferunt. *Nuptui collocare* dixit Columella, IV, 3. De substantivo *nuptus* vid. Gronov. ad Gell. XI, 4. — *Penates tam jejunos pecunia*. In plerisque codd. ordine paulo diverso legitur: *pecunia tam jejunos penates*. Minus eleganter.

4. *Dotem unde reciperet*. Quam dotem, soluto matrimonio, juxta romanas leges repetiit.

5. *Hæc in curia*. Quæ tria verba

Digitized by Google

parietes plurimum poterant. Patriæ enim rem unusquisque, non suam augere properabat; pauperque in divite, quam dives in paupere imperio versari malebat. Atque huic tam præclaro proposito illa merces reddebatur, quod nihil eorum, quæ virtuti debentur[1], emere pecunia licebat, inopiæque illustrium virorum publice succurrebatur.

10. Itaque quum secundo punico bello[2] Cn. Scipio ex Hispania senatui scripsisset, petens ut sibi successor mitteretur, quia filiam virginem adultæ jam ætatis haberet, neque ei sine se dos expediri posset; senatus, ne respublica bono duce careret, patris sibi partes desumpsit, consilioque uxoris ac propinquorum Scipionis constituta dote, summam ejus ex ærario erogavit, ac puellam nuptum dedit[3]. Dotis modus[4] XL millia æris fuit. In quo non solum humanitas patrum conscriptorum, sed etiam habitus veterum patrimoniorum cognosci potest. Namque adeo fuerunt arcta, ut Tatia[5] Cæsonis filia maximam dotem ad virum X millia æris attulisse visa sit: et Megullia[6], quia cum quinquaginta millibus æris mariti domum intravit, *Dotatæ* cognomen invenerit. Idem[7] senatus Fabricii Luscini Scipionisque filias ab indotatis nuptiis liberalitate sua vindicavit; quoniam paternæ hereditati præter opimam gloriam nihil erat quod acceptum referrent.

desunt in tredecim MSS. et ed. Mog.

1. *Quæ virtuti debentur.* Verbi causa, magistratus et honores.

2. *Secundo punico bello.* An. U. 539. Vid. Ammian. XIV, 6; Senec. Nat. I, 17. — *Cn. Scipio.* Patruus Africani majoris. — *Expediri.* Expedite assignari.

3. *Nuptum dedit.* Passim *nuptui dedit*, sicut et antea.

4. *Modus.* Eleganter pro eo, quod vulgo *quantitatem* dicunt.

5. *Tatia.* Codices MSS. *Accia*, *Tuccia*, *Tussia*, *Taccia*, *Tacea*, *Tanctia*, *Tucia*, etc. Nihil certi. Perizonius conjicit *Fabia*. — *Maximam dotem.* Videsis Turnebi Adversar. lib. XVIII, 30.

6. *Megullia.* Codd. MSS. *Argulia*, *Mergulia*, itemque *Megulia*. Nihil certi. — *Quinquaginta.* Alii *quingentis*, qui numerus minus placet, quum nimis amplus sit pro ejus seculi paupertate: nam modum dotis maximæ millia decem tunc fuisse dicit auctor.

7. *Idem.* Nonnulli editores *ideo*. Male, contra MSS. fidem.

Digitized by Google

11. M. autem Scaurus[1] quantulam a patre hereditatem acceperit, in primo libro eorum, quos de vita sua scripsit, refert; ait enim, sibi decem[2] sola mancipia, totumque censum quinque atque triginta millium nummum relictum. In hac ille pecunia[3] futurus senatus princeps nutritus est spiritus.

Hæc igitur exempla respicere, his acquiescere solatiis debemus, qui parvulos census nostros nunquam querelis vacuos esse sinimus. Nullum, aut admodum parvi ponderis, argentum, paucos servos, septem jugera aridæ terræ, indigentia domestica impensa funera[4], inopes dotum filias, sed egregios consulatus, mirificas dictaturas, innumerabiles triumphos cernimus. Quid ergo mediam[5] fortunam, quasi præcipuum generis humani malum, diuturnis conviciis laceramus? quæ ut non abundantibus, ita fidis uberibus Poplicolas, Æmilios[6], Fabricios, Curios, Scipiones, Scauros, hisque paria robora virtutis aluit: exsurgamus potius animis, pecuniæque adspectu debilitatos spiritus, pristini temporis[7] memoria recreemus; namque per Ro-

1. *M. autem Scaurus.* Constat Scaurum suffragante virtute, exiguo censu non obstante, multis clarissimisque honoribus functum esse. — *Acceperit.* Vulgo *accepit.* Minus bene. — *Quos.* Tres fuisse libros Cicero in Bruto refert. Vid. Plin. XXXIII, 1.

2. *Decem.* Pro quo pauci codices habent *sex.*

3. *In hac ille pecunia.* Pighius edidit: *in hac penuria ille.* Sed nihil mutandum. *In hac pecunia* est, in hac tam exigua et parvula pecunia.

4. *Indigentia.... funera.* Pighius legit: *indigentia domi, publice impensa funera.* Alii legunt: *indigentia domesticæ impensæ funera.* Sed recepta Torrenii lectio plus habet auctoritatis, neque idoneo sensu destituitur: *domestica impensa* est casus sextus, qui ab *indigentia* regitur. Sensus: funera, quæ domestica impensa, id est, propria pecunia, efferri non potuerant. Respicit auctor ad Poplicolam et Menenium Agrippam.

5. *Mediam.* Multi MSS. *mendicam.* Passim et *modicam* legitur, quod Vorst. et Perizonius probant. Pighiani codd. *mediam.* — *Diuturnis.* Codd. aliquot *diurnis*, id est, quotidianis. Torrenius malit *durius*, quod in tribus codd. invenerat.

6. *Æmilios.* Coler. edidit *Ælios.* — *Robora virtutis.* Vid. Horatius, carm. I, od. 12.

7. *Pristini temporis.* Quum non-

Digitized by Google

muli casam, perque veteris Capitolii[1] humilia tecta, et æternos Vestæ focos, fictilibus etiamnunc vasis contentos, juro, nullas divitias talium virorum paupertati posse præferri.

CAPUT V.

De verecundia Romanorum.

1. Populi romani. — 2. C. Terentii Varronis cos. — 3. C. Cicereii candidati. — 4. L. Licinii Crassi candidati. — 5. Cn. Pompeii Magni procos. — 6. C. Julii Cæsaris dictatoris.

De verecundia externorum.

1. Spurinæ Hetrusci. — 2. Legatorum spartanorum.

VERECUNDIA.

A qua tempestivus ad verecundiam[2] transitus videtur; hæc enim justissimis viris præcepit, ut privatas facultates negligerent, publicas quam amplissimas esse cuperent: digna cui perinde atque cælesti numini exstruantur templa, aræque consecrentur; quia parens est omnis honesti consilii, tutela solennium officiorum, magistra innocentiæ, cara proximis, accepta alienis, omni loco, omni tempore favorabilem præ se ferens[3] vultum.

dum magnificentia et luxuria Roma se perderet.

1. *Veteris Capitolii.* Fuit, ut vult Lipsius, *vetus* et *novum*. Illud in regione sexta circi Flaminii a Numa constructum: hoc in regione octava fori rom. a Tarquinio Prisco. — *Vasis.* Vasa in sacris antiquitus non aurea aut argentea, sed fictilia fuisse, plures testantur. Vide Brodæi Misc. V, 19.

2. *Verecundiam.* Verecundia plerumque denotat eam virtutem, qua quis veretur reprobi quid dicere, aut committere; deinde sæpe etiam idem est, quod pudor (αἰδὼς) ac modestia. Eam Cicero custodem omnium virtutum recte appellat. Interdum vultum modestum, verecundiam oris, hac voce denotant. Vide Sueton. Domit. 18. Valerius arrogantiæ potissimum verecundiam opponere videtur, qua quis libenter cedit alteri. In nonnullis tamen exemplis abstinentiam quamdam a libidine (quæ proprie est pudor, pudicitia), honorisque, quibus digni afficiantur, testificationem hac voce significat.

3. *Præ se ferens.* In quatuor MSS.

Digitized by Google

1. Sed ut a laudibus ejus ad facta veniamus, a condita Urbe[1] usque ad Africanum et Ti. Longum coss. promiscuus senatui et populo spectandorum ludorum locus erat; nunquam tamen quisquam ex plebe ante patres conscriptos in theatro spectare sustinuit: adeo circumspecta nostræ civitatis verecundia fuit; quæ quidem certissimum sui documentum etiam illo die exhibuit, quo L. Flamininus extrema in parte theatri constitit; quia a M. Catone et L. Flacco censoribus senatu motus fuerat, consulatus jam honore defunctus, frater etiam T. Flaminini, Macedoniæ Philippique victoris: omnes enim eum transire in locum dignitati suæ debitum coegerunt.

2. Confregit rempublicam[2] Terentius Varro cannensis pugnæ temerario ingressu: idem delatam sibi ab universo senatu et populo dictaturam recipere non sustinendo, pudore culpam maximæ cladis redemit; effecitque, ut acies[3] Deorum iræ, modestia ipsius moribus imputaretur: itaque titulo imaginis[4] ejus speciosius non recepta dictatura, quam aliorum gesta, adscribi potest.

legitur: *præ se referens*. Scripsit fortan Valerius *præferens*, ut Velleius II, 27: *Victoris magis, quam morientis vultum præferens*, id est, præ se ferens. Cf. Tacit. Annall. XIII, 3; XIV, 57; XVI, 22. Sic quoque Curtius, Plinius, aliique hujus ætatis scriptores.

1. *A condita Urbe*, etc. An. U. 559 et 669. Livius, XXXIV, 54; XXXIX, 42. Conf. supra II, 9, 3. — *Promiscuus*. Sine ordinis seu dignitatis discrimine, plebeii patribus *permixti* spectabant. Primus autem, qui in spectandis ludis plebem a patribus *separavit*, fuit Scipio Africanus, qui hac re auram popularem, tot triumphis debitam, penitus amisit.

2. *Confregit rempublicam*, etc. An. U. 537. — *Terentius Varro*. Vide supra III, 4, 4. Alter consul superesse cladi non sustinuit; sed Varro majori erat constantia; quapropter ei gratiæ actæ a senatu, quod de republica non desperasset. Is vero postea barbam capillumque submisit, nec unquam recubans cibum sumpsit. Quum honores ei deferrentur, dixit: felicioribus magistratibus reipublicæ opus esse. Vide Front. IV, de Constantia.

3. *Acies*. Pighius reposuit *clades*. Frustra. Acies hic *prælium* significat, et sensus est, infelix prælium cannense deorum iræ imputatum fuisse.

4. *Titulo imaginis*. Imaginibus res gestæ adnotabantur.

Digitized by Google

3. Nos autem ad præclarum[1] verecundiæ opus transgrediamur: magna cum invidia fortuna prætoriis comitiis Africani superioris filium Cn. Scipionem, et scribam[2] Cicereium in campum deduxerat; utque nimis impotens sermone vulgi carpebatur, quod tanti viri sanguinem[3] clientelamque comitiali certamine confuderat: cæterum crimen ejus[4] in suam laudem Cicereius convertit; nam ut vidit, omnibus se centuriis Scipioni anteferri, templo[5] descendit, abjectaque candida toga competitoris sui suffragatorem agere cœpit; ut scilicet præturam melius Africani memoriæ concederet, quam sibi vindicaret; nec minimum est verecundiæ pretium[6]. Scipio tunc honorem adeptus est: Cicereio tamen magis gratulati sunt[7].

1. *Præclarum.* Pighius contra fidem MSS. edidit *præclarius.* Male. Vult enim tantum auctor, non diutius sibi inhærendum esse referendis iis, quæ titulis Terentii speciose adscribi possent, sed transeundum esse ad ea, quæ verecundia præclare præstitit. Nihilo tamen secius Colerus et Vorstius Pighianam lectionem sequuti sunt. — *Nos..... transgrediamur.* Anno Urbis 579. Confer supra librum III, cap. 5, § 1.

2. *Scribam.* Africani, patris Cn. Scipionis. Hic anno post Scipionem prætor fuit, et Sardiniam tenuit.

3. *Sanguinem.* Id est, filium. — *Clientelamque.* Clientem, ut servitium dicitur pro servo. — *Comitiali.* Quum in comitiis præturam uterque peteret.

4. *Crimen ejus.* Id est, culpam fortunæ.

5. *Templo.* Templum hoc loco est candidatorum locus in campo Martio. Campus ipse templum dicitur, tamquam Marti sacer. Proprie locum in cælo ab auguribus lituo consignatum, deinde omnem locum religiosum templum vocabant. — *Candida toga.* Qua, qui magistratum petebant, erant amicti, unde *candidati.* — *Agere.* Quidam libri *se agere;* sed pronomen illud facile potest abesse.

6. *Nec...pretium.* Sensus: pretium verecundiæ maximum est. Nam particula negandi cum superlativo conjuncta significat passim superlativum contrarium. Sic Cic. Orat. II, de leg. agrar. 35: *Non optimis viis*, id est, pessimis viis; Idem ad divers. IV, 5, 4: *Non pessime*, id est, optime; ac ibidem IV, 12, 1: *Non jucundissimum nuntium*, id est, tristissimum: eodemque modo complures alii bonæ notæ auctores loquuntur. Nonnulli codd. exhibent: *nec maximum;* alii: *nec non maximum*, pro nostro *nec minimum.* Passim legitur: *Nec maximæ verecundiæ pretio;* itemque: *Nec non etsi maximo*, etc. Nihil opus.

7. *Cicereio .... sunt.* Alii legunt:

Digitized by Google

4. Ac ne protinus comitiis abeamus, consulatum petens L. Crassus[1], quum omnium candidatorum more circum forum supplex populo ire cogeretur, nunquam adduci potuit, ut id præsente Q. Scævola, gravissimo et sapientissimo viro, socero suo, faceret; itaque rogabat eum, *ut a se, dum ineptæ*[2] *rei deserviret, discederet;* majorem verecundiam dignitatis ejus, quam candidæ togæ suæ respectum agens.

5. Pompeius autem Magnus[3] pharsalica acie victus a Cæsare, quum postero die Larissam intraret, oppidique illius universus populus obviam ei processisset, *Ite,* inquit, *et istud officium præstate victori.* Dicerem, non dignus qui vinceretur, nisi a Cæsare superatus esset[4]; certe modestus in calamitate[5]; nam quia dignitate sua uti jam non poterat, usus est verecundia.

6. Quam præcipuam[6] in Caio quoque Cæsare fuisse et sæpenumero apparuit, et ultimus ejus dies significavit; Compluribus enim parricidarum violatus mucronibus, inter ipsum illud tempus[7], quo divinus spiritus mortali dis-

tamen Cicereio magistratus lati sunt. Sed rectius alterum. Quum gratulari oportuerat eos Scipioni ob honorem acceptum, omnes magis gaudium suum declararunt Cicereio, eumque laudarunt, quod honore cessisset Scipioni.

1. *L. Crassus.* An. U. 658. Cic. de Orat. I, 24. — *Q. Scævola.* Filius *P. Scævolæ* jurisperiti, a quo Cicero juris civilis scientiam accepit.

2. *Ineptæ.* Ineptum et indignum videri poterat, quod viri patricii cogerentur, se subjicere plebeiis. Sic certe Cicero. Candidatos, ut idem dicit, oportebat populum ambire, id est, quemque eorum, qui suffragia dabant, manu prensare atque orare, ut sibi suffragium præstaret. Vide Senec. ep. 118. Unde Cicer. pro Mur. 72: *Miserrima est omnino ambitio, honorumque contentio.* — *Deserviret.* Pro *inserviret,* quod novem MSS. habent.

3. *Pompeius autem magnus.* An. U. 705. Dionys. 42; Lucan. VII, 720.

4. *Non dignus.....esset.* Simile quid habet Justin. XI, 12, de Dario.

5. *Certe modestus in calamitate.* Sugillat Pompeii superbiam in rebus secundis. Valerium magis esse Cæsarianum, quam Pompeianum, ubique animadvertas.

6. *Quam præcipuam,* etc. An. U. 709. Vide Sueton. in vita Cæs. c. 82. Nonnulli codd. MSS. *quam præcipue.*

7. *Inter ipsum illud tempus,* pro: *ipso illo tempore,* vel: *in ipso,* etc.

Digitized by Google

cernebatur a corpore, ne tribus quidem et viginti vulneribus, quin verecundiæ obsequeretur, absterreri potuit; siquidem utraque togam manu demisit, ut inferior[1] pars corporis tecta collaberetur: in hunc modum non homines exspirant, sed dii immortales sedes suas repetunt.

VERECUNDIA EXTERNORUM.

1. Quod sequitur externis adnectam, quia ante gestum est, quam Hetruriæ civitas daretur[2]: excellentis in ea regione pulchritudinis adolescens nomine Spurina, quum mira specie complurium feminarum illustrium sollicitaret oculos, ideoque viris ac parentibus earum se suspectum esse sentiret, oris decorem vulneribus confudit[3], deformitatemque sanctitatis suæ fidem, quam formam irritamentum alienæ libidinis esse maluit.

2. Athenis quidam[4] ultimæ senectutis, quum spectatum ludos in theatrum venisset, eumque nemo e civibus sessum reciperet, ad Lacedæmoniorum legatos forte pervenit; qui hominis ætate moti, canos ejus et annos assurgendi officio venerati sunt, sedemque ei inter ipsos honoratissimo loco dederunt: quod ubi fieri populus adspexit,

Nam *inter* sæpe pro *in* usurpatur; ut III, 2, 24; VI, 2, 9. — *Discernebatur*. Discernere hoc loco est separare, dividere. Unde *discerniculum*, id est acus, qua mulierum capilli ante frontem separantur. Quatuor codd. *secernebatur*.

1. *Inferior pars*. Sic omnes MSS. et edd. Solus cod. Cauchianus: *inferiori parte*. Conf. Plin. IV, 11; Ovid. Metam. XIII, 479; Fast. II, 833; Eurip. Hecub. 568.

2. *Quam ... daretur*. Antequam Hetrusci cives romani fierent.

3. *Oris...confudit*. Pulchritudinem sibi ademit, qua in re stulte egit: poterat enim faciliori modo, quam dissecto quasi nodo, vitia et illecebras vitare. Cf. infra VIII, 7, ext. 7; Curt. VIII, 3, 13; Lucan. VII, 575. Quatuor MSS. *confodit*; frustra.

4. *Athenis quidam*, etc. Vide Cic. in Catone, c. 18; Plut. Apophth. II, pag. 235. Inter barbaros fere ubique senectuti suus est honos; item id cultarum gentium est. Sed simul ac depravantur, hæc quoque senum verecundia cum cæteris virtutibus paulatim minuitur.

Digitized by Google

maximo plausu alienæ urbis verecundiam comprobavit. Ferunt tunc unum e Lacedæmoniis dixisse : « Ergo Athenienses, quid sit rectum, sciunt; sed id facere negligunt. »

CAPUT VI.

De amore conjugali, cujus exempla romana sunt.

1. Ti. Gracchus major. — 2. C. Plautius Numida. — 3. M. Plautius. — 4. Julia C. F. Cn. Magni. — 5. Porcia M. F. M. Bruti.

De amore conjugali, cujus exempla externa.

1. Artemisia Mausoli regis. — 2. Hypsicratea Mithridatis regis. — 3. Lacænæ Minyarum.

DE AMORE CONJUGALI, CUJUS EXEMPLA ROMANA SUNT.

A placido[1] et leni affectu ad æque honestum, verum aliquanto ardentiorem et concitatiorem, pergam, legitimique amoris quasi quasdam imagines, non sine maxima veneratione contemplandas, lectoris oculis subjiciam; valenter inter conjuges stabilitæ fidei opera percurrens, ardua imitatu, cæterum cognosci utilia : quia excellentissima animadvertenti, ne mediocria quidem præstare, rubori oportet esse.

1. Ti. Gracchus[2], anguibus domi suæ mare ac femina apprehensis, certior factus ab aruspice, mare dimisso, uxori ejus; femina, ipsi celerem obitum instare : salutarem conjugi potius, quam sibi, partem augurii sequutus, marem necari, feminam dimitti jussit; sustinuitque in conspectu suo se ipsum interitu serpentis occidi[3]. Itaque

1. *A placido.* Codd. Leid. et Ultraj. sec. delent præpositionem; sed vix abesse potest. — *Contemplandas.* Passim *contemplanda.* Male. Nam *contemplandas* optime refertur ad vocab. proxime superius *imagines.*

2. *Ti. Gracchus.* Vid. Plutarch. in Gracchis; Cic. de Div. I, 18; II, 29; Plin. VII, 36. Cf. supra I, 6, 8.

3. *Sustinuitque ..... occidi.* Non

Digitized by Google

Corneliam nescio utrum feliciorem dixerim, quod talem virum habuerit, an miseriorem, quod amiserit. O te, Thessaliæ rex, Admete[1], crudelis et diri facti crimine sub magno judice damnatum! qui conjugis tuæ fata pro tuis permutari passus es, eaque, ne tu exstinguereris, voluntario obitu consumpta, lucem intueri potuisti! et certe prius parentum indulgentiam tentaveras, femineo animo impar inventus[2].

2. Vilior Graccho iniquæ fortunæ victima, quamvis senatorii vir ordinis C. Plautius Numida, sed in consimili amore par exemplum; morte enim uxoris audita, doloris impotens, pectus suum gladio percussit; interventu deinde domesticorum inceptum exsequi prohibitus, colligatusque[3], ut primum occasio data est, scissis fasciis, et vulnere divulso, constanti dextera spiritum luctus acerbitate permixtum ex ipsis præcordiis et visceribus hausit; tam violenta morte testatus, quantum maritalis flammæ illo pectore clausum habuisset.

3. Ejusdem ut nominis, ita amoris quoque M. Plautius[4]; nam quum imperio senatus classem sociorum sexaginta

quod cum illo statim exstinctus sit, sed quod paulo post se moriturum ex augure didicerat.

1. *Admete.* Is quum gravi morbo conflictaretur, Apollinem de salute consuluit. Responsum est illi, ita vivere ipsum posse, si quempiam inveniret, qui mori pro ipso vellet. Tentatis igitur omnibus propinquis, amicis, clientibus et ipsis denique servis, sola uxor inventa, quæ pro eo mortem subire vellet. Nomen huic *Alcestis;* fuitque Peliæ, Thessaliæ regis, filia. Hanc Plato a Diis immortalibus meruisse affirmat, ut ab inferis revocaretur ad superos.

2. *Femineo ... inventus.* Admetus enim nec pro parentum, conjugis et amicorum salute, quos pro se mori sollicitaverat, nec pro sua necessitate, quum semel esset moriendum, mori voluit.

3. *Colligatusque.* Colligatus dicitur, quia vulnus, quod ipse sibi intulerat, a domesticis obligatum fuit. Dicunt et *alligare vulnus.* Vide Justin. XV, 3, 13. Simili ratione Cato Uticensis inceptum exsequi primo a suis est impeditus, quorum tamen precibus non cessit. — *Fasciis.* Linteis obligaculis.

4. *Ejusdem.....M. Plautius.* Contigit hoc confecto bello macedonico, quo Romani auxiliis Asiæ, utpote sociorum, usi fuerant.

Digitized by Google

navium in Asiam reduceret, Tarentumque appulisset, atque ibi uxor ejus Orestilla, quæ illuc eum prosequuta fuerat, morbo pressa decessisset, funerata ea, atque in rogum imposita, inter officium unguendi[1] et osculandi stricto ferro incubuit: quem amici, sicut erat, togatum et calceatum corpori conjugis junxerunt, ac deinde subjectis facibus utrumque una cremaverunt. Quorum ibi factum sepulcrum Tarenti[2] etiamnunc conspicitur, quod vocatur ΤΩΝ ΦΙΛΟΥΝΤΩΝ; nec dubito, quin, si quis modo exstinctis sensus inest, Plautius et Orestilla, fati consortione gestientes vultus tenebris intulerint: sane ubi idem et maximus et honestissimus amor est, aliquanto præstat morte jungi, quam vita distrahi.

4. Consimilis affectus[3] Juliæ, C. Cæsaris filiæ, annotatus est; quæ quum[4] ædilitiis comitiis Pompeii Magni conjugis sui vestem cruore respersam e Campo domum relatam vidisset, territa metu, ne qua ei vis esset allata, exanimis concidit, partumque, quem utero conceptum habebat, subita animi consternatione et gravi dolore corporis ejicere coacta est, atque ita exspiravit: magno quidem cum totius terrarum orbis detrimento[5], cujus tranquillitas tot civilium bellorum truculentissimo furore perturbata

1. *Inter officium unguendi.* Apud majores nobilliorum cadavera pretiosis unguentis deliniebantur, et in rogis multa simul aromata ad pellendum fœtorem cremabantur cum corporibus.

2. *Tarenti.* Delendum censet Lipsius, quia de hac urbe statim ante sermo fuit, et *ibi* additum est. At potest ferri, si vocem *ibi* interpreteris de eo loco, ubi Plautius et Orestilla cremati sunt.

3. *Consimilis affectus*, etc. An. U. 699. Vellei. II, 47; Flor. IV, 2, 13.

4. *Quæ quum*, etc. Quidam homines factiosi conseruerant manus, et nonnulli circa Pompeium etiam ceciderant; quare cruore adspersus vestes mutavit Pompeius, et cruentatas domum misit. — *Campo.* Sic κατ' ἐξοχὴν dicitur *campus Martius.* — *Partumque. ejicere.* Non *abigere*, quod passim legitur. Nam *abigitur* partus *consulto*, ut plurimum medicamentis; *ejicitur* vero *violenter*, quod Juliæ accidisse ait Valerius.

5. *Magno ..... detrimento.* Si enim filia illa Cæs., quæ Pompeio nupta fuerat, superstes mansisset, vix illud belli civilis incendium exarsisset.

Digitized by Google

non esset, si Cæsaris et Pompeii concordia communis sanguinis vinculo constricta mansisset.

5. Tuos quoque castissimos ignes, Porcia, M. Catonis filia, cuncta secula debita admiratione prosequentur[1], quæ quum apud Philippos victum[2] et interemptum virum tuum Brutum cognosceres, quia ferrum non dabatur, ardentes ore carbones haurire non dubitasti, muliebri spiritu virilem patris exitum imitata; sed nescio an hoc fortius, quod ille usitato, tu novo genere mortis absumpta es.

DE AMORE CONJUGALI, CUJUS EXEMPLA EXTERNA.

1. Sunt et[3] alienigeni amores justi, obscuritate ignorantiæ non obruti : e quibus paucos attigisse satis erit. Gentis Cariæ regina Artemisia virum suum Mausolum fato absumptum quantopere desiderarit, leve est[4], post conquisitorum omnis generis honorum, monumentique usque ad septem miracula provecti magnificentiam, argumentari. Quid enim aut eos colligas[5], aut de illo inclyto tumulo loquare, quum ipsa Mausoli vivum ac spirans se-

— *Communis sanguinis vinculo.* Affinitate.

1. *Tuos ..... prosequentur.* An. U. 711. Dionys. 47; Plutarch. in Brut.; Appian. Bell. Civ. IV.

2. *Victum.* Ab Antonio et Octaviano. — *Ardentes.... dubitasti.* Vide supra III, 21, 4; et III, 2, 15. — *Patris exitum.* Nempe M. Catonis Uticensis.

3. *Sunt*, etc. Vide Gell. X, 18; Cic. Tusc. III, 3; Vitruv. II, 9; Plin. XXVI, 5. — *Amores justi.* In codd. aliquot *amoris cineres usti*, in quo, quamquam duriusculo, Valerium tamen agnovit Lipsius. Sed nihil mutandum. Amores justi sunt, *qui ex justo matrimonii vinculo proficiscuntur, ac fide conjugali nituntur.*

4. *Leve est.* Facile est intellectu. — *Post.* Elegans usus voculæ *post*, ut causam significet, ex qua colligere aliquid liceat. Sic habet Sall. in B. J., *post magnitudinem nominis romani;* sic Justin. I, 6, *post necessitatem pugnandi*, id est, quia necesse fuit. — *Monumentique.* Scil. Mausolei, quod describit Plin. loco citato. Quinque præstantissimi artifices, Scopas, Briaxis, Timotheus, Leochares et Pythis, illud mira arte construxere in altitudinem triginta quinque cubit. et cinxerunt columnis triginta sex : toto circuitu habuit pedes quadringentos undecim. Inter septem orbis terrarum miranda relatum est.

5. *Quid enim aut eos colligas*, scil.

Digitized by Google

pulcrum fieri concupierit, eorum testimonio, qui illam exstincti ossa potioni adspersa bibisse tradunt?

2. Hypsicratea[1] quoque regina Mithridatem conjugem suum effusis caritatis habenis amavit, propter quem præcipuum formæ suæ decorem in habitum virilem convertere, voluptatis loco habuit. Tonsis enim capillis, equo se et armis assuefecit, quo facilius laboribus et periculis ejus interesset; quin etiam victum a Cn. Pompeio per efferatas gentes fugientem, animo pariter et corpore infatigabili sequuta est: cujus tanta fides asperarum atque difficilium rerum Mithridati maximum solatium et jucundissimum lenimentum fuit; cum domo enim et penatibus vagari se credidit, uxore simul exsulante.

3. Verum quid Asiam, quid Barbariæ immensas solitudines, quid latebras Pontici sinus scrutor, quum splendidissimum totius Græciæ decus Lacedæmon[2], præcipuum uxoriæ fidei specimen tantum non nostris ostentet oculis, plurimis et maximis patriæ suæ laudibus admiratione facti comparandum?

Minyæ[3], quorum origo ex inclyto sociorum Jasonis nu-

honores; ut sensus sit: non opus est in testimonium amoris Artemisiæ erga maritum conquirere honores, quibus eum affecit, etc. — *Qui illam....tradunt.* Suidas phthisi, Cicero mærore tandem eam contabuisse narrant.

1. *Hypsicratea.* An. U. 687. Vide Plut. in Pompeio, qui Hypsicrateam, non conjugem, sed pellicem Mithridatis fuisse scribit. *Hysicratea, Hipsicretea, Ispicratea, Hipsitracia*, aliisque nominibus compluribus insignitur in codd. MSS. Ex Plut. nomen restituimus. — *Effusis caritatis habenis.* Late se extendente caritate. De muliebri amore legi etiam merentur, quæ refert de Aspasia Ælian. XII, 1.

2. *Lacedæmon.* Subactis enim Atheniensibus Spartani fuerunt Græcorum principes. — *Tantum non.* Expunxit Pighius: verum minime otiosæ sunt istæ voculæ. Non vult Valerius, Lacedæmonem fidei uxoriæ specimen oculis nostris revera ostentare; sed *tantum non*, id est, *fere* id facere. Hypotyposis est, ut perinde sit, ac si oculis usurparemus.

3. *Minyæ.* Vid. Herodot. IV, 146. *Minyæ*, e populo Thessaliæ, una cum Jasone et Argonautis in Colchos navigarant, ad aureum vellus

Digitized by Google

mero Lemniorum in insula concepta, per aliquot seculorum vices stabili in sede manserat, a pelasgis expulsi armis, alienæ opis indigi, excelsa Taygetorum montium juga supplices occupaverant. Quos spartana civitas respectu[1] Tyndaridarum (namque in illo nobilis famæ navigio[2] destinatum sideribus par fratrum fulserat), deductos inde legibus commodisque suis immiscuit; sed hoc tantum beneficium in injuriam bene meritæ urbis, regnum affectantes, verterunt: igitur publicæ custodiæ inclusi, capitali asservabantur supplicio. Quod quum, vetere instituto Lacedæmoniorum, nocturno tempore passuri essent, conjuges eorum, illustris ibi sanguinis, velut alloquuturæ[3] perituros viros, impetrato a custodibus aditu, carcerem intraverunt; commutataque veste[4], per simulationem doloris velatis capitibus, eos abire passæ sunt. Hoc loco quid aliud adjecerim, quam dignas fuisse, quibus Minyæ nuberent?

auferendum. — *Lemniorum in insula.* Ubi ab Hypsipyle, regina Lemni, benigne sunt excepti. — *Taygetorum.* Montes hi Laconiæ sunt Lacedæmonem inter et mare. Occupaverant quidem montes, sed Spartanos tamen supplices, ne pellerentur, oravere.

1. *Respectu.* Codd. MSS. aliquot addunt *recepit.* Potest commode abesse. Parenthesis, post *Tyndaridarum* inchoanda, quum efficeret, ut præcedens periodus videretur claudicare, causam præbuit, ut intruderetur. — *Tyndaridarum.* Castoris et Pollucis, qui sunt *par fratrum*, hædorum Chaldaicorum loco, sub gemellorum nomine, in sideribus collocatum.

2. *Nobilis famæ navigio.* Argo, unde Argonautæ. — *Commodisque.* Commoda sunt privilegia, jura.

3. *Alloquuturæ.* Alloqui pro consolari, valedicere.

4. *Commutataque veste.* Simile de Theopompo refert Quintil. II, 17.

Digitized by Google

CAPUT VII.

De amicitiæ vinculo, quo juncti Romani.

1. Ti. Sempronius Gracchus cum C. Blosio. — 2. C. Sempronius Gracchus cum Pompeio et Lætorio. — 3. L. Rheginus cum Q. Servilio Cæpione. — 4. T. Volumnius cum M. Lucullo. — 5. L. Petronius cum P. Cælio. — 6. Serv. Terentius cum D. Bruto. — 7. C. Lælius cum Scipione, et M. Agrippa cum Augusto.

De amicitiæ vinculo, quo juncti Externi.

1. Damon cum Phintia. — 2. Alexander Magnus cum Hephæstione.

DE AMICITIÆ VINCULO, QUO JUNCTI ROMANI.

Contemplemur nunc amicitiæ vinculum, potens et prævalidum, neque ulla ex parte sanguinis viribus inferius: hoc etiam certius et exploratius, quod illud nascendi sors, fortuitum opus; hoc uniuscujusque solido judicio incoacta[1] voluntas contrahit. Itaque celerius sine reprehensione propinquum aversere, quam amicum: quia altera diremptio iniquitatis, altera utique levitatis crimini subjecta est[2]. Quum enim deserta sit futura vita hominis[3] nullius amicitiæ cincta præsidio, tam necessarium subsi-

1. *Incoacta*. Id est, spontanea seu libera. Duodecim MSS. *inchoata*, ut significet voluntatem a solido animi judicio profectam.

2. *Itaque celerius ..... subjecta est.* Totam hanc periodum interpolatam esse suspicantur interpretes. Pigh. ex MSS. quibusdam edidit: *celerius est.... avertere*; sed plurimi codd. illud *est* non agnoscunt. Pro *aversere* multi codd. omnino habent *avertere*; at sunt quoque, qui exhibeant *aversare*. Quidam addunt *potes*, vel *poteris*. Pro *diremptio* alii legunt *direptio*, alii *desertio*, verbisque *iniquitatis* et *levitatis* præponunt *utique*. Verum sive *diremptio*, sive *direptio* aut *desertio* eligas, sive cum Lipsio legas *defectio*, non evanescit difficultas, quomodo crimen *levitatis* magis reprehendendum dici queat, quam *iniquitatis* crimen; id quod tamen Valerius dixisse videtur. Torrenius itaque corrigit: *diremptio iniquitatis, altera utique et levitatis*; prius *utique* a librariis ortum esse credens. Kappius malit: *altera diremptio utique iniquitatis, altera quoque levitatis*, etc.; ut diremptio amicitiæ non modo iniquitatis, verum etiam levitatis crimen sit. Codd. MSS. plurimi geminant *utique*.

3. *Quum ..... hominis.* De quæstione: an amicitia a natura, an ab

Digitized by Google

dium temere assumi non debet; semel autem recte apprehensum, sperni non convenit. Sinceræ vero fidei amici præcipue in adversis rebus cognoscuntur: in quibus quidquid præstatur, totum a constanti benevolentia proficiscitur. Felicitatis cultus majore ex parte adulationi, quam caritati erogatus, certe suspectus est[1], perinde ac si plus semper petat, quam impendat. Accedit huc, quod infractæ fortunæ homines[2] magis amicorum studia desiderant, vel præsidii, vel solatii gratia; nam læta quidem et prospera negotia, utpote cum divina suffragatione foveantur, humana minus indigent: tenacius igitur eorum nomina posteritatis memoria apprehendit, qui adversos amicorum casus non deseruerunt, quam qui prosperum vitæ cursum comitati sunt; nemo de Sardanapali[3] familiaribus loquitur; Orestes Pylade[4] pæne amico, quam Agamemnone patre notior est. Siquidem illorum amicitia in consortione deliciarum et luxuriæ contabuit; horum, duræ atque asperæ conditionis solatium, ipsarum miseriarum experimento enituit; sed quid externa attingo, quum domesticis prius liceat uti?

1. Inimicus patriæ fuisse Tib. Gracchus[5] existimatus est, nec immerito, quia potentiam suam saluti ejus prætulerat; quam constantis tamen fidei amicum etiam in hoc

imbecillitate humana orta sit? audi Ciceronem disputantem in Lælio.

1. *Erogatus, certe suspectus est.* In ed. Mog. legitur: *erogatur. Certe suspectus est;* quam lectionem, in qua est elegans epanorthosis, Torrenius præfert. Affirmaverat auctor, *cultum felicitatis erogari potius adulationi, quam caritati;* sed advertens, id tamen non stricte de omnibus, qui colunt felices, dici posse, revocat se, et inquit, *certe suspectum esse istum cultum, perinde ac si,* etc.

2. *Infractæ fortunæ homines.* Qui maxime adversa fortuna premuntur. Infractæ est *admodum fractæ.*

3. *Sardanapali.* Quem mollem et effeminatum Arbactus seu Arbaces, Mediæ præfectus, victum, regno et vita simul excedere coegit.

4. *Orestes Pylade.* Pylades pro Oreste, quem simulacrum Palladis cum sorore Iphigenia ex Tauride ablaturum rex occidere voluit, mori fuit paratus, seque Orestem simulavit esse. De quibus Cic. in Læl. Alii aliter rem narrant.

5. *Tib. Gracchus.* Anno U. 621. Cicero in Lælio cap. 11; Plutarchus in Gracchis.

Digitized by Google

tam pravo proposito C. Blosium cumanum[1] habuerit, operæ pretium est cognoscere. Hostis judicatus, ultimo supplicio affectus, sepulturæ honore spoliatus, benevolentia tamen ejus non caruit; nam quum senatus Rupilio et Lænati consulibus mandasset, « ut in eos, qui cum Graccho consenserant, more majorum animadverterent; » et ad Lælium, cujus consilio præcipue consules utebantur, pro se Blosius deprecatum venisset, familiaritatisque excusatione uteretur, atque is dixisset, « Quid si te Gracchus templo Jovis Opt. Max. faces subdere jussisset, obsequuturusne voluntati illius, propter istam, quam jactas, familiaritatem, fuisses[2]?» «Nunquam istud, inquit, Gracchus imperasset. » Satis, immo etiam nimium; totius namque senatus consensu damnatos mores defendere ausus est. Verum quod sequitur, multo audacius, multoque periculosius: compressus enim perseveranti interrogatione Lælii[3], in eodem constantiæ gradu stetit, « seque etiam hoc, si modo Gracchus annuisset, facturum respondit. » Quis illum sceleratum putasset fuisse, si tacuisset? quis non etiam sapientem, si pro necessitate temporis loquutus esset? At Blosius nec silentio honesto, nec prudenti sermone salutem suam, ne qua ex parte infelicis amicitiæ memoriam desereret, tueri voluit.

2. In eadem domo æque robusta constantis amicitiæ exempla oboriuntur. Prostratis enim jam et perditis C. Gracchi consiliis rebusque[4], quum tota ejus conspiratio

1. *Cumanum.* Alii *campanum* legunt. Quum Cumæ juxta Baias sint urbs Campaniæ, quum cumanus esset, etiam campanus dici potuit. Cæterum Graccho cæso contulit se Blosius ad Aristonicum, qui tunc Asiæ regnum affectabat, Romanorum hostis factus. Cujus rebus desperatis ipse quoque sibi mortem conscivit.

2. *Fuisses.* MSS. multi exhibent *fuisti.*

3. *Interrogatione Lælii.* A Plutarcho dicitur interrogatus a Nasica. — *Seque.....respondit.* Quod impia et scelestissima fuisset gratificatio. Nam amici potius a sceleribus deducendi sunt, et patriæ caritas majoris debet esse, quam amicitia.

4. *Prostratis.....rebusque*, etc. An.

Digitized by Google

late quæreretur, desertum omni auxilio, duo tantum amici, Pomponius et Lætorius ab infestis et undique ruentibus telis, oppositu corporum suorum texerunt; quorum Pomponius, quo is facilius evaderet, concitatum sequentium agmen in porta Trigemina[1] aliquamdiu acerrima pugna inhibuit: nec vivus pelli potuit, sed multis confectus vulneribus, transitum eis super cadaver suum, credo, etiam post fata invitus, dedit: Lætorius autem in ponte Sublicio constitit, et eum, donec Gracchus transiret, ardore spiritus sui sepsit; ac vi jam multitudinis obrutus, converso in se gladio, celeri saltu profundum Tiberis petiit; quamque in eo ponte caritatem toti patriæ Horatius[2] Cocles exhibuerat, unius amicitiæ, adjecta voluntaria morte, præstitit. Quam bonos Gracchi, si aut patris aut materni avi[3] sectam vitæ ingredi voluissent, habere milites potuerant! Quo enim impetu, qua perseverantia animi, Blosius, et Pomponius, et Lætorius tropæa ac triumphos eorum adjuvissent, furiosi conatus tam strenui comites! sinistris quidem auspiciis[4] amicitiæ conditionem sequuti; sed quo miseriora, hoc certiora fideliter cultæ nobilitatis exempla.

3. L. autem Rheginus[5], si ad debitam publico ministerio sinceritatem exigatur, posteritatis convicio lacerandus:

U. 632. Plut. in Gracch. Oros. V, 12. — *Tantum*. Pro quo passim legitur *tamen*; haud male. — *Lætorius*. A Plutarcho vocatur *Licinus*. Forte dictus fuit Lætorius Licinus. In codd. MSS. sex dicitur *Lectorius*. — *Undique ruentibus telis*. Codd. MSS. *rubentibus*, scilicet sanguine. Male, ob adjectum adverbium *undique*, id est, ab omnibus locis, convolantibus.

1. *Porta Trigemina*. Sic Romæ porta quædam dicta, per quam *tergemini* fratres *Horatii* exierunt adversus *Curiatios*, de summa imperii certaturi. Dicta etiam *Ostiensis*. Cf. Plin. Hist. nat. XXXIV, 5; Liv. IV, 16.

2. *Horatius Cocles*. Vide supra III, 2, 1.

3. *Materni avi*. Scipionis superioris, cujus filia fuit Cornelia, Gracchorum mater.

4. *Sinistris quidem auspiciis*. Infaustis inceptis, quia malum sortita sunt exitum.

5. *L. autem Rheginus*. Tribunus plebis an. U. 658.

Digitized by Google

si amicitiæ fido[1] pignore æstimetur, in optimo laudabilis conscientiæ portu relinquendus est. Tribunus enim plebis Cæpionem[2] in carcerem conjectum, quod illius culpa exercitus noster a Cimbris et Teutonis videbatur deletus, veteris arctæque amicitiæ memor publica custodia liberavit: nec hactenus[3] amicum egisse contentus, etiam fugæ ejus comes accessit. Pro magnum et inexsuperabile tuum numen, Amicitia! quum ex altera parte respublica manum injiceret, ex altera tua illum dextera traheret; et illa, ut sacrosanctus esse vellet[4], exigeret; tu exsilium indiceres: (adeo blando uteris imperio!) supplicium honori[5] prætulit.

4. Admirabile hoc opus tuum; sed quod[6] sequitur, aliquanto laudabilius: recognosce enim, quousque T. Volumnii[7] constantem erga amicum suum caritatem sine

1. *Amicitiæ fido.* Passim *amicitiæ fidæ*. Quod non spernendum.

2. *Cæpionem.* Q. Manlius cos. et Q. Serv. Cæpio procos. a Cimbris prælio victi, castrisque exuti sunt; et octoginta millia militum occisa. Hinc Cæpio damnatus. Dies quo commissa est pugna, nefastus habitus. Sed hic Cæpio tamen Viriatum in Hispania tandem devicit, qui per viginti tres annos romanam virtutem exercuerat. Vide Cic. de Orat. II, 47, 48, 49; Justin. XXXII, 3, 10; Gell. III, 9; infra VI, 9, 13. — *Cimbris et Teutonis.* Sallustius adversus *Gallos* male pugnatum memorat. *Galli* enim cum *Germanis* haud raro apud Veteres confunduntur: et Tigurini Ambronesque, qui isti bello interfuerunt, Gallis revera annumerantur. Nonnulli habent *Teutonibus* itemque *Theutonibus;* quidam et *Teutonicis.*

3. *Hactenus.* Vulgo *eatenus;* sed *hactenus* rescripsit Torrenius jubentibus MSS., eamdemque lectionem sequuntur novissimi editor. Kappius et Helfrechtus. — *Fugæ .... accessit.* Q. Cæpio exsulavit Smyrnæ, Vide Cic. pro Balbo c. 11.

4. *Ut... vellet.* Ut rationem haberet patriæ, neque ei quicquam anteferret; præsertim ut tribunus plebis. Hi tribuni autem *sacrosancti*, id est, inviolabiles habebantur.

5. *Supplicium honori prætulit.* Sic Lipsius conjecerat, atque hanc lectionem primus in textum recepit Vorstius, quem deinde Torrenius, Kappius et Helfrechtus sequuti. Vulgo: *quod is supplicium honori prætulerit;* junctura parum latina purave.

6. *Quod sequitur.* Anno Urbis conditæ 711.

7. *T. Volumnii.* Prænomen *Titi* Pighius restituit e cod. Cauchiano. A cæteris abest. — *Constantem erga amicum suum caritatem.* In codice Leidensi prim. est *constantiam*, prætermissis quatuor sequentibus vocibus.

Digitized by Google

ulla reipublicæ injuria evexeris : qui ortus equestri loco, quum M. Lucullum[1] familiariter coluisset, eumque M. Antonius, quia Bruti et Cassii partes sequutus fuerat, interemisset, in magna fugiendi licentia, exanimi amico adhæsit; hucusque in lacrimas et gemitus profusus, ut nimia pietate causam sibi mortis arcesseret; nam propter præcipuam et perseverantem lamentationem ad Antonium pertractus[2] est, cujus postquam in conspectu stetit, « Jube me, inquit, imperator, protinus ad Luculli corpus perductum occidi. Neque enim absumpto illo superesse debeo, quum ei infelicis militiæ[3] auctor exstiterim. » Quid hac fidelius benevolentia? mortem amici, hostis odio levavit; vitam suam consilii[4] crimine adstrinxit: quoque illum miserabiliorem[5] redderet, se fecit invisiorem. Nec difficiles Antonii aures habuit : ductusque, quo voluerat, Luculli dextram avide osculatus, caput, quod abscissum[6] jacebat, sublatum pectori suo applicavit; ac deinde demissam cervicem victoris gladio præbuit. Loquatur Græcia Thesea[7], nefandis Pirithoi amoribus subscribentem, Ditis se patris regnis commisisse; vani est istud narrare, stulti credere Mixtum cruorem amicorum, et vulneribus innexa

cap. 71, § 2, p. 183 nostræ edit.

1. *Lucullum.* Vid. Velleium lib. II. Notandum, *Lucullum* et Varronem eumdem esse, et quidem istum Varronem dictum, quod ejus pater a M. Ter. Varrone adoptatus erat, nomenque Varronis ad filium transmiserat. Velleius loco citato tamen Varronem a Lucullo distinguere videtur. — *Licentia.* Facultate.

2. *Pertractus.* Passim *protractus*, passimque *perductus*. Perinde est.

3. *Militiæ.* Alii : *amicitiæ.*

4. *Consilii.* Dati Lucullo.

5. *Miserabiliorem.* Alii malunt: *mirabiliorem.* Sed *miserabiliorem* plurima habent exemplaria, et sententia erit illustrior.

6. *Abscissum.* Nonnulli *abscisum*, frequenti commutatione. — *Sublatum.* Pighius dedit *sublevatum.* Minus bene. Nam *sublevari* potius dicuntur, qui humi prostrati eriguntur. Conf. infra V, 1, ext. 4.

7. *Thesea.* Theseum, filium Ægei, Athenarum regis, finxerunt una cum Pirithoo, qui Proserpinam, Cereris filiam, Plutonis conjugem, deperierit, ad hanc rapiendam ad inferos descendisse. Ambo capti dicuntur, et Theseus tandem ab Hercule liberatus. Si Pluto fuit rex Molosso-

Digitized by Google

vulnera[1], mortemque morti inhærentem videre; hæc sunt[2] vera romanæ amicitiæ indicia: illa gentis ad fingendum paratæ monstro similia mendacia.

5. L. quoque Petronius[3] hujusce laudis consortionem merito vindicat; pari etenim inclytæ amicitiæ ausu par gloriæ portio asserenda est[4]. Admodum humili loco natus, ad equestrem ordinem, et splendidæ militiæ stipendia, P. Cælii beneficio pervenerat; cui gratum animum, quia in læta materia exhibere non contigerat, in ea quam iniquam fortuna esse voluit, cum multa fide præstitit. Erat ab Octavio consule Placentiæ præpositus Cælius; qua a Cinnano exercitu capta, et senior jam, et gravi valetudine affectus, ne in potestatem hostium veniret, ad auxilium dextræ Petronii confugit: quem is ab incepto consilio frustra conatus abstrahere, in iisdem perseverantem precibus interemit, cædique ejus suam junxit; ne eo jacente, per quem omnia dignitatis incrementa assequutus fuerat, superesset. Ita alterius fato verecundia, alterius pietas causam præbuit[5].

6. Jungendus est Petronio Ser. Terentius[6], quamquam ei, sicut cupierat, pro amico suo perire non contigit; incepto namque egregio, non irrito eventu, æstimari debet,

rum, fabula facilior erit explicitu.

1. *Vulneribus innexa vulnera.* Quia adjuncta sunt vulnera posterius cæsi ad vulnera prius cæsi.

2. *Sunt.* Deest apud Aldum aliosque.

3. *L. quoque Petronius*, etc. An. U. 666. Contigit, quum Cinna et Marius post exsilium Placentiam urbem oppugnarent. Nam quum recepti ingrederentur urbem, eamque velut captam cædibus ac rapinis vastarent, Octavius una cum aliis adversariæ factionis nobilibus occisus est.

4. *Pari.....asserenda est.* Sensus: Petronius sibi vindicare potest parem gloriæ portionem, etc. Pro *asserenda* plurimi codd. MSS. exhibent *auferenda*, quod Torrenius et Kappius ediderunt.

5. *Ita alterius.....præbuit.* Pighius ex uno cod. Wincheliano pro *verecundia* edidit *magnanimitas*; quasi non et verecundia causam fato præbuisse dici possit.

6. *Ser. Terentius.* An. U. 710. Vide Dion. 46, qui Terentium vocat *Elbium Blasium*, remque multo aliter narrat.

Digitized by Google

quia quantum in illo fuit, et ipse exstinctus est, et D. Brutus periculum mortis evasit, qui fugiens a Mutina[1], ut ad se interficiendum ab Antonio missos equites advenisse cognovit, quodam in loco justæ pœnæ debitum spiritum tenebris furari conabatur; eoque jam facta irruptione, Terentius fideli mendacio obscuritate ipsa suffragante, Brutum[2] se esse simulavit, et corpus suum trucidandum equitibus objecit: verum cognitus a Furio, cui Brutianæ ultionis officium mandatum fuerat, nece sua amici supplicium discutere non potuit; sic invitus fortuna cogente vixit[3].

7. Ab hoc horrido et tristi pertinacis amicitiæ, ad lætum et serenum vultum transeamus; atque eam inde evocatam[4], ubi omnia lacrimis, gemitu, cædibus fuerant referta, in eo, quo dignior est, felicitatis domicilio collocemus, gratia, honore, abundantissimisque opibus fulgentem: prodite igitur ab illa, quæ sanctorum umbris dicata esse creditur, sede, hinc Decime Læli[5], illinc M. Agrippa, alter viro-

1. *Mutina.* Galliæ Togatæ oppidum, quam firmissimam et splendidissimam populi rom. coloniam Cicero vocat, hodie *Modena.* — *Justæ.* Ob interfectum Cæsarem. — *Spiritum tenebris furari.* Id est, beneficio tenebrarum vitam servare; quo etiam pertinet, quod sequitur: *obscuritate ipsa suffragante.* Lipsius legere mavult *fœnerari,* id est, lucrari. Sed exquisite dixit Valerius *furari* pro *subducere, subtrahere.* Cf. Virg. Æn. V, 845.

2. *Brutum.* Decium: nam Marcus postea acie philippensi periit.

3. *Sic...vixit.* Abest a cod. Bituricensi, et tamquam glossema ineptum ejicit Gudius. At omnes cæteri MSS. servant, nec dubitandum, quin sit Valerii.

4. *Evocatam.* In MSS. passim *revocatam,* quod Perizonius præfert. — *Fulgentem.* Alii *fulgente*, ut referatur videlicet ad præcedens *domicilio.* Magis placet *fulgentem.* Ipsa enim amicitia rectius dicetur *gratia et honore fulgere,* quam *domicilium.*

5. *Decime Læli.* Sic omnes MSS., quamvis Lælius, Scipionis amicus, de quo auctor loquitur, non *Decimi,* sed potius *Caii* prænomen habuit. Erravit Valerius in prænomine, errandique causam probabiliter ipsi præbuit summa in gente Lælia prænominis *Decimi* frequentia. — *M. Agrippa.* Agrippa cum Augusto amicitiæ fœdus sanxerat, ut Alexander cum Hephæstione, inter quos fuit summa omnium rerum et voluntatum consensio. Agrippa jam apud

Digitized by Google

rum, alter deorum maximum amicum, et certa mente, et secundis ominibus sortiti; totumque beatæ turbæ gregem, qui vestro ductu veneranda sinceræ fidei stipendia, laudibus et præmiis onustus, peregit, in lucem vobiscum protrahite: vestros enim constantes animos, vestra strenua ministeria, vestram inexpugnabilem taciturnitatem, proque dignitate et salute amicorum perpetuam excubationem, testatiorem benevolentiam[1], et rursus harum rerum uberrimos fructus, posterior intuens ætas, in excolendo jure amicitiæ, quam libentius, tam etiam religiosius erit operata.

DE AMICITIÆ VINCULO, QUO JUNCTI EXTERNI.

1. Hæret animus in domesticis, sed aliena quoque benefacta referre, romanæ urbis candor hortatur[2]. Damon et Phintias[3], Pythagoricæ prudentiæ sacris initiati, tam fidelem inter se amicitiam junxerunt, ut, quum alterum ex his Dionysius syracusanus interficere vellet, atque is tempus ab eo, quo, priusquam perirет, domum profectus res suas ordinaret, impetravisset, alter vadem se pro reditu ejus tyranno dare non dubitarit. Solutus erat

Actium in victoria paranda Augustum maxime juvit, deinde Augusti sororem in matrimonium duxit, et in administranda republica illi pæne par creditus est. — *Alter....amicum.* Vult Valerius: Lælium Scipioni amicissimum fuisse, Agrippam vero Augusto, quippe qui vivus jam *deus* habebatur.

1. *Testatiorem benevolentiam.* Plures codd. exhibent *testationem*, unde Lipsius *testationem benevolentiæ* legit. Perizonius conjicit *testatiorem benevolentia.* Sed nihil opus. Sensus est: licet *constantes* fuerint animi, *strenua* ministeria, *inexpugnabilis* taciturnitas, *perpetua* excubatio, tamen his omnibus benevolentiam fuisse *testatiorem*, id est, magis testatam et excellentem.

2. *Sed..... hortatur.* Vide Cic. de Off. III, 10; Lactant. Div. instit. V, 18.

3. *Phintias.* Non *Pythias*, ut vulgo legitur. — *Junxerunt.* Pighius edidit *junxerant*, obstantibus MSS. tredecim omnibusque edd. — *Dubitarit.* Omnes codd. scripti et editi veteres habent *dubitavit*; sed rectius Torrenius, Kappius et Helfrechtus ediderunt *dubitarit*, quia pendet ab *ut*, quod præcessit.

Digitized by Google

periculo mortis, qui modo cervices gladio subjectas habuerat; eidem caput suum subjecerat, cui securo vivere licebat: igitur omnes, et in primis Dionysius, novæ atque ancipitis rei exitum speculabantur. Appropinquante deinde definita[1] die, nec illo redeunte, unusquisque stultitiæ tam temerarium sponsorem damnabat; at is *nihil se de amici constantia metuere* prædicabat: eodem autem momento, et hora a Dionysio constituta, qui eam acceperat, supervenit. Admiratus amborum animum tyrannus, supplicium fidei remisit; insuperque eos rogavit, « ut se in societatem amicitiæ, tertium sodalitii gradum ultima[2] culturum benevolentia reciperent. » Hæ sane[3] vires amicitiæ, mortis contemptum ingenerare, vitæ dulcedinem exstinguere, crudelitatem mansuefacere, odium in amorem convertere, pœnam beneficio pensare[4] potuerunt; quibus pæne tantum venerationis, quantum deorum immortalium cærimoniis debetur: illis enim publica salus, his privata continetur: atque ut illarum ædes sacra domicilia, ita[5] harum fida hominum pectora quasi quodam sancto spiritu referta templa sunt.

2. Quod ita esse, rex Alexander sensit[6]: Darii castris, in quibus omnes necessarii ejus erant, potitus, Hephæstione[7] gratissimo sibi latus suum tegente, ad eos allo-

1. *Definita.* Alii *finita.* Utrumque probum. Ast syllaba *de* propter præcedens *deinde* facile excidere potuit.

2. *Ultima.* Pighius ex conjectura dedit *intima.* Torrenius mavult *una*, et exponit: æque magno studio, ac ipsi, benevolentia nulla in re discrepante. Sed bene dicitur *ultima*, id est summa.

3. *Hæ sane.* MSS. *hascine*, item *hæccine.* Nihil mutandum. Melius enim huic affirmationi videtur convenire sequens periodus: *quibus pæne tantum*, etc., quam si per interrogationem loquutus fuisset.

4. *Mortis ..... potuerunt.* Dionysius supplicium remisit fidei amicorum adeo mirificæ, et orare cœpit, ut se tertium in eorum amicitiam admitterent.

5. *Ita.* In MSS. octo deest. — *Quodam.* Alii *quædam.* Minus bene.

6. *Alexander sensit.* Vide Curt. III, 12; Diodor. Sicul. XVII, 37; Ælian. XII, 7.

7. *Hephæstione.* Hephæstio a no-

Digitized by Google

quendos venit : cujus adventu mater Darii recreata[1], humi prostratum caput erexit, Hephæstionemque, quia ei et statura et forma præstabat, more Persarum adulata, tamquam Alexandrum salutavit; admonita deinde erroris, per summam trepidationem excusationis verba quærebat : cui Alexander, « Nihil est, inquit, quod hoc nomine confundaris[2], nam et hic Alexander est.» Utri prius gratulemur? qui hoc dicere voluit, an cui audire contigit? Maximi enim animi rex, etiam[3] totum terrarum orbem aut victoriis, aut spe complexus, tam paucis verbis se cum comite suo partitus est. O donum inclytæ vocis danti pariter atque accipienti speciosum! Quod privatim quoque merito veneror, clarissimi ac disertissimi viri promptissimam erga me benevolentiam expertus; nec metuo, ne parum conveniat, mihi Pompeium[4] meum instar esse

mine Ἥφαιστος, quæ Vulcani apud Græcos appellatio est. Unde perperam Pighius aliique ediderunt *Ephestione*.

1. *Cujus ... recreata*. Sisygambis miseram suam captivæ fortunam deplorans humi jacebat, quod erat supplicum; sed ubi cognovit, tantum regem ad se visendam venisse, aliquantulum est refocillata. — *Adulata*. Salmasius et Rupertus malint *adorata*, quod sane non sine exemplo dictum esset pro *ea*, *quæ adoravit*. Ita enim *juratus* est is, qui juravit; *conspirati* Phædro sunt ii, qui conspirarunt; *penetratus* Lucretio est, qui penetravit; *peragratus* Velleio, qui peragravit. Notissimum quoque est, *adorare* ipsum illud verbum esse, quo morem venerandi Persarum scriptores expresserint. Attamen omnes codd. constanter servant *adulata*, et ipsum quoque *adulari* de tali re usurpatur. Vide Gronovium ad Liv. IX, 18, 4.

2. *Confundaris*. Perturberis, terrearis; quo etiam pertinet, quod antecedit : *per summam trepidationem*. Conf. III, ext. 1; IV, 8, 3; VI, 8, 1.

3. *Etiam*. Perizonius legit divise *et jam*.

4. *Pompeium*. Vorstius hunc esse vult *Sextum Pompeium*, quocum Valerius Asiam petierit. Fuit ille cos. una cum Apuleio, eo ipso, quo Augustus decessit, anno : quodque primi illi in successoris Tiberii verba juraverant, eidem acceptissimi semper fuere. Hunc Pompeium laudat et Ovidius de Pont. IV, 1, 4 et 5, eique vitam et fortunas suas acceptas refert. Sed e Coleri sententia hic vix etiam sub Tiberio viguerit. « An igitur, addit Colerus, potius Macri (bibliothecarii Augusti) filius, Pompeius, item Macer dictus, de quo Tacitus, Annal. III, 11?

Digitized by Google

Alexandri; quum illi Hephæstio suus alter fuerit Alexander: ego vero gravissimo crimini sim obnoxius, constantis et benignæ amicitiæ exempla sine ulla ejus mentione transgressus; cujus in animo velut in parentum amantissimorum pectore, lætior vitæ meæ status viguit, tristior acquievit: a quo omnium incrementa commodorum ultro oblata cepi, per quem tutior adversus casus steti, qui studia nostra ductu et auspiciis[1] suis lucidiora et alacriora reddidit: itaque pavi invidiam quorumdam optimi amici jactura, videlicet quia fructu torseram[2]: non quidem meo merito; gratiam meam, quantacunque fuit, cum his, qui ea uti voluerunt[3], partitus. Verum nulla tam modesta felicitas est, quæ malignitatis dentes vitare possit; et quo secessu quosdam fugeris, aut quibus infulis[4] misericordiæ permulseris, ne alienis malis perinde ac bonis suis lætentur ac gestiant? Divites sunt aliorum jacturis, locupletes

Hoc profecto libentius crediderim, quod quasi interitum Pompeii videatur hic dolenter ferre Valerius. Multos autem sub Tiberio illustres viros tunc coactos interiisse, cognoscere licet ex Tacito, inter quos et frater Pompeiæ Prætorius. » Valerius se cum Pompeio suo non velut amicitiæ exemplum proponit, quod quidem facere sine arrogantiæ nota vix possit: verum amicitiæ Alexandri magni atque Hephæstionis occasione similem Pompeii erga se benevolentiam et humanitatem grati animi ergo testatur.

1. *Ductu et auspiciis*. Hæc formula de rebus bellicis usurpari solet; sed hic ad studia literaria est translata.

2. *Quia fructu torseram*. Id est, quia ægre ferebant, mihi contigisse esse tam felici, ut beneficio Pompeii in studiis magnos facere possem progressus. MSS. quinque *quos fructu torseram*; quod probat Perizonius.

3. *Voluerunt*. Torrenius, pro *voluerant*, inquit, emendavi *voluerunt*, jubentibus omnibus scriptis cum Mogunt. ed. At in textu Torrenii est *voluerant*, sine dubio operarum errore.

4. *Infulis misericordiæ*. Infulæ fuerunt supplicum, velatis manibus orantium: dicuntur etiam velamenta. Vide Liv. XLV, 26; Curt. VII, 5. *Infulæ misericordiæ* sunt ergo, quibus alterum ad misericordiam allicere studemus. — *Ne alienis malis*. Vulgo additur: *non cohibebis*. Sed deest in Lipsii libris, in codd. Brand. et in decem MSS. Torrenii. Quare expunxit Torrenius, et periodum clausit adjecta nota interrogationis, quam ed. Mog. habet. Nos eamdem secuti sumus lectionem.

Digitized by Google

calamitatibus, immortales funeribus; sed illi quatenus alienis incommodis suorum adhuc expertes insultent, optima vindex insolentiæ, varietas humanæ conditionis viderit.

CAPUT VIII.

De liberalitate Romanorum.

1. Q. Fabii Max. Verrucosi dict. — 2. Busæ Canusinæ. — 3. Q. Considii eq. rom. — 4. Populi rom. erga Attalum regem. — 5. Ejusdem populi romani erga Græcos.

De liberalitate Externorum.

1. Hieronis regis Syracusanorum erga Romanos. — 2. Gilliæ Agrigentini erga cives suos.

DE LIBERALITATE ROMANORUM.

Nostrum opus pio egressu[1] ad proprium dolorem provectum, in suum ordinem revocetur, liberalitatisque commemorationi vacemus: cujus duo sunt maxime probabiles fontes, verum judicium, et honesta benevolentia; nam quum ab his oritur, tunc demum ei ratio constat; dono autem ipsi gratiam et magnitudo[2] quidem sua, sed efficaciorem aliquanto opportunitas conciliat.

1. Accedit enim[3] pretio rei inæstimabile momentum occasionis, quæ Fabium Maximum tot ante secula ob parvam pecuniæ summam erogatam, ad hoc usque tempus laudabilem fecit. Captivos ab Hannibale interposita pactione nummorum receperat[4]: qui quum a senatu non

1. *Egressu*, id est, digressione. — *Ad proprium dolorem*. Alii: *ad propriam rem*. Sed provectus erat ad *dolorem*, quum triste fautoris fatum doleret.

2. *Gratiam et magnitudo*. Quidam omiserunt *et*; male, quum *etiam* significet, ac neutiquam supervacaneum sit.

3. *Accedit enim*, etc. An. U. 536. Liv. XXII, 23; Plut. in vit. — *Fabium Maximum*. Pighius addit prænomen *Q.*, quod abest a MSS. et antiquis edd.

4. *Interposita ... receperat*. Ut pro unoquoque CCL drachmas rependeret; hac spe fretus, ut S. P. Q. R. rem eam probarent et de publico pecuniam erogarent. Senatus

Digitized by Google

præstarentur, misso in urbem filio, fundum, quem unicum possidebat, vendidit, ejusque pretium Hannibali protinus numeravit. Si ad calculos[1] revocetur, parvum, utpote septem jugeribus, et hoc in Pupinia addictis, redactum : si animo erogantis[2], omni pecunia majus. Se enim patrimonii, quam patriam fidei, inopem esse maluit : eo quidem majore commendatione, quod[3] proni studii certius indicium est supra vires niti, quam viribus ex facili uti. Alter enim quod potest, præstat : alter etiam plus quam potest.

2. Itaque ejusdem temporis[4] femina Busa nomine, regionis autem Apuliæ ditissima, merito quidem liberalitatis testimonium receperit ; sed excellentes[5] opes suas Fabianis rei familiaris angustiis non comparaverit ; nam etsi circa decem millia[6] civium nostrorum, cannensis

pactam pecuniam exsolvere recusans, insuper Fabium accusavit, quod inutiliter et inconsulto senatu homines, qui hostium præda ex ignavia facti essent, redimere voluisset.

1. *Ad calculos.* Supputationem, quæ per *calculos*, id est, lapillos olim fiebat, ut aliquando apud nos per projectiles nummos. — *Et hoc in Pupinia.* Alii : *et hæc* scilicet jugera, seu *eaque* pro *ea quidem.* Sic et Græci dicunt : καὶ τοῦτο seu ταῦτα. De *Pupinia* vid. supra IV, 4, 4 et 6. — *Addictis.* Passim *aditis*, *additis*, item *abditis*. Præstat *addictis*, quum proprium sit de rebus in auctione venditis, ut pretio certo dicantur *addici.* — *Redactum*, id est, collectum, scilicet pretium.

2. *Si animo erogantis.* Pro : *animo*, rectius et orationis numero convenientius esset : *ad animum ;* sicut antea : *ad calculos ;* sed quum omnes codd. sic habeant, id ipsi Valerio tribuendum videtur. Subintelligendum : *æstimetur.* Pro : *erogantis*, plurimi codd. exhibent : *prærogantis*, sensu plane eodem, quum *prærogare* et *prorogare* a jurisconsultis pro *erogare* dicatur.

3. *Quod.* Perperam Pighius, Colerus et Thysius ediderunt *quo.* Vide supra IV, 4, init.

4. *Ejusdem temporis.* An. U. 537. Livius, XXII, 52. Hoc exemplum rectius cum superiore conjunctum esset, ut vel ex fine ejus apparet. — *Busa.* Livius, loco citato, *Paullam* nominatam dicit, sed genere Busam, id est, Carthaginiensem.

5. *Receperit : sed excellentes.* Alii : *recepit : sed si excellentes.* Nostra lectio confirmatur longe majore et potiore parte MSS.

6. *Circa decem millia.* Multi MSS. non habent *millia*, quod, per *m* designata, facile propter præcedens

Digitized by Google

prælii reliquias, benignissime intra Canusina mœnia alimentis sustentavit, salvo tamen statu fortunarum suarum, munificam se populo romano præstitit : Fabius in honorem patriæ, paupertatem inopia mutavit.

3. In Q. quoque Considio[1] saluberrimi exempli, nec sine parvo ipsius fructu, liberalitas annotata est : qui Catilinæ furore ita consternata republica, ut ne a locupletibus quidem debitæ pecuniæ, propter tumultum[2] pretiis possessionum diminutis, solvi creditoribus possent; quum centies atque quinquagies H-S. summam in fœnore haberet, neque de sorte[3] quemquam debitorum suorum, neque de usura a suis appellari passus est : quantumque in ipso fuit, amaritudinem publicæ confusionis[4] privata tranquillitate mitigavit : opportune mirificeque testatus, nummorum suorum, non civilis sanguinis[5], se esse fœneratorem. Jam, qui nunc præcipue negotiatione[6] delectantur, quum pecuniam cruentam domum retulerint, quam

exciderat. — *Canusina.* Canusium Apuliæ oppidum, vulgo *Canossa.* — *Alimentis.* Frumento, vestibus et viatico, pro qua munificentia postea bello perfecto a senatu ei honores habiti.

1. *Considio.* An. U. 690. Q. Considii meminit sæpius Cicero.

2. *Propter tumultum.* Vide Sallust. Catil. c. 27.

3. *De sorte.* De ea summa, quam ipse præstiterat, in fœnus dederat. — *Appellari.* Quod *debitorum* est; quum contra *creditorum* sit *appellare*, seu debitum a debitore exigere.

4. *Publicæ confusionis.* Confusionem Colerus interpretatur seditionem et tumultum. Jam in seditione et tumultu est quidem confusio; sed seditio atque tumultus non sunt ipsa confusio. Significat enim confusio ipsam illam animi perturbationem seu consternationem, quæ in seditione esse solet, ut vel ex voce *tranquillitatis*, quæ apud Nostrum sequitur, intelligi potest. Vide III, 1, ext. 1, et IV, 7, ext. 2.

5. *Civilis sanguinis.* Civilem sanguinem appellare videtur facultates civium obæratorum. Sic Cic. pr. Quinctio, c. 11 : « Fateatur, se non pecuniam, sed vitam et sanguinem petere. » Græci quoque eamdem rem αἷμα καὶ ψυχὴν vocant.

6. *Negotiatione.* In multis codd. MSS. legitur *negatione*, unde Lipsius conjicit *nummatione*, Colerus *nundinatione*, Salmasius *necatione*, quod postremum placuit vehementer Ruperto. *Negotiatione* recte dicitur de fœneratoribus, ut eleganter docuit Gronov. Obss. IV, 24. Vide quoque Ernesti Clav. Cic. s. v. *negotiatio.* — *Pecuniam cruentam.* Quum vetus

Digitized by Google

improbando gaudio exsultent, recognoscent, si diligenter senatusconsultum, quo Considio gratiæ actæ sunt, legere non fastidierint.

4. Queri mecum jamdudum populus romanus videtur, quod quum singulorum munificentiam consecter, de sua taceam : ad summam enim ejus laudem pertinet, quem animum regibus, et urbibus, et gentibus præstiterit, recognosci; quia omne præclari facti decus crebra memoria in se ipso revirescit[1]. Asiam[2] bello captam Attalo regi muneris loco possidendam tradidit, eo excelsius et speciosius urbis nostræ futurum imperium credens, si ditissimam atque amœnissimam partem terrarum orbis, in beneficio, quam in fructu suo reponere maluisset. Ipsa victoria donum felicius, quia multum occupasse, habere invidiam potuit; tantum tribuissse, gloria carere non potuit.

5. Illius vero[3] romanæ liberalitatis cælestem spiritum nullæ literæ satis dignis laudibus prosequentur; Philippo enim Macedonum[4] rege superato, quum ad Isthmicum spectaculum tota Græcia convenisset, T. Quinctius Fla-

poeta Timocles canat : τ'ἀργύριόν ἐστιν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς· facile quivis intelligit, cur et fœneratorum pecuniam *cruentam* dixerit Valerius, quasi e mediis hominum visceribus extractam.

1. *Revirescit.* Alii *reviviscit.* Perinde est.

2. *Asiam*, etc. An. U. 563. Liv. XXXVIII; Strabo XIII; Cic. pr. Sext. 27; Justin. XXXVI. Mortuo Eumene Asiam bello captam populus romanus occupavit; et quum belli jure retinere posset, eam tamen totam Attalo, Eumenis filio, tradidit. Putavit enim, imperium clarius fore atque præstantius, si provinciam locupletissimam potius alteri dono daret, quam in suos usus converteret. Justinus tamen Attalum multis cædibus regnum fœdasse narrat. — *Tradidit.* Editt. ante Pighium præter Mog. habent *tribuit;* sed in codd. MSS. est *tradidit.*

3. *Illius vero*, etc. An. U. 557. Livius, XXXIII, 31; Flor. II, 7; Plutarch. in Flamin.

4. *Macedonum.* Longe major pars MSS. cum edd. ante Pighium exhibent *Macedoniæ.* — *Isthmicum spectaculum.* Quod Corinthi in isthmo erat institutum. Livius tamen aliique referunt, Nemeæ hos fuisse ludos. Rem expedit Strabo, narrans, Nemeæ aliquamdiu ludos isthmicos fuisse celebratos, donec postea Corinthum sint translati. De ludicro Nemeorum vide Liv. XXVII, 30.

Digitized by Google

mininus tubæ signo silentio facto, per præconem hæc verba recitari jussit : « S. P. Q. R. et T. Quinctius Flamininus imperator omnes Græciæ urbes, quæ sub ditione Philippi regis fuerunt, liberas atque immunes[1] esse jubet. » Quibus auditis, maximo et inopinato gaudio homines perculsi, primo veluti non audisse se, quæ audierant, credentes, obticuerunt. Iterata deinde pronuntiatione præconis, tanta cælum clamoris alacritate compleverunt, ut certo constet, aves, quæ supervolabant, attonitas paventesque decidisse. Magni animi fuisset a tot captivorum capitibus servitutem detraxisse, quot tunc nobilissimis et opulentissimis urbibus populus romanus libertatem largitus est. Ad cujus majestatem pertinet, non solum quæ ipse benigne tribuit, sed etiam quæ alio tribuente sensit[2], commemorari; ut enim illic commemoratæ, ita hic redditæ[3] laudis commendatio est.

DE LIBERALITATE EXTERNORUM.

1. Hiero[4] Syracusanorum rex, audita clade, qua Romani apud Trasimenum lacum erant afflicti, trecenta millia modium tritici, ducenta millia hordei, aurique ducenta et XL pondo urbi nostræ muneri misit. Neque ignarus verecundiæ majorum nostrorum, ne nollent[5] acci-

1. *Liberas atque immunes.* Sine ullo tributo et stipendio solvendo.

2. *Sed.....sensit.* His verbis transitum sibi parat ad exempla sequentia, in quibus non Romanorum in alios, sed aliorum in Romanos liberalitas expressa; verbi causa, quantæ Hiero liberalitatis fuerit in Romanos.

3. *Commemoratæ, ita hic redditæ.* Pro : *commemoratæ*, alii *collatæ*. Ac *repetitæ*, pro : *redditæ*. Observandum : *illic* ad proximum, *hic* vero ad remotius pertinere, ut sæpius in Valerio occurrit.

4. *Hiero.* An. U. 536. Liv. XXII, 37. Hiero, qui fidem semper Romanis constantissime servavit, non frumento et auro tantum, sed et consilio et armata manu eos adjuvit. — *Ducenta millia.* Hoc posterius *millia* abest a plerisque MSS. — *Ducenta XL pondo.* Livius loco citato auri pondo CCCXX fuisse refert.

5. *Ne nollent.* Ita legendum; non, ut Pighius eumque sequuti Colerus et Thysius edidere, *quod nollent.* Est autem *ne nollent* pro *ne recusarent.* — *In...formavit.* Id est, sta-

Digitized by Google

pere, in habitum id Victoriæ formavit, ut eos religione motos, munificentia uti cogeret; voluntate mittendi prius, iterum providentia cavendi, ne remitteretur, liberalis.

2. Subnectam huic agrigentinum Gilliam[1], quem propemodum ipsius liberalitatis præcordia constat habuisse. Erat opibus excellens; sed multo etiam animo, quam divitiis, locupletior; semperque in eroganda potius, quam in contrahenda[2] pecunia, occupatus; adeo ut domus ejus quasi quædam munificentiæ officina crederetur: illinc enim publicis usibus apta monumenta exstruebantur; illinc grata populi oculis spectacula edebantur; illinc epularum magnifici apparatus, labentique annonæ subsidia oriebantur: et, quum hæc universis, privatim alimenta inopia laborantibus, dotes virginibus paupertate pressis, subsidia detrimentorum incursu quassatis erogabantur. Hospites quoque tum urbanis penatibus, tum etiam rusticis tectis benignissime excepti, variis muneribus ornati dimittebantur. Quodam vero tempore quingentos simul Gelensium equites, vi tempestatis in possessiones suas compulsos, aluit ac vestivit. Quid multa? non mortalem aliquem, sed propitiæ fortunæ benignum esse diceres sinum. Ergo quod Gillias possidebat, omnium quasi commune patrimonium erat: pro cujus salute et incrementis tum agrigentina civitas, tum etiam vicinæ regiones votis excubabant. Colloca ex contraria parte arcas inexorabilibus claustris obseratas: nonne præstantiorem aliquanto existimes illam impensam, quam hanc custodiam?

tuam Victoriæ auream fingendam curavit, quæ in templo Jovis Capitolini fuit posita.—*Religione motos.* Timebant, ne malum id omen esset, si Victoriam non admitterent.

1. *Agrigentinum Gilliam.* Casaubonus vult, hanc narrationem e Timæi lib. V, esse desumptam. Nonnulli MSS. habent *Calliam;* alii *Galliam.*

2. *Contrahenda.* Plurimi codd. *corripienda.* Cf. infra IX, 4, ext. 1.

Digitized by Google

VALERII MAXIMI

FACTORUM DICTORUMQUE MEMORABILIUM

LIBER QUINTUS.

CAPUT I.

De humanitate et clementia[1] *Romanorum.*

1. Senatus romani. — 2. L. Cornelii Scipionis cos. — 3. T. Quinctii Crispini. — 4. M. Claudii Marcelli procos. — 5. Q. Metelli Macedonici procos. — 6. P. Scipionis Æmiliani procos. — 7. P. Africani majoris procos. — 8. L. Æmilii Paulli cos. 2. — 9. Cn. Pompeii Magni procos. — 10. C. Julii Cæsaris cos. 2. — 11. M. Antonii triumviri.

De humanitate et clementia Externorum.

1. Alexandri Magni. — 2. Pisistrati atheniensis. — 3. Pyrrhi Epirotarum regis. 4. Antigoni Macedoniæ regis. — 5. Campanorum. — 6. Hannibalis pœni.

DE HUMANITATE ET CLEMENTIA ROMANORUM.

LIBERALITATI quas aptiores comites[2], quam humanitatem et clementiam dederim? quoniam idem genus laudis

1. *De humanitate et clementia.* Præcipuas quasdam hoc libro commendat virtutes, quibus qui careat, vera hominis dignitate non gaudet. Quid amabilius *humanitate?* quæ efficit, ut placidis moribus, verbis, consilio et ope aliis gratificemur, et tales nos in alios geramus, quales illos in nos optamus. Humanus omnibus benevolum liberalemque se præbebit; non divitibus solum ac potentibus. Ad eos præcipue, qui auxilio suo indigeant, beneficiis descendet; non in amicos tantum, sed adversarios etiam benigno erit animo. Si quando res publica frangere hostium vires jubeat, victorum misereri, egentibus succurrere, afflictis onera levare, humanum est; et quod vix homini daremus, humanitati sæpius concedendum est. Conjuncta est cum hac virtute arctissimo vinculo *clementia.*

2. *Liberalitati... comites. Humanitas* quodammodo *liberalitatem* quoque complectitur.

Digitized by Google

expetunt : quarum prima inopia, proxima[1] occupatione tertia ancipiti fortuna præstatur; quumque nescias quam maxime probes[2], ejus tamen commendatio præcurrere videtur, cui nomen ex ipso numine quæsitum est.

1. Ante omnia autem[3] humanissima et clementissima senatus acta referam; qui, quum Carthaginiensium legati ad captivos redimendos in urbem venissent[4], protinus his, nulla pecunia accepta, reddidit juvenes, numerum duum millium et septingentorum quadraginta trium explentes. Verum[5] tantum hostium exercitum dimissum, tantam pecuniam contemptam, tot punicis injuriis veniam datam, ipsos legatos obstupuisse arbitror, ac secum dixisse : « O munificentiam gentis romanæ, deorum benignitati æquandam! O etiam nostram legationem supra vota felicem! nam quod beneficium nunquam dedissemus, accepimus[6]. »

1. *Occupatione.* Negotiis; sed et in omni alia vitæ conditione humanitas locum habet. — *Ancipiti fortuna.* In periculis ac illatis injuriis, ut nempe severitatem minuamus, et aut plane non ulciscamur injurias, aut pœnam reddamus leviorem, aut si ad corrigendos mores severiore pœna opus sit, vitia quidem, sed nunquam hominem, habeamus odio, sed illi succurramus deinde, quantum fieri possit.

2. *Nescias... probes.* Cod. Ultraj. prim. *nesciam, probem.* — *Præcurrere.* Non præmittere, aut primo loco ponere significat, sed anteire, antecellere. — *Numine.* Nonnulli ad *liberalitatem,* quasi a *Libero* patre nominatam referunt : sed (quantum nos judicare possumus) rectius respexeris ad *clementiam*, quæ nos numinis quadam similitudine ornat, quum in præcipuis perfectionibus dei numeranda sit.

3. *Autem.* Multi *tamen,* quod respuunt MSS. — *Humanissima.... referam.* An. U. 552. Liv. XXX, 43, 45.

4. *Quum....venissent.* Primo bello punico.

5. *Explentes. Verum.* In edd. vulg. ante Pighium legebatur *explentes,* omisso *Verum.* Alii habent *expletissimos rerum. Tantum hostium*, etc., id quod Perizonius, Torrenius et Kappius probant, ut sensus sit: juvenes istos nequaquam spoliatos fuisse, sed rebus necessariis instructissimos, et ad abundantiam saturatos Carthaginiensibus redditos fuisse.

6. *Nam quod..... accepimus.* MSS. quinque *petissemus* pro *dedissemus,* quasi referendum sit ad vota. Plus enim dum accipiunt, quam petere ausi essent, sentiunt legationem suam supra vota, id est, supra quam petere sustinuissent, felicem.

Digitized by Google

Illud quoque non parvum humanitatis senatus indicium est. Syphacem enim, quondam opulentissimum Numidiæ regem, captivum in custodia Tiburi[1] mortuum, publico funere censuit efferendum, ut vitæ dono honorem sepulturæ adjiceret: consimilique clementia in Perse[2] usus est; nam quum Albæ[3], in qua custodiæ causa relegatus erat, decessisset, quæstorem misit, qui eum publico funere efferret; ne reliquias regias jacere inhonoratas pateretur.

Hostibus hæc, et miseris, et fato functis officia regibus erogata: illa amicis[4], et felicibus, et vivis tributa sunt. Confecto macedonico bello, Musicanes[5] Masinissæ filius, cum equitibus, quos in præsidium Romanorum adduxerat, ab imperatore Paullo ad patrem remissus, tempestate classe dispersa Brundusium æger delatus est; quod ubi senatus cognovit, continuo illo quæstorem ire jussit, cujus cura

Retinuit tamen Torrenius *dedissemus*, ex quo, præterquam quod satis bene intelligitur, legationem ipsorum esse supra vota felicem, ita quoque humanitatem Romanorum, et Carthaginiensium avaritiam ac inhumanitatem, cujus ipsi sibi erant conscii, clarissime licet perspicere.

1. *Tiburi.* Syphax, Numidiæ rex, quum Hasdrubal filiam suam ei nuptum dedisset, a romana societate defecit. Quem Scipio victum cepit. Deinde Romam missus, in carcere mœrore consumptus est. Polybius Albæ eum vita decessisse ait, quod Colero vero similius videtur, quam Tiburi, quia illustriores custodiæ caussa sæpius Albam missi sunt, exempli causa, Bituitus, rex Arvernorum; de quo vide infra IX, 6, 3. — *Vitæ dono.* Multi enim post triumphum supplicio affecti.

2. *In Perse.* An. U. 586. Liv. XLV, 42. De Perse supra I, 5, 3.

3. *Albæ.* Alba una fuit Latii, cognomine *Longa*, altera in Marsis ad Fucinum lacum, circa Anienis fontes. De priore hic sermo est. — *Decessisset.* Alii inedia, alii, inter quos Sallustius, a custodibus in somniis necatum tradunt. — *Publico funere.* Publica impensa facto.

4. *Hostibus hæc..... illa amicis.* Sic MSS. et editt. vetustiores. Pighius vero dederat: *Hostibus illa .....hæc amicis;* minus recte. Nam *hæc* ab auctore refertur ad præcedentia; *illa* ad ea, de quibus jam acturus est.

5. *Musicanes.* An. U. 585. Liv. XLV, 14, *Misagenem* eum vocat. Hic ante patris Masinissæ, Romanis amicissimi, obitum, mortuus est. — *Brundusium.* Calabriæ oppidum ad mare Adriaticum situm. — *Essent, præberentur.* Tres MSS. *esset, præberet;* quatuor *esset, præberent.*

Digitized by Google

et hospitium adolescenti expediretur, et omnia, quæ ad valetudinem opus essent, præberentur, impensæque liberaliter cum ipsi, tum toti comitatui præstarentur; naves etiam ut prospicerentur, quibus se bene ac tuto cum suis in Africam trajiceret[1]: equitibus singulas libras argenti, et quingenos sestertios dari imperavit. Quæ tam prompta et tam exquisita patrum conscriptorum humanitas efficere potuit, ut, etiamsi exspirasset adolescens, æquiore animo desiderium ejus pater toleraret. Idem[2] senatus, quum ad gratulandum sibi Prusiam Bithyniæ regem Perse devicto venire audisset, obviam illi P. Cornelium Scipionem quæstorem Capuam misit: censuitque, ut domus ei Romæ quam optima conduceretur, et copiæ[3] non solum ipsi, sed etiam comitibus ejus publice præberentur: in eoque excipiendo tota urbs unius humani amici vultum habuit. Itaque qui amantissimus nostri venerat, duplicata erga nos[4] benevolentia in regnum suum reversus est. Nec Ægyptus quidem romanæ humanitatis expers fuit. Rex enim Ptolemæus[5] a minore fratre regno spoliatus, petendi auxilii gratia cum paucis admodum servis, squalore obsitus, Romam venerat, ac se in hospitium alexandrini pictoris contulerat. Id postquam senatui relatum est, arcessito juvene, quam potuit accurata excusatione usus est, « quod nec quæstorem illi more majorum obviam misisset, nec publico eum hospitio excepisset[6]: eaque non sua

1. *Se....trajiceret.* Aldus ediderat: *ipse..... trajiceretur.* Sed nostram lectionem recte Pighius reposuit e MSS. Conf. Cic. ad Divers. XI, 9, et 13.

2. *Idem senatus,* etc. An. U. 586. Liv. XLV, 44.

3. *Copiæ.* Vide supra IV, 3, ext. 3.

4. *Erga nos.* Hæc verba Colero suspecta sunt. Nituntur tamen auctoritate omnium codicum, tam scriptorum, quam impressorum.

5. *Ptolemæus.* Ptolemæus Dionysius, Pompeium jussit occidi, cujus opibus et auctoritate ejus pater per Gabinium in regnum fuerat restitutus. An. U. 590. — *A minore fratre.* Vorstius et Torrenius habent: *a majore fratre.* Perperam, forsan mendo typographico.

6. *Quod nec.....excepisset.* Quæsto-

Digitized by Google

negligentia, sed ipsius subito et clandestino adventu facta, dixit : et illum e curia protinus ad publicos penates deduxit, hortatusque est, *ut depositis sordibus*[1], *adeundi ipsius diem peteret*. Quin etiam curæ habuit, ut munera ei quotidie per quæstorem darentur. His gradibus officiorum jacentem ad regium fastigium erexit[2] : effecitque, ut plus spei in auxilio populi romani, quam metus in sua fortuna reponeret.

2. Atque ut[3] ab universis patribus conscriptis ad singulos veniam, L. Cornelius consul primo punico bello, quum Olbiam oppidum cepisset, pro quo fortissime dimicans Hanno dux Carthaginiensium occiderat, corpus ejus e tabernaculo suo amplo funere extulit : nec dubitavit hostis exsequias ipse celebrare; eam demum victoriam et apud deos et apud homines minimum invidiæ habituram credens, quæ plurimum[4] humanitatis habuisset.

3. Quid[5] de Quinctio Crispino loquar, cujus mansuetudinem potentissimi affectus, ira atque gloria, quatere non potuerunt? Badium campanum et hospitio benignissime domi suæ exceperat, et adversa valetudine correptum[6] attentissima cura recreaverat; a quo post illam nefariam Campanorum defectionem in acie ad pugnam provocatus, quum et viribus corporis[7], et animi virtute aliquanto esset

rum inter alia erat, legatos excipere, deducere, hospitium assignare. Ex Augusti decreto deinde etiam senatus consulta iis adservanda sunt concessa. Vide Dionem, LIV, in fin.

1. *Sordibus*. Squalidis vestibus simulque mœrore.

2. *Erexit*. Scilicet *jacentem*. Nonnullæ edd. *evexit*, scil. *ad fastigium*.

3. *Atque ut*, etc. An. U. 494. Vid. Sil. It. VI, 67; Flor. II, 2, 18. — *Olbiam*. Olbia una in agro Massiliensi, altera in Scythia, quæ etiam *Berta* dicta, tertia in Sardinia : et hæc est pro qua Hanno dimicavit.

4. *Eam demum..... quæ plurimum*. Vulgo : *tum demum..... quum plurimum*, plurimis codd. obstantibus.

5. *Quid*, etc. An. U. 541. Livius, XXV, 18. Contigit bello punico secundo, quum Capua obsideretur a Romanis.

6. *Adversa valetudine correptum*. Quum ante Campanorum defectionem Romæ æger esset.

7. *Quum et viribus corporis*. Lip-

Digitized by Google

superior, monere ingratum, quam vincere, maluit, « Nam quid agis[1], inquit, demens? aut quo te prava cupiditas transversum rapit? parum habes publica impietate[2] furere, nisi etiam privata lapsus fueris? unus tibi Romanorum videlicet Quinctius placet, in quo, sceleste[3], exerceas arma, cujus penatibus et honoris vicissitudinem, et salutem tuam debes? At me fœdus amicitiæ, diique hospitales[4], sancta nostro sanguini, vestris pectoribus vilia pignora, hostili certamine congredi tecum vetant. Quin etiam si in concursu exercituum fortuito umbonis mei impulsu prostratum agnovissem, applicatum jam cervicibus tuis mucronem revocassem. Tuum ergo crimen sit[5], hospitem occidere voluisse : meum non eris hospes[6] occisus. Proinde aliam, qua occidas, dexteram quære : quoniam mea te servare didicit. » Dedit[7] utrique cæleste numen debitum

sius excidisse putat voculam *par*, ut legendum sit : *viribus corporis par*. Sed nulla causa est, cur statuamus, ipsum viribus corporis *parem* tantum Badio fuisse. Immo facit ad augendam ejus laudem, quod, quum et viribus corporis et virtute animi ipso superior esset, atque adeo nullam certamen detrectandi causam haberet, nisi quam animi mansuetudo ipsi subjiciebat, tamen cum eo singulari certamine congredi provocatus noluerit. — *Virtute*. Sic recte emendavit Pighius, consentientibus MSS. omnibus. Antea edebatur : *virtutibus*.

1. *Nam quid agis?* Vorstius et Torrenius ediderunt : *Nam, Quid agis?* quasi *Nam* ad orationem Quinctii non pertineret, sed transitioni inserviret.

2. *Publica impietate*. Quod una cum cæteris Campanis ad Hannibalem a Romanis defecerat.

3. *Sceleste*. Alii *scelesta*, quod Perizonius prætulit. Rectius *sceleste;* quod autem minime adverbium est, sed casus quintus, quo Badium alloquitur, ut eum paullo ante alloquutus erat : *demens*.

4. *Diique hospitales*. Sanctissime apud omnes fere gentes culti; præcipuus eorum Jupiter.

5. *Crimen sit*. Sic codd. MSS. omnes cum omnibus ante Pighium impressis. Nec mutari debuerat in *crimen erit*.

6. *Eris hospes*. In codd. plurimis *erit*. At *eris* elegantius judicavit Perizonius, addens hæc loca : Ovid. Heroid. IV, 57, 58; XI, 64; XV, 182. Idem Trist. IV, 4, 25; Liv. XLV, 42, 9. In textum receperunt Torrenius et Kappius.

7. *Dedit*, etc. Tandem ignominia affectum ab adversario Crispinum perpulere turmales, ut peteret ab imperatore licentiam extra ordi-

Digitized by Google

exitum. Siquidem in eo prælio Badius obtruncatus est : Quinctius insigni pugna clarus evasit.

4. Age, M. Marcelli[1] clementia, quam clarum, quamque memorabile exemplum haberi debet! qui captis a se Syracusis in arce earum constitit; ut urbis modo opulentissimæ, tunc afflictæ, fortunam ex alto cerneret; cæterum casum ejus lugubrem intuens, fletum[2] cohibere non potuit: quem si quis ignarus vir[3] adspexisset, alterius victoriam esse credidisset : itaque, syracusana civitas, maxima[4] clade tua aliquid admixtum gratulationis habuisti ; quia si tibi incolumem[5] stare fas non erat, leniter sub tam mansueto victore cecidisti.

5. Q. vero Metellus[6] celtibericum in Hispania gerens bellum, quum urbem Centobricam obsideret, et jam admota machina, partem muri, quæ sola convelli poterat, disjecturus videretur, humanitatem propinquæ victoriæ prætulit; nam quum Rethogenis[7] filios, qui ad eum transierat, Centobricenses machinæ ictibus objecissent, ne pueri in conspectu patris crudeli genere mortis consumerentur (quamquam ipse Rethogenes negabat esse impedimento, quo minus etiam per exitum sanguinis sui[8] ex-

nem pugnandi. Qua impetrata in singulari certamine graviter vulneravit Badium, qui parma et equo relictis aufugit, et deinde non a Crispino, sed in prælio occisus est.

1. *M. Marcelli.* An. U. 541. Liv. XXV, 24; Plut. in Marcell.

2. *Fletum...potuit.* Sane lacrimæ ipsa fere victoria gloriosiores! Qua humanitate si eversores Numantiæ atque Corinthi fuissent, non tam lugubri sorte nobilissimæ urbes cecidissent. Scipio tamen Carthaginis excidium lacrimasse fertur.

3. *Ignarus vir.* Id est, qui Marcellum non nosset.

4. *Maxima clade.* Pighius aliique dedere, *in maxima clade.*

5. *Incolumem.* Vulgo *incolumi.* utrumque probum. — *Leniter.* Alii *leviter,* sensu æque concinno.

6. *Q. vero Metellus.* An. U. 611. Flor. II, 17. — *Urbem Centobricam.* Alii *Contrebiam* nominant, alii aliter. Eadem civitas deinde *Concordia Julia* dicta est.

7. *Rethogenis.* MSS. *Theogenis, Rectogenis, Retogeri.* Sed longe plurimi codd. *Rethogenis.*

8. *Exitum sanguinis sui.* Mortem filiorum. Alii legunt *exitium.* Cæterum familiare quasi est Valerio,

Digitized by Google

pugnationem perageret), ab obsidione discessit : quo quidem tam clementi facto, etsi non unius civitatis mœnia, omnium tamen celtiberarum urbium animos cepit[1], effecitque, ut ad redigendas eas in ditionem populi rom. non multis sibi obsidionibus opus esset.

6. Africani[2] quoque posterioris humanitas speciose lateque patuit; expugnata enim Carthagine, circa Siciliæ civitates litteras misit, ut ornamenta templorum suorum a Pœnis rapta per legatos recuperarent, inque pristinis sedibus reponenda curarent[3]: beneficium diis pariter atque hominibus acceptum!

7. Huic facto[4] par ejusdem viri humanitas : a quæstore suo, hastæ[5] subjectos captivos vendente, puer eximiæ formæ et liberalis habitus missus est; de quo quum explorasset, numidam esse, orbum relictum a patre, educatum apud avunculum Masinissam, eo ignorante immaturam adversus Romanos ingressum militiam; et errori illius veniam dandam, et amicitiæ regis fidissimi[6] populo

mortem, ut Græci ἔξοδον, vocare *exitum*.

1. *Omnium.....cepit*. Et sane certior et melior victoria, quæ fit clementia, quam quæ sævitia et profuso sanguine.

2. *Africani*, etc. An. U. 607. Cic. Verr. IV, 33, 34. — *Speciose lateque patuit*. Id est, in multis urbibus maxime conspicuam se præbuit. Nec est, quod cum Perizonio legatur *speciosa*.

3. *Ut ornamenta.....curarent*. Et hac re *Scipio*, ut Æmilius, commonstrare voluit, populum romanum pro æquitate magis, quam avaritia dimicare. Vide Eutropium, lib. IV, cap. 4.

4. *Huic facto*. An. U. 544. Liv. XXVII, 19. — *Viri*. Pighius ex solo cod. Campensi dedit : *avi;* quia ex Livio manifeste apparet, factum hoc Africani non *posterioris*, sed *superioris* fuisse. Utrumque tamen ipsum Valerium confudisse, non fidem excedit, quum ejusmodi errores sæpius occurrant, et cæteri codd. habeant *viri*. Torrenius lectionem Pighianam *avi* in textum recepit; ac sic Helfrechtus quoque. Kappius dedit *viri*, eumque sequuti sumus, ut textus accurate atque sincere constituatur ex codd. MSS. et edd., qui ad unum omnes hanc lectionem tuentur.

5. *Hastæ*. Solebant in auctionibus seu venditionibus publicis *hastæ*, præcipue prætorum, præfigi. — *Puer*. Cui nomen Massiva.

6. *Amicitiæ regis fidissimi*. Notat

Digitized by Google

romano debitam venerationem tribuendam existimavit; itaque puerum annulo[1], fibulaque aurea, et tunica laticlavia, hispanoque sagulo, et ornato equo donatum, datis qui eum prosequerentur equitibus, ad Masinissam remisit: eos igitur victoriæ maximos fructus ratus[2], diis templorum ornamenta, regibus sanguinem suum restituere.

8. L. etiam Paulli[3] in tali genere laudis memoria apprehendenda est: qui quum Persen, parvi temporis momento captivum ex rege, ad se adduci audisset, occurrit[4] ei romani imperii decoratus ornamentis, conatumque ad genua procumbere, dextra manu allevavit, et græco sermone[5] ad spem exhortatus est; introductum etiam in tabernaculum, lateri suo proximum in consilio sedere jussit[6], nec honore mensæ indignum judicavit. Proponatur

Lipsius, mentem Valerii hic minus attentam fuisse. Tum enim temporis, quum Scipio Massivam remiserit ad Masinissam, infensissimum hunc romano nomini fuisse.

1. *Annulo.* Quo ingenuos ornari pueros, mos erat. — *Fibulaque.* Qua in humeris militaris vestis nectebatur: de *lato* et *angusto clavo*, senatorii et equestris ordinis insigni ornamento, tamquam re cuivis tyronum nota, non est, quod dicam. — *Hispanoque sagulo.* Militari brevi veste, qua utebantur Hispani virgata et versicolore. — *Ornato.* Verbi causa, phaleris.

2. *Ratus.* Sic MSS. omnes cum editt. ante Pighium, qui ex solo cod. Campensi dedit *rati Romani*, ne Valerius Africanum posteriorem et superiorem confudisse videatur; de quo vid. supra not. 4.

3. *L. etiam Paulli.* An. U. 580. Liv. XLV, 7.

4. *Occurrit.* Amphipolim ductum ad Paullum memorat Zonaras Annall. II. — *Romani... ornamentis.* Tamquam honoris gratia illi regi, non captivo prodiret obviam. Fuit autem captus Perses a Cn. Octavio cum duobus filiis Alexandro et Philippo, dum fugerent in Samothraciam cum decem millibus talentorum.

5. *Græco sermone.* Hoc præcipuum humanitatis argumentum, qua descendit in Persei solamen. Nam romani nominis majestas alias non permisit cum Græcis loquenti, alia, præter latinam, lingua uti. Vide supra II, 2, 2. Paullus afflicti regis dolores, quantum poterat, lenire studuit. Id tamen impetrare rex non poterat, ut a triumphali pompa eximeretur, nisi se eximeret ipsum, quod noluit.

6. *Consilio sedere jussit.* Aldus ediderat: *sedere fecit.* Perperam. Pighius maluit *concilio.* Neque id admodum placet. *Consilio* satis commodum, quum ipsos homines consultantes ac deliberantes significet.

Digitized by Google

in conspicuo acies, qua prostratus est Perses, et harum rerum, quas retuli, contextus; utro magis spectaculo delectentur, homines dubitabunt : nam si egregium est hostem abjicere, non minus tamen laudabile, infelicis scire misereri.

9. Hæc L. Paulli humanitas admonet me, ne de Cn. Pompeii[1] clementia taceam : regem Armeniæ Tigranem, qui et per se magna cum populo romano bella gesserat[2], et infestissimum urbi nostræ Mithridatem Ponto pulsum, viribus suis protexerat, in conspectu suo diutius jacere supplicem passus non est; sed benignis verbis recreatum, diadema[3], quod abjecerat, capiti reponere jussit : certisque rebus imperatis, in pristinum fortunæ habitum restituit; æque pulchrum esse judicans, et vincere reges, et facere.

10. Quam præclarum tributæ humanitatis specimen Cn. Pompeius[4]! quam miserabile desideratæ idem evasit exemplum! nam qui Tigranis tempora insigni regio texerat, ejus caput tribus coronis triumphalibus[5] spoliatum in suo modo terrarum orbe, nusquam sepulturæ locum habuit,

1. *Cn. Pompeii.* An. U. 687.

2. *Qui.....gesserat.* Nam Mithridatem restituturus, ingenti exercitu comparato, post aliquot clades acceptas, tandem copiis Romanorum victricibus gravissimam cladem intulerat. Sed Pompeius ejus vires infregit. *Armenia*, Asiæ regio, inter Taurum et Caucasum sita et a Cappadocia usque ad Caspium mare protensa. — *In conspectu ..... est.* Plura clementiæ ejus exempla tradit Florus III, 5.

3. *Diadema.* Insigne regium, fascia candida fuit. Hinc uxor Mithridatis, quum se suspendere vellet, diadema pro reste corripuit. Et Alexander Magnus diadema sibi demptum, alligandi vulneris causa, capiti Lysimachi imposuit. Vid. Justin. XV, 3; Sed variæ tamen erant diadematum formæ. Armeniæ regum diadema et κίδαρις, itemque τιάρα, appellatum. Apparet ejus forma in antiquis nummis.

4. *Cn. Pompeius.* An. U. 705. Vid. Appian. Civil. II; Lucan. IX, 1038; Dion. X, XLII.

5. *Tribus coronis triumphalibus.* Ter enim Pompeius triumpharat: de Africa, duce Sylla; de Sertorio et piratis; tandem de Mithridate. His tribus triumphis de toto terrarum orbe triumphasse eum prædicarunt. — *In suo modo terrarum orbe.* Id est, cui modo imperaverat Pom-

Digitized by Google

sed abscissum a corpore, inops rogi, nefarium ægyptiæ perfidiæ munus portatum est, etiam ipsi victori miserabile: ut enim id Cæsar adspexit, oblitus hostis, soceri vultum induit, ac Pompeio tum proprias, tum etiam filiæ[1] suæ lacrimas reddidit; caput autem[2] plurimis et pretiosissimis odoribus cremandum curavit. Quod si non tam mansuetus animus divini principis exstitisset, paullo ante romani imperii columen habitum, sic[3] mortalium negotia fortuna versat! inhumatum jacuisset. Catonis[4] quoque morte Cæsar audita, *et se illius gloriæ invidere, et illum suæ invidisse*, dixit, patrimoniumque ejus liberis ipsius incolume servavit; et hercule, divinorum Cæsaris operum non parva pars Catonis salus fuisset.

11. M. etiam Antonii[5] animus talis humanitatis intellectu non caruit: M. enim Bruti corpus liberto suo sepeliendum tradidit, quoque honoratius cremaretur, *injici ei suum paludamentum*[6] jussit; jacentem non hostem, sed civem, deposito æstimans odio[7]: quumque interceptum

peius. Nonnulli ediderunt: *in summo terrarum orbe;* sensu minus apto. — *Abscissum.* Alii *abscisum*, ut sæpius. — *Nefarium ægyptiæ perfidiæ munus.* Passim: *nefariæ perfidiæ munus*, deleto *ægyptiæ.*

1. *Filiæ suæ.* Julia Pompeium vehementer amavit. Sed cum Cæsaris lacrimis forsan aliquid gaudii fuit conjunctum, ut Thysius suspicatur.

2. *Autem.* Edd. vulgg. ante Pighium, *etiam;* sed contra MSS. et Mog. ed. — *Curavit.* Codd. aliquot *curat;* minus bene ob præcedens *reddidit.*

3. *Sic.* Alii *sicut.* Male; nam *sic* per exclamationem dictum.

4. *Catonis.* An. Urb. 707. Vid. Dio Cassius, XLIII.

5. *M. etiam Antonii.* An. U. 711. Vid. Appianus, IV. Hoc contigit bello civili, quod gessit Antonius contra Brutum et Cassium, ubi tandem profligatis reipublicæ partibus, Brutus, ne veniret in Antonii potestatem, sibi ipse mortem consciviit.

6. *Paludamentum.* Vestis imperatoria Antonii. Vestes enim suas aliquando injiciebant in rogum eorum, quos maxime volebant honoratos. Sueton. Cæs. 84.

7. *Jacentem..... odio.* MSS. nonnulli habent: *jacentem hostem deposito æstimans odio*, omissis verbis *non* et *sed civem.* Quod haud spernendum. Non enim hanc humanitatem exhibuit Antonius Bruto ut *civi*, vel quod eum *civem existimaret*,

Digitized by Google

a liberto paludamentum comperisset, ira percitus, protinus in eum animadvertit, hac ante præfatione usus: « Quid? tu ignorasti, cujus tibi viri sepulturam commisissem[1]? » Fortem piamque ejus victoriam philippicam[2] libenter dii viderunt; sed ne ista quidem generosissimæ indignationis verba inviti audierunt.

DE HUMANITATE ET CLEMENTIA EXTERNORUM.

1. Commemoratione romani exempli in Macedoniam deductus, morum Alexandri[3] præconium facere cogor: cujus ut infinitam gloriam bellica virtus, ita præcipuum amorem clementia meruit. Is, dum omnes gentes infatigabili cursu lustrat, quodam loci[4] tempestate nivali oppressus, senio jam confectum militem macedonem, nimio frigore obstupefactum, ipse sublimi et propinqua igni sede sedens, animadvertit; factaque non fortunæ, sed ætatis utriusque æstimatione, descendit, et illis manibus, quibus opes Darii afflixerat, corpus frigore duplicatum[5] in suam sedem imposuit: « id ei salutare futurum dicens[6], quod apud Persas capitale exstitisset, solium regium occupasse. » Quid ergo mirum est, si sub eo duce tot annis[7] militare jucundum ducebant, cui gregarii militis incolumitas proprio fastigio carior erat? Idem non hominum ulli,

sed quia animo reputabat, quantus fuerit ille vir cujus virtutibus, deposito odio, pretium statuendum sit.

1. *Commisissem.* Alii *commiserim*, haud vitiose. Attamen *commisissem* præferendum, quia præcedit *ignorasti; commiserim* dixisset auotor, si antecessisset *ignoras*.

2. *Victoriam philippicam.* In campis prope Philippos Macedoniæ, ubi Brutus victus est.

3. *Morum Alexandri.* Vid. Front. IV, 6; Curt. X, 6.

4. *Quodam loci.* Ut supra pluries *hoc loci.* Aldus tamen edidit, *quodam loco*.

5. *Duplicatum.* Incurvatum, contractum; poetice. Vid. Virgil. Æn. XI, 645; XII, 927; Ovid. Metam. VI, 293. Alii malunt *complicatum*, quod ex interpretatione est.

6. *Dicens.* In quinque MSS. desideratur. Vulgatæ pleræque editt. habent *ducens*.

7. *Tot annis.* Abest a codice Leidensi primo.

Digitized by Google

sed naturæ fortunæque cedens, quamquam violentia morbi dilabebatur, in cubitum tamen erectus, dextram omnibus, qui eam contingere vellent, porrexit[1]. Quis autem illam osculari non curreret[2], quæ jam fato oppressa, maximi exercitus complexui, humanitate, quam spiritu, vividiore suffecit?

2. Non tam robusti generis humanitas, sed et ipsa tamen memoria prosequenda Pisistrati Atheniensium tyranni narrabitur: qui, quum adolescens quidam amore filiæ ejus virginis accensus, in publico[3] obviam sibi factam osculatus esset, hortante uxore, *ut ab eo capitale supplicium sumeret*, respondit: *Si eos, qui nos amant, interficimus*[4], *quid his faciemus, quibus odio sumus?* Minime digna vox, cui adjiciatur, eam ex tyranni ore manasse[5].

In hunc modum filiæ injuriam tulit, suam multo laudabilius: a Thrasippo amico[6] inter cœnam sine fine convicio laceratus, ita et animum et vocem ab ira cohibuit, ut putares satellitem a tyranno male audire; abeuntem quoque, veritus ne propter metum maturius se convivio subtraheret, invitatione familiari cœpit retinere. Thrasip-

1. *Dextram ..... porrexit.* Hausto enim veneno Alexander, subito dolore est perfusus. Itaque abiit in cubiculum, universum exercitum ad se jussit acciri et singulis dextram porrexit. Quod triste spectaculum nobis depingit Curt. lib. X, c. 5.

2. *Quis... curreret.* I. e., quis non festinaret ad osculandam dextram, antequam e vita discederet Alexander. Passim legitur *occurreret*, *cuperet*, item *curaret*.

3. *In publico.* Quum illa iret aquatum. — *Osculatus esset.* Certissimum hoc habitum impudicitiæ signum apud complures gentes. Vid. VI, 1, 4. Quidam ex osculo adulterii suspecti, damnati sunt.

4. *Interficimus.* Octo MSS. cum editt. ante Pighium *interficiemus*. Periz. *occidemus*. Cod. Med. prim. *occideremus*.

5. *Eam ..... manasse.* Sed sane lenissimo vocis sensu. Nam egregiis meritis populi favore dignum se reddidit. Simile exemplum vid. in Seneca, de Ira, III, c. 21. Vulgo legitur: *eam ex tyranni ore de humanitate manasse.* Pighius auctoritate trium codd. tamquam glossema superfluum expunxit.

6. *A Thrasippo amico.* Pighius dederat: *namque amico;* sed Torren. istud *namque* auctoritate MSS. et editt. ejecit. — *Male audire.* Id est, objurgari.

Digitized by Google

pus concitatæ temulentiæ impetu evectus, os ejus sputo respersit; nec tamen[1] in vindictam sui valuit accendere, ille vero etiam filios suos violatæ patris majestati subvenire cupientes retraxit; posteroque die[2] Thrasippo supplicium a se voluntaria morte exigere volente, venit ad eum, dataque fide in eodem gradu amicitiæ mansurum, ab incepto revocavit: si nihil aliud dignum honore[3] memoriæ gessisset, his tamen factis abunde se posteritati commendasset.

3. Æque mitis animus Pyrrhi regis[4]: audierat, quosdam Tarentinorum in convivio parum honoratum de se sermonem habuisse[5]; arcessitos, qui ei interfuerant, percontabatur, «an ea, quæ ad aures ejus pervenerant, dixissent?» Tum ex his unus: «Nisi, inquit, vinum nobis defecisset, ista quæ tibi relata sunt, præ iis, quæ de te loquuturi eramus, lusus ac jocus fuissent[6].» Tam urbana crapulæ excusatio, tamque simplex veritatis confessio, iram regis convertit in risum; qua quidem clementia et moderatione assequutus est, ut et sobrii sibi Tarentini gra-

1. *Tamen.* Perizon. *tum;* haud male. — *Valuit accendere.* Vulgo: *accendere potuit.*

2. *Posteroque die.* Torrenius aliique *postero quoque.* — *In..... mansurum.* Eodem modo loquitur Nepos XVIII, 1, 6. Laudandus etiam Pericles, qui nebulonem, variis eum conviciis proscindentem, quum domum rediret, a servis accensa lucerna domum reduci jussit.

3. *Honore memoriæ.* Vulgo: *honore vel memoria.*

4. *Æque..... regis.* An. U. circiter 473. Quint. VI, 3.

5. *Quosdam Tarentinorum..... sermonem habuisse.* Quæ est Pighii lect. Aldus ediderat: *apud quosdam ..... habitum*, ut multi MSS. habent. In nonnull. codd. abest *apud*, unde Lips. conjecit: *quondam... habitum.* Freinshemius maluit *quodam*, scilicet in convivio; quod quidem Vorstius, Perizonius et Torrenius probant, rejecto *quosdam*, quia non *quidam*, sed *omnes* Tarentini, saltem qui isti convivio interfuerant, parum honoratum de eo sermonem habuisse videntur. Addit enim auctor: *arcessitos, qui ei interfuerant, percontabatur, an dixissent.* Non paucos, qui arguebantur ipsi maledixisse, arcessit, sed convivas.

6. *Lusus ac jocus fuissent.* Id est, levia fuissent. Eadem formula loquendi utuntur etiam Livius, lib. XXVIII, cap. 42; et Justinus, lib. XXIV, cap. 42.

Digitized by Google

tias agerent, et ebrii bene precarentur. Ab eadem altitudine humanitatis legatis Romanorum ad redimendos captivos castra sua petentibus, quo tutius venirent, Lyconem Molossum obviam misit; quo honoratius[1] exciperentur, ipse cum ornato equitatu extra portam occurrit; secundarum rerum proventu non adeo corruptus, ut officii prospectum[2] in iis deponeret, qui tum maxime armis cum eo dissidebant.

4. Cujus tam mitis ingenii debitum[3] fructum ultimo fati sui tempore recepit; nam quum diris auspiciis Argivorum invasisset urbem, abscissumque[4] caput ejus Alcyoneus, Antigoni regis filius, ad patrem propugnatione laborantem[5], lætus velut aliquod felicissimum victoriæ opus attulisset, Antigonus correpto juvene, quod tanti viri

1. *Quo honoratius.* In aliquot manuscriptt. est *ornatius*, et in omnibus fere scriptis et editis *quo*, non *quoque*, quod dedit Pighius. — *Ipse..... occurrit.* Ejus verba nobis ex ore Ennii narrat Cicer. Off. I, 12, qui ejus sententiam regalem et Æacidarum gente dignam nominat.

2. *Officii prospectum.* Nihil aliud quam officia præstita. Nec dubium est, quin dixerint *prospicere officium*, quomodo dixere: prospicere alicui bonum.

3. *Cujus..... fructum.* Vid. Just. XXV, 5; Plut. in vit. — *Ultimo.... tempore.* Pyrrhus Italia pulsus in Siciliam trajecit exercitum, ubi navali pugna a Carthaginiensibus superatus, quum ab Antigono, Macedoniæ rege, auxilia non impetrasset, Macedoniam invasit, Antigonumque devicit. Elatus deinde Macedonia in ditionem suam redacta, Peloponnesum quoque invasit. Verum quum Argos peteret, atque Antigonum in ea urbe clausum expugnare conaretur, saxo de muris ictus interiit.

4. *Abscissumque.* Torrenius et Kappius *abscisumque.* Utrumque sæpiuscule commutari, in vulgus notum.

5. *Propugnatione laborantem.* Ita edidit Pigh. Nonnulli codices delent utrumque; nonnulli omittunt *laborantem.* Alii habent *propugnatorem laborantem*, quod certe sensu non caret; ast alii *propugnatorem laborans*, ubi *laborans* manifeste otiosum est, nisi id cum Kappio explicare velis per *festinans, celeriter accurrens*, dicendi modo valde inusitato. Perizonius conjecit *propugnatorem laborantium.* Gronovius Obss. IV, 19, legi malit *ad patrem propugnatorem*, expuncto *laborantem*, ut in codicibus aliquot exstat. Sensus sane percommodus est, si Gronovium sequamur. Torrenius conjicit *propugnatorem advolans lætus*, et quæ sequuntur.

Digitized by Google

subitæ ruinæ, immemor humanorum casuum, effuso gaudio insultaret, humo caput sublatum, causia[1], qua velatum caput suum more Macedonum habebat, texit; corporique Pyrrhi redditum, honoratissime cremandum curavit. Quin etiam filium ejus Helenum captivum ad se pertractum, et cultum et animum gerere regium[2] jussit; ossaque Pyrrhi ei, aurea urna inclusa, Epirum in patriam ad Alexandrum fratrem portanda dedit.

5. Campani[3] autem exercitum nostrum, cum consulibus apud Caudinas furcas sub jugum a Samnitibus missum, nec inermem tantum, sed etiam nudum urbem suam intrantem, perinde ac victorem et spolia hostium præ se ferentem, venerabiliter exceperunt: protinusque consulibus insignia honoris, militibus vestem, arma, equos, commeatum benignissime præstando, et inopiam et deformitatem romanæ cladis mutarunt. Quo animo si pro imperio nostro adversus Hannibalem quoque usi fuissent, truculentis securibus materiam sæviendi non præbuissent[4].

6. Facta mentione acerrimi hostis, mansuetudinis ejus operibus, quam Romano nomini præstitit, locum, qui

1. *Causia.* Καυσία, ἀπὸ τοῦ καίειν, capitis velamen militare fuisse, e Vegetio discimus; utebantur ea pugnatores, ne oculi a solis radiis perstringerentur. Omnes MSS. et edd. *gausea;* Pighius *causea;* sed *causia* ad vocem græcam propius accedit.

2. *Animum..... regium.* Gudius *annulum.... regium.* Perperam. Vid. Curt. III, 12, 12; IV, 1, 22.

3. *Campani,* etc. An. U. 432. Vid. Liv. IX, 6. — *Consulibus.* MSS. aliquot *consule,* et mox *consuli.* Sed utrumque consulem cum exercitu sub jugum missum fuisse, constat ex omnibus historicis. Probanda itaque omnino lectio *consulibus.* Error haud dubie originem traxit ex compendio scribendi *cos. et coss.* — *Caudinas furcas.* Tusculæ seu Fauces Caudinæ, saltus angustiæ a Caudio, Samnitium oppido, nomen accepere, ubi Pontius Herennius maxima Romanos ignominia affecit. — *Sub jugum.* Tribus hastis factum, duabus humi defixis, superque eas una transversa ligata, quod subeuntes ludibrio, conviciis, immo interdum plagis sunt affecti.

4. *Truculentis ..... præbuissent.* An. U. 542. Liv. XXVI, 15. Vid. supra, III, 8, 1.

Digitized by Google

inter manus est, finiam. Hannibal[1] enim Æmilii Paulli apud Cannas trucidati quæsitum corpus, quantum in ipso fuit, inhumatum jacere passus non est: Hannibal Titum Gracchum[2], Lucanorum circumventum insidiis, cum summo honore sepulturæ mandavit, et ossa ejus in patriam portanda militibus nostris tradidit: Hannibal M. Marcellum[3] in agro Brutio, dum conatus Pœnorum cupidius quam consideratius speculatur, interemptum, legitimo jure extulit, punicoque sagulo, et corona donatum laurea, rogo imposuit. Ergo humanitatis dulcedo etiam in efferata[4] barbarorum ingenia penetrat, torvosque et truces hostium mollit oculos, ac victoriæ insolentissimos spiritus flectit; nec illi arduum ac difficile est, inter arma con-

1. *Hannibal*, etc. An. U. 537, 541, 545. Vid. Liv. XXII, 52; XXV, 16; XXVII, 28; Plutarch. in Æmil. et Marcell. Sil. X, 570 sq. XII, 475; Cic. Cat. XX.

2. *Ti. Gracchum.* Hic proditus præcipue a perfido hospite suo Flavio. Vid. supr. I, 6, 8. Alii tradunt in castris romanis sepultum a suis, alii ab Hannibale; et hæc vulgatior fama est. Alii dicunt, imperatoris capite hostes tantummodo potitos ad Hannibalem id detulisse, qui illud ad Cornelium quæstorem miserit; quæstorem deinde summis impensis exsequias imperatoris in castris fecisse.

3. *M. Marcellum.* Hic cum collega Crispino et paucis equitibus exploratum profectus, in insidias, paullo ante ab Hannibale ibi collocatas, ruit, ubi cum aliquot fortissimis viris in medio cæsus, collega vulneratus, filius quoque consulis graviter saucius rediit. Paullo post Hannibal Marcelli corpus inventum sepulturæ mandavit. — *In agro Brutio.* In Apulia hoc factum refert Livius. — *Legitimo jure.* Colerus conjicit *legitimo funere.* Frustra. MSS. constanter retinent *jure*, id est, *legibus.* Unde auctor exprimere voluisse videtur, quod alioquin dicunt *justa alicui facere.* — *Punicoque sagulo.* Sic supra, I, 5, 7: *hispano sagulo.* Freinshem. ad Curt. V, 13, 31, monet, *punico* hic esse pro *puniceo;* ut ad colorem id pertineat. Confirmatur saltem verbis Silii lib. X: *Fulgentia pingui Murice suspirans injicit velamina.* — *Corona.* Ob victoriam apud Nolam reportatam, ubi primus Hannibalem vinci posse docuit. — *Laurea.* Forsan *aurea*, quum Plutarchus habeat χρυσοῦν στέφανον. Sic Freinshemius ad Curtium, loco citato, legendum conjecit.

4. *Efferata.* Alii *effera*, item *effrenata.* — *Torvosque.* Est sine dubio melius, quam *orbosque*, quod multi MSS. habent. Facile utrumque mutari potuit ex pronuntiatione.

Digitized by Google

traria, inter districtos cominus mucrones placidum iter reperire; vincit iram, prosternit odium, hostilemque sanguinem hostilibus lacrimis miscet: quæ etiam [1] admirabilem Hannibalis vocem pro funeribus romanorum ducum arbitria statuentis expressit; quare [2] aliquanto ei plus gloriæ Paullus, Gracchus, et Marcellus sepulti, quam oppressi attulerunt; siquidem illos punico astu decepit, romana mansuetudine honoravit. Vos quoque fortes ac piæ umbræ, non pœnitendas sortitæ [3] estis exsequias; nam ut optabilius in patria, ita speciosius pro patria collapsæ, supremi officii decus infelicitate amissum, virtute recuperastis.

CAPUT II.

De gratis [4] *Romanorum.*

1. Senatus romani. — 2. Juventutis romanæ. — 3. Plebis romanæ. — 4. M. Minucii Rufi magistr. equitum. — 5. Q. Terentii Culeonis. — 6. Civium e Græcia liberatorum. — 7. Q. Metelli Pii cos. — 8. C. Marii cos. IV. — 9. L. Sullæ dictatoris. — 10. Libitinariorum.

De gratis Externorum regum.

1. Darii Persarum. — 2. Mithridatis Ponti. — 3. Attali Asiæ. — 4. Masinissæ Numidiæ.

DE GRATIS ROMANORUM.

Gratas vero ingratasque animi significationes et [5] facta libuit oculis subjicere, ut vitio ac virtuti justa merces

1. *Quæ etiam admirabilem.* MSS. tres: *atque admirabilem*; septem: *atque etiam admirabilem.* — *Arbitria statuentis.* Id est, statuentis præmia ad ipsos funerandos pertinentia, ut Cic. in Pis. c. 9, loquitur: « arbitria patriæ funeris abstulisti. » Pari modo idem et alibi.

2. *Quare.* Torrenius in MSS. tredecim reperit *quia.* Sed *quare* convenientius est.

3. *Sortitæ.* Octo MSS. *sortiti*; duo *fortiti*, vitiose pro *sortiti*, quod non displicet Drakenb. ad Sil. X, 307. Nec improbat Torren. At si *sortiti* teneamus, mox quoque pro *collapsæ* legendum videtur *collapsi.*

4. *De gratis.* Talis est inscriptio in omnibus MSS. et editt. ante Pighium; non *de gratitudine*, ut vulgo ediderunt.

5. *Gratas vero..... et facta.* Tredecim MSS. et vett. editt. ante Pighium habent sic: *gratas vero animi significationes et ingrata facta.* — *Vitio ac virtuti.* Pighius inverso

Digitized by Google

æstimationis ipsa comparatione accederet; sed quoniam contrario proposito sese distinxerunt, nostro quoque stilo separentur; prioremque locum obtineant, quæ laudem, quam quæ reprehensionem merentur[1].

1. Atque ut a publicis actis ordiar, Marcium, patriæ interitum conantem[2], admotoque portis Urbis ingenti Volscorum exercitu, funus ac tenebras romano imperio minitantem, Veturia mater et Volumnia uxor nefarium opus exsequi precibus suis passæ non sunt; in quarum honorem senatus matronarum ordinem[3] benignissimis decretis adornavit; sanxit namque, *ut feminis semita viri cederent;* confessus, *plus salutis reipublicæ in stola, quam in armis fuisse :* vetustisque aurium insignibus[4] novum vittæ discrimen adjecit, permisit quoque his, purpurea veste et

ordine dedit : *virtuti ac vitio;* quia auctor prius *gratas*, deinde *ingratas* dixerat animi significationes. Sed non religiose hoc adeo observant scriptores antiqui.

1. *Merentur.* Abjecti sane et perditi animi est, beneficia accepta non meminisse, nec parem, si possimus, referre gratiam; sicuti eximia est virtus, gratum omnibus præbere animum, quorum ope sublevati, adjuti auctique sumus variis commodis. Non est, quæ hanc virtutem non coluerit, natio; non scriptor de moribus, non legislator, qui eam non commendarit; non honestus unquam, qui eam non exercuerit.

2. *Marcium.... conantem.* Anno Urb. 265. Livius, II, 40; Plutarchus; Dionys. VIII; infra, V, 4, 1. Lectio vulgata, quam Torrenius retinuit, est : *Marcium Coriolanum patriam oppugnare conantem.* At *Coriolanum* abest a decem MSS. *Patriam oppugnare conantem* est in solo cod. Leid. sexto. Melior nostra lectio. Cæterum, Coriolanus plebi infensus erat. Quum enim in annonæ caritate frumenti copia esset advecta, ille censuit, non prius inter plebem dividendum esse frumentum, quam per secessionem usurpata jura restituisset patribus. Quamobrem ira plebis in exsilium actus est. — *Funus.* Cod. Med. seq. *fumum;* male.

3. *Senat. matron. ordin.* Veteres addunt: *gratitudine motus*, ex glossa.

4. *Vetustis aurium insignibus.* Inaures, quarum usus perantiquus, forsan a Græcis translatus. Dependebant margaritæ aut annuli. Plinii ætate magnus jam inaurium erat luxus. Vid. ejus Hist. nat. IX, 35; XI, 37. — *Novum vittæ discrimen.* Illud discrimen constitisse videtur in eo, ut *vittæ* matronarum colore ac ornatu a virginum nubentium et Vestalium vittis differrent.

Digitized by Google

aureis uti segmentis[1]. Super hæc ædem et aram Fortunæ Muliebri[2] eo loco, quo Coriolanus exoratus fuerat, faciendam curavit, memorem beneficii animum suum exquisito religionis cultu testando.

Quem[3] secundi etiam belli punici tempore exhibuit: quum enim a Fulvio Capua obsideretur, ac duæ campanæ mulieres benevolentiam erga Romanos dimittere ex animis noluissent, Vestia Opidia[4] materfamilias, et Cluvia Facula meretrix; quarum altera quotidie pro salute nostri exercitus sacrificavit, altera captis militibus Romanorum alimenta subministrare[5] non destitit; urbe illa oppressa, senatus his et libertatem et bona restituit; et si quid amplius præmii petiissent, libenter se daturum asseveravit. Vacasse in tanto gaudio patribus conscriptis duabus humilibus feminis referre gratiam, nedum tam præ se[6] tulisse, mirandum.

2. Quid illa quoque juventute romana gratius, quæ C. Nautio et Minucio coss.[7] ultro nomina sua militari sacramento obtulit, ut Tusculanis, quorum fines Æqui

1. *Segmentis.* Segmenta monilia et alia ornamenta dissecta sunt. Occurrunt et *segmentatæ vestes.* Juxta alios sunt segmenta fasciæ, quibus mulierum nobilium caput circumdatur: juxta alios denique striæ vestium aureæ aut versicolores.

2. *Fortunæ Muliebri.* Vid. supra I, 8, 4. — *Eo loco.* Via Latina ad IV milliarium.

3. An. U. 541, 43. Liv. XXVI, 12, 16.

4. *Vestia Opidia.* Aliter in codd. passim. Colerus conjicit legendum *Vestilia,* quia Vestiliæ cujusdam mulieris romanæ mentionem facit Plinius. At *Vestiam* quoque nomen muliebre fuisse, patet ex Gruteri Inscriptt. p. 416. — *Cluvia Facula.* Cujus verum nomen in lectionis varietate æque incertum est. *Duna, Duma,* item *Divinia* passim vocatur; *Divina* quoque ac *Clunia.*

5. *Subministrare.* MSS. novem cum ed. Mog. *ministrare;* eodem sensu. Liv. XXIV, 16, 18.

6. *Præ se.* Lipsius loco *præ se* mavult *properiter;* non male, quum beneficii celeritas illud augeat.

7. *C. Nautio et Minucio coss.* An. U. 295. Liv. III, 26; Dionys. X. Discrepat in historia ab his scriptoribus Valerius, alios forte sequutus annales: hi enim triennio postea Tusculanis datum auxilium tradunt, verum his coss. juventutem ultro arma cepisse contra Sabinos scribit Livius. — *Æqui.* Romano

Digitized by Google

occupaverant, præsidium ferrent; quia paucis ante mensibus constantissime et fortissime imperium romani populi defenderant? Ergo quod auditu novum est, ne patriæ grata voluntas cessasse videretur, exercitus se ipse conscripsit[1].

3. Magnum grati populi specimen in Q. Fabio Maximo enituit[2]: nam quum, quinque consulatibus salutariter reipublicæ administratis, decessisset, certatim æs contulit, quo major ac speciosior ejus funeris pompa duceretur. Elevet aliquis præmia virtutis, quum animadvertat fortes viros felicius sepeliri, quam vivere ignavos.

4. Fabio[3] autem etiam incolumi summa cum gloria gratia relata est: dictatori ei magister equitum Minucius scito plebis, quod nunquam antea factum fuerat, æquatus[4], partito exercitu separatim in Samnio cum Hannibale conflixerat; ubi temere inito certamine pestiferum habiturus exitum, subsidio Fabii conservatus, et ipse eum *patrem* appellavit, et a legionibus suis *patronum*[5] salutari voluit; ac deposito æqualis imperii jugo[6], magisterium equitum, sicut par erat, dictaturæ subjecit; imprudentisque vulgi errorem gratæ mentis significatione correxit.

nomini acerrimi hostes, Italiæ populus Sabinis proximus ad Orient.

1. *Conscripsit.* Codd. aliquot *conduxit*, *obtulit*, *eduxit*, *combussit*. Frustra.

2. *Magnum..... enituit.* An. U. 464 circiter. Aurel. Vict. cap. 32. Nobilissimum sane hujus Fabii factum fuit, quum temerarium Minucium, magno animo iram supprimens, liberaret Hannibalemque profligaret. Hannibal ex acie discedens dixisse fertur: *tandem illa nubes, quæ consedit in jugo montium* (ibi enim Fabius speculatus erat Hannibalem), *sollicitata procellæ imbrem dedit.* De quo nunc n. 4 quædam addit Noster.

3. *Fabio.* An. U. 536. Liv. XXII, 29; Plut. in Fab. — *Incolumi*, Id est, vivo.

4. *Dictatori..... æquatus.* Nam ejus cunctatio metus visa est. Verius hoc, quam quod supr. III, 8, 4, narrat.

5. *Patrem ..... Patronum.* Vid. infra, VI, 9, 13; Livius, l. III, 29, 3.

6. *Æqualis imperii jugo.* Scilicet æquilibrio, seu gravi imperii onere.

Digitized by Google

5. Tam hercle probabiliter, quam Q. Terentius Culeo[1] prætoria familia natus, et inter paucos senatorii ordinis splendidus, optimo exemplo Africani superioris currum triumphantis, quia captus a Carthaginiensibus, ab eo fuerat recuperatus, pileum capite gerens, sequutus est: auctori enim libertatis suæ, tamquam patrono[2], accepti beneficii confessionem, spectante populo romano, merito reddidit.

6. At Flaminini[3] de Philippo rege triumphantis currum non unus, sed duo millia civium romanorum pileata comitata sunt; quæ is punicis[4] bellis intercepta, et in Græcia servientia, cura sua collecta, in pristinum gradum restituerat: geminatum ea re[5] decus imperatoris, a quo simul et devicti hostes, et conservati cives, spectaculum patriæ præbuerunt; illorum quoque salus dupliciter omnibus accepta fuit, et quia tam multi, et quia tam grati, exoptatum libertatis statum recuperaverunt.

7. Metellus vero Pius[6] pertinaci erga exsulem patrem

1. *Q. Terentius Culeo.* An. U. 552. Liv. XXX, 45; XXXVIII, 55. — *Pileum.* Pileus signum factæ manumissionis, donatæque libertatis erat. Jam non manumiserat quidem Scipio Culeonem, sed victoriis tamen suis fecerat, ut libertatem ille recuperaret: atque ita idem effectus fuit, qui manumissus.

2. *Tamquam patrono.* Liberti eos, a quibus manumissi erant, patronos vocabant. Vid. Tacit. hist. I, 2. Culeo Scipionem tamquam patronum coluit, quia ab eo hosti ereptus ac in libertatem assertus erat.

3. *At Flaminini*, etc. An. Urb. 559. Liv. XXXIV, 52. — *Pileata comitata sunt.* Idem fecere Placentini et Cremonenses in triumpho Cn. Cornelii ap. Liv. XXXIII, 34.

4. *Quæ is punicis.* Pighius edidit: *quæ punicis;* omisso *is.* Ante eum legebatur: *quæ his punicis*, et sic fere in MSS. exstat, nisi quod nonnulli habent *hiis.* Unde Torrenius conjicit, Valerium scripsisse *quæ is punicis*, licet voculam *is* non receperit in textum, sed Pighianam lectionem servaverit. Sæpius *hiis* pro *iis*, et *his* pro *is* in MSS. occurrit, id quod Torrenii conjecturam valde probabilem reddit.

5. *Geminatum ea re.* Aldus edidit: *geminum ea re;* Pighius pro *re* dedit *die.* Utraque lectio auctoritate codd. aliquot nititur.

6. An. U. 673. Cic. pro Planc. XXIX; Plin. VII, 43, 44; Vellei.

Digitized by Google

amore, tam clarum lacrymis, quam alii victoriis, cognomen assequutus, non dubitavit consul pro Q. Calidio præturæ candidato supplicare populo, quod tribunus plebis legem, qua pater ejus in civitatem restitueretur, tulerat. Quin etiam patronum eum domus et familiæ suæ semper dictitavit. Nec hac re de principatu, quem procul dubio obtinebat, quidquam decerpsit[1]; quia non humili, sed grato animo, longe inferioris hominis maximo merito eximiam submittebat dignitatem.

8. Jam C. quidem Marii[2] non solum præcipuus, sed etiam præpotens gratæ mentis fuit impetus; duas enim Camertium[3] cohortes, mira virtute vim Cimbrorum sustinentes, in ipsa acie, adversus conditionem fœderis civitate donavit: quod quidem factum et vere et egregie excusavit, dicendo, *inter armorum strepitum verba se juris civilis exaudire non potuisse;* et sane id tempus tunc[4] erat, quo magis defendere, quam audire leges oportebat.

II, 15; Aurel. Vict. 63. — *Tam clarum lacrymis.* Patris, Metelli Numidici per injuriam in exsilium pulsi, reditum continuis lacrymis et precibus efflagitando cognomen *Pii* sortitus est. — *Quam alii victoriis.* Sic legendum; neutiquam *quam aliis victoriis*, quod septem MSS. cum ed. Mog. habent. — *Q. Calidio.* Passim *Callidio.* — *Prœturæ candidato.* Sic Pighius ex cod. Campensi edidit. Ceteri codd. MSS. cum omnibus edd. habent *prætore candidato.* Eleganter. Nam qui in candida toga præturam petebant, *prætores candidati* omnino vocabantur, quidquid contra dicat Pighius. — *Ejus.* Exstat in longe maxima MSS. parte, licet reapse abundet. Omisit Pighius.

1. *Decerpsit*, id est, imminuit. Codd. *arcessit*, *accessit*, item *decessit.* Frustra Lipsius maluit *abscessit.* Sed nihil mutandum, quum optimæ notæ scriptores ad normam Valerii loquantur. Sic Cic. de Orat. c. 56: *ne quid jocus de gravitate decerperet*, id est, imminueret seu detraheret.

2. *Jam C. quidem Marii.* An. U. 651. Cic. pro Balb. c. 20. Major MSS. pars pro *jam* exhibet *nam.* Prætulerim *jam*, quia elegans connectendi particula est, qua Noster sæpiuscule utitur.

3. *Camertium.* Camertes populus Italiæ in sexta regione. Vid. Plin. III, 16, et Liv. IX, 36, qui Camertes *Umbros vocat.* — *Adversus conditionem fœderis.* Quia fœdus erat, ne Camertini possent romana civitate donari. Cicero tamen illud fœdus camertinum æquissimum et sanctissimum vocat.

4. *Tunc.* Expunxit Pighius hanc

Digitized by Google

9. C. Marii vestigia ubique L. Sulla certamine laudis subsequitur[1]: dictator enim Pompeio[2] etiam privato et caput adaperuit, et sella assurrexit, et equo descendit: *eaque se libenter facere*, in concione prædicavit; memor, ab eo duodeviginti annis nato partes suas exercitu paterno adjutas[3]: multa insignia Pompeio; sed nescio, an hoc quidquam admirabilius contigerit, quod magnitudine beneficii, sui oblivisci Sullam coegit[4].

10. Sit aliquis in summo splendore etiam sordibus gratis[5] locus: M. Cornuto prætore funus Hirtii[6] et Pansæ jussu senatus locante, qui tunc libitinam exercebant, quum rerum suarum usum, tum ministerium suum gratuitum polliciti sunt, quia hi pro republica dimicantes occiderant; perseverantique postulatione extuderunt[7], ut exsequiarum apparatus sestertio nummo ipsis præbentibus

vocem, quia manifeste abundat; sed auctoritate codd. eam restituit Torrenius.

1. *C. Marii.... subsequitur.* An. U. 672.

2. *Pompeio.* Pompeius Strabo, Magni pater, partes Sullanas sequutus fuerat: quo factum, ut et filius eas sequeretur.

3. *Exercitu paterno adjutas.* Vid. Velleium Paterc. II, 29.

4. *Multa..... coegit.* Sullam natura ferocem et arrogantem induxit, ut humanitati serviret.

5. *Sordibus gratis.* Abstractum pro concreto. *Sordes gratæ* sunt homines, sordidam quidem operam præstantes, sed grati tamen; quos paulo post *contemptum gregem* nominat. An. U. 710.

6. *Hirtii et Pansæ.* Hi bello civili contra M. Antonium ad Mutinam fortiter dimicantes ceciderunt. — *Qui ..... exercebant.* Pollinctores et vespillones: qui et *libitinarii* dicebantur. *Libitina*, dea funerum fuit apud Romanos; deinde ipsum quoque funera curandi munus hoc nomine indigitatum.

7. *Extuderunt.* Sex MSS. *excuderunt*, duo *extulerunt*, cæteri rectius *extuderunt*. Nam *extundere* haud raro ponitur pro *obtinere*, *impetrare*, *extorquere*. Cf. supra, I, 4, 4. — *Sestertio nummo ipsis præbentibus addiceretur.* A duobus codicibus abest *præbentibus*; in uno reperitur *petentibus*. Perizonius maluit *præbendus*. Multi codices habent *adjiceretur*; sed præferendum *addiceretur*, ac sensus est: ut ipsi vespillones, qui præbuerunt apparatum ad exsequias, unum nummum, id est, pretium vilissimum, nempe quartam denarii partem, acciperent. De phrasi: *sestertio nummo addicere*, conferendi sunt, qui de antiquitt. romm. scripsere.

Digitized by Google

addiceretur: quorum laudem adjecta lege conditio[1] auget magis, quam extenuat, quoniam quidem quæstum contempserunt, nulli alii rei quam quæstui viventes.

Pace cinerum suorum reges gentium exterarum secundum[2] hunc tam contemptum gregem referri se patientur: qui aut non attingendus, aut non nisi in ultima parte domesticorum exemplorum collocandus[3] fuit; sed dum honesti actus, etiam ab infimis editi, memoria non intercidant[4], licet separatum locum obtineant, ut nec his adjecti, nec illis[5] prælati videantur.

DE GRATIS EXTERNORUM REGUM.

1. Darius[6] privatæ adhuc fortunæ, amiculo Sylosontis samii delectatus, curiosiore contemplatione fecit, ut ultro

1. *Adjecta lege conditio.* Paucula verba, sed magna difficultas! Quid enim conditio adjecta lege? Silent interpretes, ipseque commentatorum princeps Torrenius ingenue fatetur, se minus intelligere, quid sibi velit. Solus Kappius explicare tentavit, dum ait: « *Conditio* hoc loco non est status vespillonum, sed *determinatio*, quam constituit senatus tamquam legem a vespillonibus observandam; » id quod tamen pro conjectura tantum habendum vult, addens: « Ita intelligo hunc locum difficilem, dum quis meliora afferat. » Lipsius pro *adjecta* legendum conjicit *abjecta*, ut sensus sit: vespillonum, lege ac moribus Romanorum, abjectam vilemque conditionem eorumdem laudem augere. At bene Torrenius in contrarium monet, nullam legem extare, qua vespillonum conditio, ut histrionum, fuerit infamata. Nec quidquam juvant MSS., si solum excipias codicem Perizonianum, qui ita habet: *quorum laudem adjecta laude conditio auget magis, quam extenuat.* Sic enim plana sunt omnia, si una tantum litterula mutata pro *laude* legas *laudi*.

2. *Secundum.* Pro *post*, ut Livius, aliique.

3. *Collocandus.* Alii *collaudandus.* Minus bene.

4. *Sed dum..... intercidant.* Abest *actus* a multis codicibus, qui post *infimis* inserunt *estis*, item *sunt*; plures quoque exhibent *intercidat* pro *intercidant.* Melior est nostra lectio.

5. *His....illis. His* ad remotius, *illis* ad propinquius pertinet, ut plurimis in locis. Vid. supra, II, 7, 12 et 15; III, 2, 1; IV, 7, ext. 1. Quod si observassent interpretes nonnulli, non hic de emendando cogitassent.

6. *Darius.* Vid. Ælian. IV, 5. — *Amiculo.* Ab amiciendo. — *Sylosontis.* Passim *Silosuntis*, item *Si-*

Digitized by Google

sibi, et quidem a cupido, daretur : cujus muneris quam grata æstimatio animo ejus esset allapsa, regno potitus ostendit; totam namque urbem et insulam Samiorum Sylosonti fruendam tradidit[1] : non enim pretium rei æstimatum, sed occasio liberalitatis est honorata, magisque a quo donum proficisceretur, quam ad quem perveniret, provisum.

2. Mithridates quoque rex magnifice gratus apparuit[2]; quoniam pro Leonico, acerrimo salutis suæ defensore, a Rhodiis navali pugna excepto, omnes hostium captivos permutavit : satius esse existimans, ab invisissimis circumveniri[3], quam bene merito gratiam non referre.

3. Liberalis populus romanus magnitudine muneris, quod Attalo regi Asiam dedit dono[4]; sed Attalus etiam testamenti æquitate gratus, qui eamdem Asiam populo romano legavit[5]; itaque nec hujus munificentia, nec illius tam memor beneficii animus tot verbis laudari potest, quot amplissimæ civitates vel amice datæ, vel pie redditæ sunt[6].

lophontis legitur. — *Curiosiore*. Novem MSS. cum multis editt. ante Pighium, *curiosa*.

1. *Totam..... tradidit*. Voluit inviolatam et incolumem tradere, uti Syloson petierat. Verum tradidit ἔρημον· quod Samii auctore et duce Mæandrio deditionem, quemadmodum initio promiserant, facere noluissent; ut vero Strabo vult, ob Sylosontis sævitiam insula deserta est. Samos urbs postea a Romanis funditus deleta. Vid. Plin. IV, 12; Nepos, II, 10, 3.

2. *Mithridates..... apparuit*. Eo tempore, quo Asiam occupavit, et Plotium et Apuleium in vincula conjecit, omnesque Romanos in Asiæ partibus inventos trucidavit; Rhodios quoque invasit, a quibus aliquot navalibus prœliis superatus est, et Leonicus iste amicus captus.

3. *Ab invisissimis circumveniri*. MSS. aliquot *inimicissimis*, item *invictissimis*. Nonnulli pro *circumveniri* habent *circumiri*; alii *circumscribi*.

4. *Liberalis ..... dono*. An. U. 520. Plin. XXXIII, 11; Oros. V, 6, 8; Justin. XXXVI, 4.

5. *Sed..... legavit*. Florus, II, 20; hanc hereditatem inusitatam et incognitam quamdam felicitatem appellare non dubitavit. Errat autem Val. duos Attalos confundens. Attalus enim, cui donata est Asia, avus fuit ejus Attali, a quo eadem testamento legata est populo romano.

6. *Quot..... sunt*. Nonnulli..... *civitati... data... reddita*. Quidam...

Digitized by Google

4. Cæterum nescio, an præcipue Masinissæ regis pectus grati animi pignoribus fuerit refertum; beneficio enim Scipionis et persuasu regni modo liberius auctus[1], memoriam inclyti muneris ad ultimum vitæ finem, longa etiam a diis immortalibus senectute donatus, constantissima fide perduxit; adeo ut eum non solum Africa, sed etiam cunctæ gentes scirent amiciorem Corneliæ familiæ, atque urbi rom. quam sibimet ipsi semper fuisse[2]: ille, quum gravi Carthaginiensium bello premeretur, ac vix tutelæ imperii sui[3] sufficeret, tamen Scipioni Æmiliano, quia nepos Africani erat, bonam magnamque partem Numidici exercitus, quem Lucullo consuli, a quo ad auxilia petenda missus fuerat, in Hispaniam duceret, promptissima mente tradidit, præsentique periculo respectum pristini beneficii anteposuit: ille, quum jam ætate deficiente, magnas regni opes, quatuor et quinquaginta[4] filiorum numerum, re-

civitates.... amicitiæ.... pietati; quod posterius Torrenio videtur a Valerii stilo non abhorrere.

1. *Beneficio..... auctus.* Sic nonnulli codd. MSS. et edd. textum exhibent. Torrenius cum Vorstio dedit: *Beneficio enim Scipionis, et Romanorum amicitia, et pervasi regni modo liberaliter auctus.* Eamdem lectionem Pighius et Colerus dedere, qui tamen pro *pervasi* habent *perampli.* Interpretantur *pervasi regni*, ut sit, quod assiduis bellorum incursionibus penetratum et vastatum est. Verba: *et Romanorum amicitia*, a plurimis MSS. absunt. *Liberaliter* est in nonnullis codicibus; alii habent *liberalius*, plurimi *liberius*, pro quo Perizonius conjicit *uberius.* Commode potest retineri *liberius*, id est, fortiter, audacter. *Modus* hic est, quod vulgo *quantitatem* dicunt. Cæterum regnum, quo auctus fuit Masinissa, fuerat ante Syphacis.

2. *Quam sibimet ipsi semper fuisse.* Vox *ipsi* addita est a Pighio; nam a vetustioribus edd. abest. Undecim MSS. *quam sibimet si superesset*, atque sic ed. Mog.

3. *Imperii sui.* Pighius *sui regni*, omnibus MSS. obstantibus. — *Scipioni Æmiliano*, etc. An. U. 602. — *Bonam magnamque partem. Bona pars* idem, quod *magna.* Hor. Sat. I, 1, 61: « *At bona pars hominum decepta cupidine falso.* » Sed subinde ipsum *magna* adjicitur, quasi exegeseos causa. Sic et Terent. Eun. I, 2, 43. — *Quem Lucullo consuli.* Pighius contra MSS. edidit *ad Lucullum consulem.* Cæterum MSS. fluctuant hic inter *quem* et *quam.*

4. *Quatuor et quinquaginta.* Secundum Polyb. p. 147, *quatuor* legitimos, illegitimos complures

Digitized by Google

linquens, in lectulo laberetur, M. Manilium, qui proconsule Africam obtinebat, literis obsecravit, ut ad se Scipionem Æmilianum, sub eo tunc militantem, mitteret: feliciorem mortem suam futuram ratus, si in complexu dextræ ejus supremum spiritum ac mandata posuisset. Ille, adventum Scipionis fatis suis præcurrentibus[1], hæc uxori, liberisque præceperat: « unum in terris populum romanum, et unam in populo romano Scipionis domum nosse: integra omnia Æmiliano reservare[2]: eum dividendi regni arbitrum haberent: quod is statuisset, perinde ac testamento cautum, immutabile ac sanctum obtinerent. » Tot tamque variis rebus se Masinissa infatigabili pietatis serie ad centesimum[3] extendit annum. His, et horum similibus exemplis, beneficentia generis humani nutritur atque augetur: hæ sunt ejus faces, hi stimuli, propter quos juvandi et emerendi cupiditate flagrat; et sane amplissimæ et speciosissimæ divitiæ sunt, feliciter erogatis beneficiis late posse censeri: quorum quoniam religiosum cultum instituimus[3], nunc neglectum, sugillandi gratia, quo sit gratior, referemus.

reliquit. Cum Appiano consentit Sallust. Bell. Jug. c. 5. — *Numerum*. In novem MSS. multisque editt. exstat *numero*, ut dicatur: *reliquisse magnas regni opes tanto numero filiorum*. Sed non reliquit iis omnibus regni opes, unde *numerum* rectius. — *M. Manilium*. An. U. 605. Multi *Man. Manilium* appellant. Vide Florum, lib. II, c. 15, §. 7; et Cicer. Brut. cap. 15. — *Qui proconsule*. Multi MSS. *qui proconsul*; ut sunt hæc fere perpetuo confusa.

1. *Fatis suis præcurrentibus*. Id est: præveniente morte.

2. *Æmiliano reservare*. Passim editum *se servare*; male: nempe modo *præceperat filiis*; a quo solo verbo regitur hic infinitivus. Voluit enim, filios non dividere regnum et opes ante adventum Æmiliani, sed omnia integra ei reservari.

3. *Ad centesimum*. Numerum rotundum hunc Valerius amplificandi causa elegit; nam Masinissa nonagenarius obiit, ac filium quadriennem reliquit, quem octogesimo sexto ætatis anno genuerat. Vid. VIII, 13, ext. 1.

3. *Instituimus*. Id est, docuimus. Lipsius malit *institimus*. Frustra.

Digitized by Google

CAPUT III.

De ingratis Romanorum.

1. Senatus romani in Romulum. — 2. Populi romani in M. Camillum et alios. — 3. P. Sextilii in C. Cæsarem oratorem. — 4. Cn. Popilii in M. Ciceronem. — 5. Cn. Pompeii Magni in Cn. Carbonem.

De ingratis Externorum.

1. Carthaginiensium in Hannibalem. — 2. Spartanorum in Lycurgum. — 3. Atheniensium in Thesea et alios.

DE INGRATIS ROMANORUM.

1. Urbis[1] nostræ parentem senatus, in amplissimo dignitatis gradu ab eo collocatus, in curia laceravit, nec duxit nefas ei vitam adimere, qui æternum romano imperio spiritum ingeneraverat: rude nimirum illud et ferox seculum; quod[2] conditoris sui cruore fœde maculatum, ne summa quidem posteritatis dissimulare pietas potest.

2. Hunc ingratum lapsæ mentis errorem[3], consentanea nostræ civitatis pœnitentia sequitur. Virium romanarum et

1. *Urbis. Urbs*, sicut πόλις, significat et ipsam multitudinem muris cinctam, et civitatem: *urbs* κατ' ἐξοχὴν Roma est, sicut ἄστυ Athenæ. — *Parentem.* Romulum intelligit, quem et Livius ita appellat. — *Senatus.... laceravit.* An. U. 37. Liv. I, 16. De Romuli morte variæ sunt sententiæ. Livius, inter tonitrua, quum rex ad recensendum exercitum ad capream paludem venisset, et sedata tempestate non amplius apparuisset, ab infensis patribus fuisse direptum, famam esse vulgatam refert. Alii in Vulcani templo dilaceratum tradunt. Sed Julio Proculo a Romanis fides habita, qui eum ad Deos transiisse narravit. Quirinum appellantes perpetuo eum coluerunt.

2. *Seculum; quod.* Subintelligendum *fuit;* ferox seculum fuit. Quod non assequutus Pighius, *quod* expellendum putavit. — *Ne ..... potest.* Licet posteri maxime pii sint in majores, hoc tamen illorum facinus minime dissimulare possunt.

3. *Ingratum lapsæ mentis errorem.* Error *ingratus* est, quem commisisse nollemus, cujus recordatio nobis injucunda est. Sic et *gratissimus* error dicitur. Horat. Epist. II, 2, 140. Mens *lapsa* est *delirans.* — *Consentanea..... sequitur. Pœnitentia* hic quodammodo pro peccato accipitur. Effectus pro causa. Nam non est pœnitentia, nisi præcesserit peccatum. Alii explicant: *Romuli cædem sequitur Camilli exsilium.* Pœnitentiam illud Valerium ironice

Digitized by Google

incrementum lætissimum[1], et tutela certissima Furius Camillus, in urbe incolumitatem suam tueri non valuit, cujus ipse salutem stabilierat, felicitatem auxerat; a L. enim Apuleio, tribuno plebis, tamquam peculator veientanæ prædæ reus factus[2], duris, atque, ut ita dicam, ferreis sententiis in exsilium missus est, et quidem eo tempore, quo optimo juvene filio spoliatus, solatiis magis allevandus, quam cladibus onerandus erat; sed immemor patria tanti viri maximorum meritorum, exsequiis filii damnationem patris junxit: at, inquit[3], ærario abesse tribunus plebis querebatur quindecim millia æris: tanti namque pœna finita est[4]: indignam summam, propter quam populus romanus tali principe careret! Priore adhuc querela vibrante[5], alia deinceps exsurgit. Africanus[6] superior non solum contusam et confractam belli punici armis

vocasse credunt, quod Romani, quos ob necem Romuli pœnitere decebat, in alium errorem, id est, vexationem Camilli, inciderint.

1. *Incrementum lætissimum.* Ut *lætæ* segetes, apud Virgilium. Male quædam editt. habent *latissimum. Vires romanæ* nihil aliud, nisi exercitus et copiæ Romanorum. Camillus enim Capenates et Faliscos imperio romano adjecit, et Veiorum urbem X annos obsessam cepit. An. U. 362. Vid. Liv. V, 32.

2. *Tamquam..... factus.* Plutarch. illum dicit accusatum fuisse spoliorum tyrannorum expilationis, quod fama esset, portas quasdam æneas ex Etruscis spoliis ap. illum esse inventas. — *Ferreis.* Rigidis, immutabilibus. Sic *ferrea fata* dicuntur.

3. *Inquit.* Non opus est, ut cum Lipsio substituamus: *inquis.* Audiamus Gronovium, qui in notis ad Livium, XXXIV, 3, de hoc usu verbi *inquit* ita scribit: « Observavimus, scriptoribus antiquis, ante alios Senecæ, perpetuam formulam proponendæ adversationis esse, *inquit*, sic absolute; ut intelligere videantur, aliquis ex isto numero, aliquis contra dicturus. » Multa deinde exempla subjicit ex Seneca. Aliter Torrenius, qui subintelligi vult: *populus romanus.*

4. *Finita est.* Id est, definita, æstimata. Cf. Nepos, I, 7, 6.

5. *Priore..... vibrante.* Participium activum passive usurpatum per enallagen; ut *volventia plaustra, vehens equo.* Translatio sumpta a telo, quod, quum missum fuerit, vibratur; et antequam vibrare desierit, aliud telum mittitur. Est ita metaphora, pro: priore querela *nondum sublata missave.*

6. *Africanus*, etc. An. U. 551. Senec. ep. 86. — *Contusam.* Codi-

Digitized by Google

rempublicam, sed pæne jam exsanguem atque morientem, Carthaginis dominam reddidit : cujus clarissima opera[1] injuriis pensando, cives ignobilis eum ac desertæ paludis accolam fecerunt, ejusque voluntarii exsilii acerbitatem non tacitus ad inferos tulit, sepulcro suo inscribi jubendo[2]: INGRATA. PATRIA. NE. OSSA. QVIDEM. MEA. HABES. Quid ista aut necessitate indignius, aut querela justius, aut ultione moderatius[3]? Cineres ei suos negavit, quam in cinerem collabi passus non fuerat; igitur hanc unam Scipionis vindictam ingrati animi urbs Roma[4] sensit, majorem mehercule Coriolani violentia: ille enim metu patriam pulsavit, hic verecundia : de qua ne queri[5] quidem (tanta est veræ pietatis constantia) nisi post fata sustinuit. Talia passo, credo, quæ fratri ejus accidere, solatio esse potuerunt[6]: cui rex Antiochus devictus, et Asia imperio populi romani adjecta, speciosissimusque triumphus,

ces aliquot *concussam*, varietate frequenti. — *Carthaginis*. Quum Carthago esset Africæ domina, hac deleta, Romani Africæ domini facti sunt. Recte igitur *Carthaginis* reposuit Vorstius, quum Pighius et Colerus dedissent *Africæ*.

1. *Cujus clarissima opera*, etc. An. U. 566. Liv. XXXV, 52, 56. — *Cives*. Alii habent : *cives vici*. Linterni enim Scipio extremam consumpsit ætatem, omissis propter aliquorum simultatem reipublicæ negotiis. Alii vicum ignobilem prope Linternum intelligunt. Sic clarissimi Atheniensium viri sæpe extra invidam et ingratam patriam sedem quæsiverunt. Videatur Nepos, XII, 8, in fine.

2. *Sepulcro ..... jubendo*. Sic enim in testamento suo præceperat. Sunt, qui dicant, mortuum Romam relatum; et ad hujus rei fidem monumentum ad portam Capenam ei factum, et tres statuas superlocatas fuisse ferunt, quarum duæ P. et L. Scipionum dicantur esse, tertia Ennii poetæ. Vulgatior fama est, Linterni Africanum mortuum, cujus monumentum, tempestate disjectum, Livius se vidisse testatur.

3. *Ultione moderatius*. Non enim, ut Coriolanus aut Alcibiades, vi injuriam vindicandam statuit.

4. *Urbs Roma*. Septem MSS. cum ed. Mog. *urbs romana ;* ut sæpius loquitur Noster.

5. *De qua ne queri*. Fere omnes codd. MSS. cum ed. Mog. *De qua re ne queri*. Nihil mutandum. *De qua* referendum est ad præcedens *patriam*.

6. *Talia ..... potuerunt*. Id est, etsi tantam injuriam passus erat, tamen existimare poterat, benigne secum actum, quia non tam gravia pertulerat, quam frater.

Digitized by Google

ut peculatus reus fieret, et in carcerem duci[1] juberetur, causam præbuit. Nihilo virtute minor fuit posterior Africanus[2], sed ne exitu quidem felicior; duabus enim urbibus Numantia atque Carthagine imperio romano imminentibus, ex rerum natura depulsis[3], raptorem spiritus domi invenit; mortis punitorem in foro non reperit. Quis ignorat, tantum laudis Scipionem Nasicam toga, quantum armis utrumque Africanum, meruisse? qui pestifera Ti. Gracchi manu faucibus oppressam[4] rem publicam strangulari passus non est; sed is quoque[5] propter iniquissimam virtutum suarum apud cives æstimationem, sub titulo legationis Pergamum secessit, et quod vitæ superfuit, ibi sine ullo ingratæ patriæ desiderio peregit.

In eodem nomine[6] versor, necdum Corneliæ gentis querelas exhausi; namque P. Lentulus, clarissimus et amantissimus reipublicæ civis, quum in Aventino[7] C. Gracchi nefarios conatus et aciem pia ac forti pugna, magnis vulneribus exceptis, fugasset, prælii illius, quo

1. *Duci.* Non tamen ductus est; huic enim judicio tam impio tamque iniquo Ti. Gracchus ejus inimicus, rei indignitate commotus, intercessit, et L. Scipionem e lictorum manibus eripuit.

2. *Posterior Africanus.* An. U. 624. Vellei. II, 4; cf. sup. IV, 1, 12.

3. *Ex rerum natura depulsis.* Id est, funditus deletis. — *Scipionem. Nasicam.* Is idem Publ. Cornelius Scipio Nasica et *Serapion* dictus est. Vid. infra, IX, 14, 3; et Cic. Epp. Attic. VI, 1.

4. *Oppressam.* Pighius scripsit *apprehensam*, ex cod. Campensi, qui *apprensam* habet. Rectius *oppressam*. Nam *faucibus premi* dicuntur, quos quis cupit strangulare; *faucibus apprehendi*, qui obtorto collo in jus et vincula trahuntur. Conf. Cic. pro Cluent. XXXI; Juvenal. Sat. XIV, 221.

5. *Sed is quoque*, etc. Plebs deinde graviter tulit Gracchi mortem, et vindictam adversus Nasicam quæsivit. Unde Nasica, quamquam pontifex max., Italiam tamen, et, ut tutus iret, tamquam legatus, deseruit. Haud multo post circa Pergamum interiit, quæ fuit illustris Asiæ civitas ad fluvium Caycum, diu sub Attalicis regibus fortunata.

6. *In eodem nomine*, etc. An. U. 632. Cic. Catil. IV, 6. Lentulus e gente *Cornelia* fuit.

7. *In Aventino.* Quo C. Gracchus et Fulvius, ejus collega, cum cæteris conjuratis sese receperant. — *Pia.* Pro reipublicæ salute suscepta.

Digitized by Google

leges, pacem, libertatemque in suo statu retinuerat, hanc mercedem tulit, ne in urbe nostra moreretur: siquidem invidia et obtrectatione compulsus, legatione a senatu libera impetrata, habitaque concione, qua a Diis immortalibus petiit, ne unquam ad ingratum populum reverteretur, in Siciliam profectus est; ibique perseveranter morando, compotem se voti fecit: quinque igitur demum Cornelii totidem sunt notissima ingratæ patriæ exempla; atque horum quidem secessus voluntarii.

Ahala[1] vero, quum magister equitum Sp. Melium regnum affectantem occidisset, custoditæ libertatis civium exsilio suo pœnas pependit.

3. Cæterum ut senatus populique mens in modum subitæ tempestatis concitata, leni querela[2] prosequenda est: ita singulorum[3] ingrata facta liberiore indignatione proscindenda sunt; quia potentes consilii, quum utrumque ratione perpendere liceret, scelus pietati prætulerunt: quo enim nimbo[4], qua procella verborum, impium Sextilii caput obrui meretur? quod C. Cæsarem[5], a quo quum

1. *Ahala.* An. U. 317. Livius, IV, 14; Cic. Cat. I, 1. — *Regnum affectantem.* Hujus criminis semper fere sunt insimulati, qui, plebis partes agentes, legem agrariam perferre, aut plebis favorem contra patriciorum potentiam sibi parare tentarent. Sp. Melius ex equestri ordine, quum caritas esset annonæ, frumento ex Etruria coempto largitiones frumenti facere instituit, et per plebem hoc munere delinitam primo consulatum, mox, ut Liv. vult, regnum etiam affectavit. Q. Cincinnatus contra eum dictator creatus, magistrum suum equitum Ahalam misit, qui Melium ad se duceret. Ille recusantem obtruncavit. Domus ejus dirutæ area Æquimelium vocata. Verum paulo post populus romanus Ahalam damnatum in exsilium ire coegit.

2. *Leni querela.* MSS. novem habent, ut legebatur ante Pighium, *levi querela.*

3. *Ita singulorum,* etc. An. U. 666. Vid. Cic. de Or. III, 3.

4. *Nimbo.* Alii: *iambo*, ἀπὸ τοῦ ἰαμβίζειν, proscindere. Dubitant enim, an quis dixerit: *nimbus verborum.* Non autem est, quod concludamus: nemo alius sic dixit; ergo nec Valerius. Fit sæpe, ut aliqua metaphora scriptor quidam primus utatur; nec populi suffragium in ea exspectet.

5. *C. Cæsarem.* Sextilius majestatis postulatus erat contra Sullam.

Digitized by Google

studiose, tum etiam feliciter gravissimi criminis reus defensus fuerat, Cinnanæ proscriptionis tempore profugum, præsidium suum in fundo Tarquiniensi cladis conditione implorare, beneficii jure repetere coactum, a sacris perfidæ mensæ, et altaribus nefandorum penatium avulsum, truculento victori jugulandum tradere non exhorruit. Finge accusatorem ejus fortuna publica in supplicis nomen conversum, tam luctuosam illum[1] opem genibus annixum orasse; crudeliter tamen repulsus videretur: quia etiam quos injuriæ invisos faciunt, gratiosos miseriæ reddunt. Verum Sextilius non accusatorem, sed patronum, sævissimæ inimici violentiæ suis manibus objecit: si metu mortis[2], vita indignus; si præmii spe, morte dignissimus.

4. Sed ut ad alium[3] consentaneum huic ingrati animi actum transgrediar, M. Cicero C. Popilium Lænatem, picenæ regionis, rogatu M. Cælii, non minore cura quam eloquentia defendit; eumque[4] causa admodum dubia fluctuantem, salvum ad penates suos remisit: hic Popilius[5] postea nec re, nec verbo a Cicerone læsus, ultro

C. Cæsar orator eum defendit; qui quum a Cinna deinde esset proscriptus, ad Sextilium clientem Tarquinios in Etruria divertit; ille vero ingratissimus hospitem prodidit.

1. *Illum.* Rectius, quam *illam*, quod in multis MSS. exstat. — *Genibus annixum.* Verbum *anniti* quum plerumque intentam operam et summum studium aliquid perficiendi significet, Torrenius malit *genibus affixum*, id est, genibus Sextilii ita advolutum, ut ea firmiter complecteretur, ab iisque repelli vix posset.

2. *Metu mortis.* Quia in tabella proscriptorum adscribuntur generali clausula omnes, qui proscriptos celaverint, protexerint, aut quavis ope juverint. — *Vita indignus.* Tres MSS. *vita dignus.* Reliqui vulgatum recte servant.

3. *Sed ut ad alium*, etc. An. U. 710. — *C. Popilium.* Quem parricidii reum defenderat. — *Picenæ regionis.* Regio Italiæ trans Apenninum, ab ipsis montibus usque ad mare Adriaticum extensa inter Æsin et Leastrum fluvios.

4. *Eumque.* MSS. aliquot *eaque*; unde Perizon. conjicit *eoque*, scil. in Picenam regionem. Nihil opus.

5. *Hic Popilius.* Sic et reliqui scriptores. Solus Plutarchus homicidium hoc Herennio centurioni attribuit. — *Nec re.* Id est, nec facto quodam. Male in cod. Copes. omissum.

Digitized by Google

M. Antonium rogavit, *ut ad illum proscriptum persequendum et jugulandum mitteretur* : impetratisque detestabilis ministerii partibus, gaudio exsultans Caietam[1] cucurrit, et virum, omitto quod amplissimæ dignitatis, certe salutis ejus auctorem, studio etiam præstantis officii privatim sibi venerandum, jugulum præbere jussit ; ac protinus caput romanæ eloquentiæ, et pacis clarissimam dexteram[2], per summum et securum otium, amputavit; eaque sarcina, tamquam opimis spoliis, alacer in urbem reversus est; neque enim[3] scelestum portanti onus succurrit, illud se caput ferre, quod pro capite ejus quondam peroraverat. Invalidæ ad hoc monstrum sugillandum literæ, quoniam qui talem Ciceronis casum satis digne deplorare possit, alius Cicero non exstat[4].

5. Quo te nunc modo, Magne Pompei[5], attingam, nescio; nam et amplitudinem fortunæ tuæ, quæ quondam omnes terras et omnia maria fulgore suo occupaverat, intueor, et ruinam ejus majorem esse, quam ut manu mea attentari debeat, memini; sed tamen nobis quoque[6] tacentibus, Cn. Carbonis, a quo admodum adolescens de

1. *Caietam.* Urbs non longe a Baiano sinu; inde Caietana villa dicta est. — *Quod.* Perizonius suspectum habet. Præter rem. — *Salutis.* Plures codd. *salubritatis.* Minus bene. Alii *salubri.* Male. Torrenius conjicit: *salubris artis studio et præstantis officii.* At lectio vulgata manifeste tam sana est, ut medico non egeat.

2. *Caput..... dexteram.* Caput a Fulvia omnibus contumeliis laceratum. *Dextram,* qua Philippicas scripserat, Antonius pro rostris affigi jussit.

3. *Neque enim.* Codd. aliquot *Neque ei.* Magis placet *enim.*

4. *Alius Cicero non exstat.* Æmulatus est auctor illud de Cicerone elogium Livii : « Si quis tamen virtutibus vitia pensarit, vir magnus, acer, memorabilis fuit, et in cujus laudes sequendas Cicerone laudatore opus fuerit. »

5. *Magne Pompei. Pompeius Strabo,* quum præter alia oppida cepisset Asculum, peculatus est accusatus. In eo judicio a Carbone est defensus, qui igitur et ejus filio Pompeio Magno paterna bona servavit. Sed Pompeius in Sullæ favorem Carbonem victum crudeliter tractavit et interfici jussit. An. U. 671.

6. *Quoque.* Expunxit Pighius.

Digitized by Google

paternis bonis in foro dimicans protectus es, jussu tuo interempti mors animis hominum obversabitur, non sine aliqua reprehensione; quia tam ingrato facto plus L. Sullæ viribus, quam propriæ indulsisti verecundiæ.

DE INGRATIS EXTERNORUM.

1. At ne nostra confessis alienigenæ urbes insultent, Carthaginienses[1] Hannibalem, qui pro illorum incolumitate et victoria tot imperatores, totque exercitus nostros trucidaverat, quot gregarios milites hostium si occidisset, magnæ gloriæ foret, e conspectu suo submovere in animum induxerunt.

2. Neminem Lycurgo[2] aut majorem aut utiliorem virum Lacedæmon genuit; utpote cui Apollo Pythius oraculum petenti respondisse fertur, *nescire se, utrum illum hominum, an deorum numero aggregaret*: huic tamen neque vitæ summa sinceritas[3], neque constantissimus erga patriam amor, neque leges salutariter excogitatæ, auxilio esse potuerunt, quo minus infestos cives experiretur; sæpe

Frustra. — *Paternis*. Alii *patriis*. — *Obversabitur*, ... *reprehensione*. Sex codd. MSS. cum Mog. ed. *observabitur*; pro quo Perizonius *observatur* maluit. Verum omnes hoc ordine: *non sine aliqua reprehensione obversabitur*. Ordo potest ferri; verbum non erat mutandum. Conf. Cicer. Tusculan. II, 22.

1. *Carthaginienses*, etc. An. U. 558. Liv. XXXIII, 46. De ingratis in Hannibalem Carthaginiensibus legatur Cornel. Nepos, in illius vita. Sed Romanorum metu id fecerunt, et sententia moti, præstare, unum civem, quam civitatem perdi. — *Occidisset*. Quinque MSS. *occidisse*, quod Torrenio et Kappio non displicet.

2. *Neminem Lycurgo*, etc. Vide Plutarch. in vit. Ælian. XIII, 23; Justin. III, 3; Polyb. VI, 46. — *Aut... utiliorem*. Non immerito civium suorum σωτὴρ, sicut Aristides δίκαιος dictus est.

3. *Vitæ summa sinceritas*. Nam pie semper vixit et avunculo fidem summam servavit. MSS. aliquot habent *summæ* pro *summa*. Male. — *Neque... amor*. Perseverantissimus exilium elegit, ne leges patriæ salutares tolli possent. Imposito tandem civibus juramento, ne quid legum suarum mutarent, quoad rediret; in Creta mortuus est, ac moribundus jussit in mare spargi cineres suos. — *Salutariter*. Ita legendum, non *salubriter*, quod alii habent. Cf. V, 2, 3.

Digitized by Google

enim lapidibus petitus, aliquando furore publico ejectus, etiam privatus oculo[1], ad ultimum ipsa patria pulsus est. Quid aliæ faciant urbes, ubi[2] etiam illa, quæ constantiæ, et moderationis, et gravitatis eximiam sibi laudem vindicat, tam ingrata adversus tam bene meritum exstitit?

3. Detrahe Atheniensibus Thesea[3]; nullæ, aut non tam claræ Athenæ erunt; siquidem ille locatim[4] dispersos cives suos in unam urbem contraxit, separatimque et agresti more viventi populo amplissimæ civitatis formam atque imaginem imposuit: idem sæva potentissimi regis Minois imperia vixdum ætate pubescente repulit[5]; idem effrenatam Thebarum insolentiam domuit[6]; idem opem liberis Herculis tulit[7], et quidquid ubique monstri aut sceleris

1. *Privatus oculo.* Quum divites opibus suis exueret, Alexander seu Alcander quidam ei elisit oculum; quem ipsum hominem egregia animi magnitudine et benevolentia deinde sibi obligavit. Nonnulli codd., omisso *oculo*, exhibent: *furore ejectus publico, furore etiam privato.* Torrenius malit: *aliquando foro ejectus furore publico, etiam privatus oculo.* Cur lectio vulgata sollicitanda sit, non apparet.

2. *Faciant urbes, ubi.* MSS. nonnulli *facient*, et sic vulgo edebatur. Sed plures rectius *faciant*, ut emendavit Pighius. *Ubi* positum pro *si* vel *quum.*

3. *Thesea.* Vide Plutarch. in vita. Cic. de Leg. II, 2.

4. *Locatim.* Alii malunt *vicatim*, item *pagatim.* Nam ante Thesea in pagis habitarunt Athenienses; et Livius memorat, illis fuisse delubra, quæ, quondam pagatim habitantes, in parvis illis castellis vicisque consecrarint. Sic vero plurimi populorum antiquitus habitarunt. Sed *locus* interdum Latinis idem est, quod κώμη, pagus. Unde *locatim* ex consensu MSS. retinendum, licet adverbium minus usitatum sit. — *Separatimque.* Alii *sparsimque;* eodem fere sensu. Colerus ex uno cod. Dan. reposuit *passimque.* At *separatimque* in MSS. plurimis exstat.

5. *Idem ..... repulit.* Fabulæ de Minotauro et filo Ariadneo neminem latent. Vide Ovid. Heroid. II, 71; Statius, Thebaid. XII, 779.

6. *Idem.....domuit.* Quum Creon, rex Thebanorum, prohiberet, Græcorum cadavera, quæ in bello ceciderant, sepulturæ mandari, uxores et liberi mortuorum ad Thesea confugerunt, qui quum, legatis missis, rem benigne impetrare non potuisset, Thebanis bellum intulit, hisque victis, corpora suis sepelienda tradidit.

7. *Idem..... tulit.* Constituerat nempe Athenis asylum ad aram misericordiæ, quo se etiam Herculis filii, quibus, quum pater multos tyrannos et latrones subegisset, orta

Digitized by Google

fuit, virtute animi ac robore dextræ comminuit : hujus tamen submoti ab Atheniensibus[1], Scyros exsule minor insula, ossa mortui cepit. Jam Solon[2], qui tam præclaras tamque utiles Atheniensibus leges tulit, ut, si his perpetuo uti voluissent, sempiternum habituri fuerint imperium ; qui Salamina velut hostilem arcem ex propinquo saluti eorum imminentem recuperavit[3]; qui Pisistrati tyrannidem primus vidit orientem, et solus[4] armis opprimi debere, palam dictitare ausus est, senectutem Cypri profugus[5] exegit : neque ei in patria, de qua optime meruerat, humari contigit. Bene egissent Athenienses cum Miltiade[6], si eum post trecenta millia Persarum Marathone

erat invidia, contulerunt, et salvi ab omni injuria fuerunt. — *Quidquid....fuit.* Inter alia narrant, eum haud longe a Megara vicisse Scironem latronem in monte Cæo, quem ille occupaverat, et ubi transeuntes omnes cogebat, sibi in præcipiti rupe sedenti pedes osculari, quos ad osculum inclinatos, elato pede, per anfractas rupes detrudebat in profundam vallem. Theseus, ad hunc quum venisset, simulavit, se velle pedes osculari, eumque pedibus prehensum dejecit. In Peloponneso Sinnin Pityocampten eo mortis genere affecit, quo ipse hospites et viatores afficere solitus fuerat ; quum enim maximo polleret robore, arbores magnas deflectebat humum, et captos homines illarum verticibus alligabat; deinde, tamquam funda, emittebat : jacti in partes scindebantur. Procrusten quoque interfecit, qui lecticas habuit humana statura breviores, in quibus susceptos hospites collocabat, illos extendi jubebat, et quicquid extra lecticas emineret, totum amputabat. Res gestas Thesei recensset Ovidius in septimo Metamorphoseon libro.

1. *Ab Atheniensibus.* Vide Justin. II, 7; Cic. Catil. 20. — *Scyros... insula.* Ægei maris insula, clara propter Lycomedis cum Achille affinitatem et Achillis filium Neoptolemum ibi natum et enutritum. In quam insulam quum *Theseus* post exsilium a patria indictum divertisset, Lycomedes, insulæ princeps, illum de rupe præcipitavit. Vide Ovid. loco citato. *Exsule minor insula.* MSS. quinque *exsulis.* Forte quia librarii capere non poterant acumen, quod Valerius more suo captat, dum insulam *exsule minorem* dicit.

2. *Solon.* Vide Plutarch. in vit. Polyæn. I, 20, 1.

3. *Qui..... recuperavit.* Quum se mente captum simularet.

4. *Et solus.* Licet Pisistratus ejus esset propinquus. MSS. plurimi delent *et.* — *Ausus est.* MSS. potissima pars *ausus*, omisso verbo auxiliari.

5. *Cypri profugus.* Non se satis tutum putasse videtur, factionibus undique ad summam potentiam enitentibus.

6. *Cum Miltiade.* Vide Justin. II,

Digitized by Google

devicta, in exsilium protinus misissent, ac non in carcere et vinculis mori coegissent; sed, ut puto, hactenus sævire adversus optime meritum abunde duxerunt[1]: immo ne corpus quidem ejus, sic exspirare coacti, sepulturæ prius mandari passi sunt, quam filius ejus Cimon eisdem vinculis se constringendum traderet. Hanc hereditatem paternam maximi ducis filius, et futurus ipse ætatis suæ dux maximus, solam se crevisse[2], catenas et carcerem, gloriari potuit. Aristides etiam, quo totius Græciæ justitia censetur[3], continentiæ quoque eximium specimen, patria excedere jussus est: felices Athenas, quæ post illius exsilium invenire aliquem aut virum bonum, aut amantem sui civem potuerunt, cum quo tunc ipsa sanctitas migravit! Themistocles[4], eorum, qui ingratam patriam experti sunt, celeberrimum exemplum, quum illam incolumem, claram, opulentam, principem Græciæ reddidisset, eo usque sensit inimicam, ut ad Xerxis, quem paulo ante destruxerat,

9; Infra V, 4, ext. 2. — *Trecenta millia.* Justinus loco citato ducenta millia barbarorum in ea pugna cecidisse scribit. — *Protinus.* Abest in codd. nonnullis, ac displicet Perizonio. Torrenius recte explicat: «si hanc victoriæ reportatæ gratiam illi retulissent, ut protinus misissent in exsilium.»

1. *Sed..... duxerunt.* Hoc ironice dictum, ut sensus sit: non putare Valerium, Athenienses satis habuisse, prædicto modo in Miltiadem sævire. Male igitur Pighius intrusit *non*, ante *duxerunt.*

2. *Hanc hereditatem..... crevisse.* Hereditatem *cernere* est eam *adire;* proprie vero, deliberare, utrum eam adire velimus, nec ne. Vetus solennis formula Romanorum: *cretio hereditatis;* de qua videsis Brissonium de Formull. VII, p. 600. Male Aldus aliique pro *crevisse* scripserunt *meruisse*, aut etiam, *sortitum esse.*

3. *Censetur*, id est, æstimatur. Conf. supra V, 2, in fine; Justin. IX, 2, 9. — *Continentiæ... specimen.* Nam pauperrimus fuit. Et quum Calliam, civem ditissimum, quod Aristidem pateretur fame laborare, judices damnaturi erant, Aristides dixit; «se longe magis inopia, quam Calliam maximis opibus gloriari, quia complures videret, qui divitias, quibus abundarent, in usus vel turpes, vel inhonestos collocarent; qui vero paupertatem generosissimi ferant, paucissimos esse.»

4. *Themistocles.* Vide Ælian. Var. Hist. III, 47. — *Ad Xerxis.* Ad ejus filium *Artaxerxem* Themistoclem confugisse, Nepos refert, II, 9, pag. 35 nostræ editionis.

Digitized by Google

non debitam sibi misericordiam perfugere necesse haberet. Phocion[1] vero his dotibus, quæ ad pariendum hominem[2] potentissimæ judicantur, clementia et[3] liberalitate instructissimus, tantum non in eculeo ab Atheniensibus impositus est ; sed certe post obitum nullam Atticæ regionis, quæ ossibus ejus injiceretur, glebulam invenit; jussus extra fines projici, intra quos optimus civis vixerat. Quid abest[4] igitur, quin publica dementia sit existimanda, summo consensu maximas virtutes, quasi gravissima delicta, punire, beneficiaque injuriis rependere? Quod quum ubique, tum præcipue Athenis intolerabile videri debet; in qua urbe adversus ingratos actio constituta est[5]; et recte, quia dandi et accipiendi beneficii commercium, sine quo vix vita hominum constat, perdit et tollit[6], quisquis bene merito parem referre gratiam negligit : quantam ergo reprehensionem merentur, qui quum æquissima[7] jura,

1. *Phocion.* Vid. sup. III, 8, ext. 2.

2. *Ad pariendum hominem.* Duriuscule auctor dixit : *parere hominem*, pro : *hominum gratiam sibi conciliare.* Pighius ex conjectura scripsit : *ad pacandum hominem;* id quod plurimis editoribus, ipsique Torrenio, ita placuit, ut in textum receperint, contra MSS. fidem, qui nostram lectionem constanter servant, si a pauculis discesseris, quibus : *ad pariendum hominum genus*, itemque *ad pariendum honorem*, legitur. Perizonius maluit *capiendum.* — *Clementia.* Alii, *eloquentia;* nam et hæc ad favorem hominum parandum plurimum confert. Deinde Phocion re vera fuit eloquentissimus. Hinc illa vox Demosthenis de Phocione : ἡ τῶν ἐμῶν λόγων σφύρα καὶ κόπις ἔρχεται.

3. *Liberalitate.* Pighius auctoritate unius codicis Camp. substituit *integritate*, usus ratione, Phocionem *liberalem* esse non potuisse, quum *pauperrimus* fuerit. Sed scriptores veteres laudant Phocionis liberalitatem : ac forsan ob nimiam liberalitatem in paupertatem incidit. — *In eculeo .... impositus est. Imponere in re* habent etiam Cicero et Quintilianus. Usitatior tamen constructio est : *alicui* et *in aliquid.*

4. *Quid abest.* Male Pigh. *Quid obest.*

5. *In qua ..... est.* Vide supra II, 6, 6; Senec. de Benef. III, 6.

6. *Constat, perdit et tollit.* Sic vulgo. Nonnulli codd. *exstat, tollit;* alii *exstaret, tollit.* In ed. Mog. est : *constat, expers tollit;* unde Torrenius conjicit : *constat, ex parte tollit.* Frustra. Neque enim *perdit et* suspectum alicui videbitur, qui *perdere* sæpissime pro *evertere (détruire)* poni meminerit.

7. *Æquissima.* Cod. Ultraj. prim.

Digitized by Google

sed iniquissima haberent ingenia, moribus suis, quam legibus, uti maluerunt? Quod si qua providentia deorum effici posset, ut excellentissimi viri, quorum modo casus retuli, legem ingratorum vindicem retinentes, patriam suam in jus ad aliam civitatem pertraherent, nonne ingeniosum[1] et garrulum populum, mutum atque elinguem hac postulatione reddidissent? Discordes foci tui, pagisque dividua tuguria, Græciæ facta sunt columen[2]. Lucet Marathon persicis tropæis; Salamis et Artemisium Xerxis naufragia numerantur[3]; prævalidis manibus exhausta[4] mœnia, pulchrioribus operibus consurgunt: harum rerum auctores ubi vixerunt? ubi jacent[5]? responde. Nempe Thesea parvulo in scopulo[6] sepeliri, et Miltiadem in carcere mori, et Cimona paternas induere catenas, et Themistoclem victorem victi hostis genua complecti, Solonemque cum Aristide et Phocione penates suos ingrata fugere coegisti; quum interim cineribus nostris[7] fœde ac miserabiliter di-

exquisitissima. Male. Nam apparet, *æquissima* et *iniquissima* inter se opponi.

1. *Ingeniosum*. Sallustius ita de iis judicat: «Atheniensium res gestæ satis amplæ magnificæque fuerunt: verum aliquanto minores tamen, quam fama feruntur. Sed quia provenere ibi scriptorum magna ingenia, per terrarum orbem Atheniensium facta pro maximis celebrantur.» Vide Augustin. de Civit. Dei, XVIII, 2. — *Mutum..... reddidissent*. Hac accusatione fecissent, ut Athenienses nihil respondere potuissent.

2. *Discordes..... columen*. Sensus: Ignes tui dispersi, domus tuæ separatæ, et ipsa, quæ pagis (δήμοις) dividua fuerant quondam tuguria, deinde maxima urbs, Græciæ columen, facta sunt. Codd. MSS. vel *paucisque*, vel *pacisque* habent; unde Lipsius conjecit *et pagis*, quod Torrenius in *pagisque* mutavit.

3. *Salamis*, etc. Victus enim est Xerxes apud Salamina et apud Artemisium, Eubœæ promontorium.

4. *Exhausta*. Alii *exusta*. Sed mœnia tam *exhauriri*, quam *exuri* dicuntur. *Exhaurire fossam* habet Liv. I, 59.

5. *Ubi vixerunt? ubi jacent?* Pighio displicent interrogatiunculæ, ideoque mavult: *ubi vixerint, ubi jacent*. Verum, si legendum: *ubi jacent*, debet quoque legi: *ubi vixerunt*.

6. *Parvulo in scopulo*. In parva insula Scyro, aut in scopulo prope illam insulam. Vide Plin. IV, 11. —*Phocione*. Quin imo capitis damnatus est, et supplicium subiit cicuta in carcere bibenda. Ælian. Var. Hist. XII, 49.

7. *Nostris*. Non *vestris*, ut alii

Digitized by Google

spersis, Œdipodis ossa, cæde patris, nuptiis matris contaminata, inter ipsum areopagum, divini atque humani certaminis venerabile domicilium, et excelsis præsidiis Minervæ arcem, honore aræ decorata, quasi sacrosancta, colis : adeo tibi aliena mala tuis bonis gratiora sunt! Lege itaque legem, quæ te jurejurando obstrictam tenet; et quia bene meritis debita reddere præmia noluisti, læsis justa piacula exsolve : tacent mutæ illorum umbræ, fati necessitate constrictæ; at immemores beneficiorum Athenæ reprehensore, lingua sermone licenti soluta, non carent[1].

contendunt : nam loquentes inducit magnos illos Græcos. — *Œdipodis.* Œdipodis, utpote externi et alienigenæ, Thebani scilicet. Illud de Œdipo, exprobravit etiam Epaminondæ Callistratus. Nep. XV, 6, 2. — *Inter ipsum areopagum.* Pro *in ipso areopago.* Sæpius *inter* pro *in* reperias. *Areopagus* est locus judicii atheniensis; dictus fuit quoque *Martius collis*, *Martium judicium*, *curia Martis.* — *Excelsis præsidiis.* Alii malunt *excelsam præsidis.* Ascensius *excelsis* explicat per *divinis*, quia Dea ipsa arcem suam defendere credebatur.

1. *At immemores.....non carent.* Pighius ex cod. Cauchiano edidit : *at immemores beneficiorum Athenas omnis lingua sermone licenti in reprehensionem soluta non tacet.* Quæ lectio licet elegantior sit, nostram tamen, a Vorstio primum ex cod. Pulmanniano exhibitam, sequuntur editores recentiores tantum non omnes. Proxime quoque codd. vett. typis expressi ad eam accedunt. Omnes enim habent *Athenæ*, casu recto. Deinde voci *Athenæ* proxime adjungunt *reprehensione*, quod et ipsum non incommodum est. Perinde enim est, sive dicas Athenas *reprehensore* non carere, sive dicas easdem non carere *reprehensione.* Denique pro : *non carent*, editio Aldina habet : *non vacent;* id quod ab altero illo parum discrepat. In aliis libris est *non tacet*, quod nullo modo ferri potest, quia in iisdem libris casus rectus *Athenæ* antecedit. Vox *licenti* a pluribus MSS. abest. Kappius legendum conjicit : ... *Athenas reprehensione lingua*, ... *non tacet;* ut Valerius in verbis *tacent* et *tacet* lusisse videatur, ac sensus sit : *at lingua, sermone licenti soluta, non tacet* (licet umbræ mutæ taceant), *reprehensione Athenas, beneficiorum immemores.* Atque ita ex vestigiis Perizoniani codicis levi mutatione legi posse, jam ante Torrenio suboluit, quippe qui eamdem illam proposuit lectionem, nisi quod pro *reprehensione* legi maluerit *reprehensionis*, dicendi ratione magis perspicua et minus affectata.

Digitized by Google

CAPUT IV.

De pietate in parentes, cujus exempla Romanorum sunt.

1. Cn. Marcius Coriolanus. — 2. P. Scipio Africanus major. — 3. T. Manlius Torquatus. — 4. M. Aurelius Cotta — 5. C. Flaminius tribunus plebis. — — 6. Claudia virgo Vestalis. — 7. Filia matrem in carcere mamma nutriens.

De pietate in parentes, cujus exempla Externorum sunt.

1. Pero filia patrem mamma nutriens. — 2. Cimon atheniensis. — 3. Duo fratres hispani. — 4. Cleobis et Biton; Amphinomus et Anapus. — 5. Scythæ. — 6. Cræsi regis filius mutus. — 7. Pulto pinnensis juvenis.

DE PIETATE IN PARENTES, CUJUS EXEMPLA ROMANORUM SUNT.

Sed omittamus ingratos, et potius de piis[1] loquamur; aliquanto enim satius[2] est favorabili, quam invisæ, rei vacare : venite igitur in manus nostras, prospera parentum vota, felicibus auspiciis propagatæ suboles, quæ efficitis, ut et genuisse juvet, et generare libeat.

1. Coriolanus[3], maximi vir animi et altissimi consilii, optimeque de republica meritus, iniquissimæ damnationis ruina prostratus, ad Volscos infestos tunc Romanis confugit : magno ubique pretio virtus æstimatur; itaque[4] quo latebras quæsitum venerat, ibi brevi summum adeptus est imperium, evenitque, ut quem pro se salutarem imperatorem cives habere noluerant, pæne pestiferum adversus se ducem experirentur; frequenter enim fusis exercitibus

1. *De piis.* Sicuti *religio*, quæ Deo, sic *pietas*, quæ parentibus, liberis, cognatis, propinquis, etc. sint præstanda, complecti videtur.

2. *Satius.* Codd. aliquot *sanctius.* Minus bene.

3. *Coriolanus.* De quo vide supra I, 8, 4; et IV, 3, 4; Eutrop. I, 13.

4. *Quo.* Alii *qui.* Perperam, ob subsequens *ibi.* — *Brevi summum.* Quatuor MSS. delent *summum;* sex MSS. habent *brevissimum*, cæteri *brevi summum*, quod recte restituit Pighius.

Digitized by Google

nostris, victoriarum suarum gradibus aditum juxta mœnia[1] urbis volsco militi struxit : quapropter fastidiosus ille in æstimandis bonis suis populus, qui reo non pepercerat, exsuli coactus est supplicare. Missi ad eum deprecandum legati, nihil profecerunt[2]; missi deinde sacerdotes cum infulis[3], æque sine effectu redierunt : stupebat senatus, trepidabat populus, viri pariter ac mulieres exitium imminens lamentabantur. Tunc Veturia, Coriolani mater, Volumniam uxorem ejus, et liberos secum trahens, castra Volscorum petiit : quam ubi filius adspexit, « Expugnasti[4], inquit, et vicisti iram meam, patria, precibus hujus admotis, cujus utero te, quamvis[5] merito mihi invisam, dono; » continuoque romanum agrum hostilibus armis liberavit. Ergo pectus dolore acceptæ injuriæ, spe potiundæ victoriæ, verecundia detrectandi ministerii, metu mortis[6] refertum, totum sibi pietas vacuefecit : uniusque parentis adspectus bellum atrox salutari pace mutavit.

2. Eadem pietas[7] viribus suis inflammatum Africanum superiorem, vixdum annos puerilitatis egressum, ad opem

1. *Juxta mœnia.* Guyetus maluit *ad mœnia.*

2. *Profecerunt.* Perizonius malit *perfecerant*, et mox *redierant*, quod in solo cod. Copes. est. Mutari possent, at non est necesse.

3. *Cum infulis.* Ornatu sacerdotali in capite.

4. *Expugnasti.* Ante hoc verbum quidam MSS. et edd. pluscula habent, quæ Pighius recte expunxit, quia ad verbum a sciolo quodam ex Livio II, 40, descripta videntur.

5. *Patria ..... quamvis.* Sic bene textum constituit Pighius ex MSS., quum in aliis sit: *patriam precibus hujus admotis, cujus utero delatus sum, quamvis*, etc.

6. *Metu mortis.* Metuendum enim erat, ne, si urbem oppugnare desisteret, ab ipsis illis, quorum imperator erat, Volscis interimeretur. Cicero in Lælio ipsum sibi mortem conscivisse scribit. *Ministerium* est, quod Volscis promiserat et inceperat. Septem MSS *verecundia non detrectandi.* Male.

7. *Eadem pietas*, etc. An. U. 535. Liv. XXI, 46; Plin. XVI, 4; Senec. de Benef. III, 33; Flor. II, 6, 10. — *Puerilitatis.* Hac voce etiam Varronem usum, tradit Nonius. Vix tamen *puerilitas* pro *ætate puerili* dicitur, et locus Varronis apud Nonium ostendit, potius de moribus puerorum et de levitate puerili hanc vocem usurpari. Unde Torrenius conjicit, Valerium scri-

Digitized by Google

patri in acie ferendam virili robore armavit : consulem enim eum apud Ticinum[1] fluvium adversis auspiciis cum Hannibale pugnantem, graviter saucium, intercessu suo servavit; neque illum aut ætatis infirmitas, aut militiæ tirocinium, aut infelicis prælii etiam veterano bellatori pertimescendus exitus interpellare valuit, quo minus duplici gloria conspicuus coronam[2], imperatore simul et patre ex ipsa morte rapto, mereretur.

3. Auribus ista tam præclara exempla romana civitas accepit[3]; illa vidit oculis : L. Manlio Torquato[4] diem ad populum Pomponius tribunus plebis dixerat, quod occasione bene finiendi belli inductus, legitimum obtinendi imperii tempus excessisset, quodque filium optimæ indolis juvenem, rustico opere gravatum, publicis usibus subtraheret: id postquam Manlius[5] adolescens cognovit, proti-

psisse : *annos pubertatis ingressum.*

1. *Ticinum.* Plinius loc. cit. falso scribit, factum id esse *apud Trebiam.* Cf. Florus, loc. cit. — *Intercessu suo.* Quod se medium inter patrem et hostem immisit.

2. *Coronam.* Civicam quernam, de qua vid. Gellius, V, 6. Pro *conspicuus* Pighius ex solo cod. Camp. reposuit *conspicuam.* Male. Rectius enim ipse Scipio duplici gloria conspicuus dicitur, quam corona. — *Imperatore simul et patre.* MSS. aliquot *imperii simul et nomen patre.* Perperam. — *Mereretur.* Circumspecte loquitur auctor. Nam teste Plinio l. c. recipere noluit Africanus coronam civicam.

3. *Auribus.... accepit.* At de Coriolano videre etiam potuit.

4. *L. Manlio Torquato.* An. U. 391. Liv. VII, 5; Senec. de Ben. — *Finiendi.* Sic Pighius recte edidit. MSS. et editt. vett. *faciendi*, quod hic locum habere nequit, quoniam *facere bellum* significat *bellum inferre, movere, concitare.* Lectioni Pighianæ favet nonnihil cod. Bit. prim. contracte *benefiendi* exhibens; unde *beneficiendi*, ac tandem *benefaciendi* ortum, quæ inepta sane loquutio est. Torrenius putat, Valerium forsan *perficiendi* scripsisse. Cf. Liv. XXVI, 1; XLIII, 39. — *Inductus.* Aldus aliique editores post eum dedere *ductus;* sed antiquiores editt. cum tredecim MSS. habent *inductus*, quod verbum frequens est de his, qui vel ab aliis, vel opinione sua in errorem ac fraudem impelluntur.

5. *Manlius.* Quia notum est, non L. Manlium, sed ejus filium Titum *Torquati* nomen esse nactum, Pighius substituit cognomen Imperioso. Sed quum omnes codd. *Torquato* habeant, id potius error Valerii vocandus est.

Digitized by Google

nus urbem petiit, et se in Pomponii domum prima luce direxit; qui existimans in hoc eum venisse, ut patris crimina, a quo plus justo aspere tractabatur, deferret, excedere omnes jussit cubiculo, quo licentius remotis arbitris indicium perageret: nactus occasionem opportunam proposito suo juvenis, gladium, quem tectum attulerat, destrinxit, tribunumque minis ac terrore compulsum jurare coegit, a patris ejus accusatione recessurum; eoque effectum est, ne Torquatus causam diceret. Commendabilis est pietas, quæ mansuetis parentibus præstatur; sed Manlius, quo horridiorem patrem habuit, hoc laudabilius periculo ejus subvenit, qui[1] ad eum diligendum præter naturalem amorem nullo indulgentiæ blandimento invitatus fuerat.

4. Hanc pietatem æmulatus M. Cotta[2], eo ipso die, quo togam sumpsit virilem, protinus ut e Capitolio descendit, Cn. Carbonem, a quo pater ejus damnatus fuerat, postulavit, peractumque reum[3] judicio afflixit, et ingenium et adolescentiam præclaro opere auspicatus.

5. Apud C. quoque Flaminium auctoritas patria æque potens fuit[4]; nam quum tribunus plebis legem de gallico

1. *Qui.* Pighius aliique eum sequuti ediderunt *quia.* Sed *qui* est in vetustiorib. editt. et duodecim MSS. — *Nullo .... fuerut.* Quod factum viri indulgentissimi in patrem, deinde acerbissimi in filium, optime depingit. Liv. l. c.

2. *M. Cotta.* An. U. 687. Cn. Carbo Cottæ patrem accusaverat peculatus et repetundarum; qua quidem accusatione damnatus est. Cotta vero patris injuriam ultus est. Sumpta enim toga virili, more majorum in forum descendit, et Carbonem accusavit, quod triumvir cum Fulvio et Graccho de dividendis agris seditionem concitasset, quod cum exercitu a Cimbris in Illyrico fusus esset, quod provinciam ipsam expilasset. Nec ab accusatione destitit, donec Carbo damnaretur. — *Togam sumpsit virilem. Prætexta* plerumque anno ætatis XVII in Capitolio deposita, *toga virilis* sumebatur. Cf. Suet. Claud. c. 2; Cic. ad Attic. V, 2; IX, 6.

3. *Peractumque reum.* Omnes fere MSS. cum editt. vetustis habent *pertractumque*, *protractumque*, item *tractumque*. Sed *peractumque* Pighius ex cod. Camp. recte restituit. *Peragitur reus*, quum damnatur.

4. *Apud.... fuit.* An. U. 521. Cic. de Inv. II, 17; et in Bruto, 14.

Digitized by Google

agro viritim[1] dividendo, invito et repugnante senatu, promulgasset, precibus minisque ejus acerrime resistens, ac ne exercitu quidem adversus se conscripto, si in eadem sententia perseveraret, absterritus, postquam pro Rostris ei legem jam referenti pater manum injecit, privato fractus imperio, descendit e Rostris, ne minimo quidem murmure destitutæ concionis reprehensus.

6. Magna sunt hæc virilis pietatis opera; sed nescio an his omnibus valentius et animosius Claudiæ Vestalis virginis factum[2], quæ quum patrem suum triumphantem e curru violenta tribuni plebis manu detrahi animadvertisset, mira celeritate utrisque se interponendo, amplissimam potestatem inimicitiis accensam depulit: igitur alterum triumphum pater in Capitolium, alterum filia in ædem Vestæ duxit: nec discerni potuit, utri plus laudis tribueretur; cui victoria, an cui pietas comes aderat.

7. Ignoscite, vetustissimi foci, veniamque æterni date ignes[3], si a vestro sacratissimo templo ad necessarium

1. *Viritim.* Per singulos viros, æquis partibus. — *Manum injecit.* Legem de mittenda in Galliam cisalpinam colonia deque agro ibi viritim dividendo *Flaminius* jam ante tulerat. Quum autem eam referret, pater ei *manum injecit*, i. e. auctoritate et vi sua eum adduxit, ut a lege denuo ferenda desisteret. Sic hæc formula occurrit etiam, VI, 2, 2. Significatione figurata non externam vim inferre, sed animum flectere denotat. Sic Cic. pro Roscio: « *ipsa mihi veritas manum injecit.* » Pro *referenti* passim legitur *deferenti*, item *ferenti.* Torrenius conjicit legendum *perferenti.* Præter rem. — *Ne.... murmure.* Concio enim, quæ hujus legis cupida venerat, ne murmur quidem emisit, sed hanc pietatem tacita admiratione comprobavit.

2. *Claudiæ.... factum.* An. U. 610. Suet. Tib. 2; Cic. pro Cœlio, 15. Appius Claudius Audax, Cæci frater, Carthaginienses e Sicilia expulerat, Hieronemque apud Syracusas prælio victum in deditionem acceperat. Sed ne triumpharet, tribuni pl. summis viribus intercesserunt, quod dicerent, non tantam fuisse ejus victoriam, ut triumpho haberetur dignus. Quare quum e curru eum detrahere niterentur, Claudia sacrosancta, ejus filia, (aut secundum alios soror), ascenso simul curru triumphantem in Capitolium usque prosequuta eumque tuita est. Cf. Plin. VII, 35.

3. *Æterni.... ignes.* Scil. in æde

Digitized by Google

magis, quam speciosum urbis locum contextus operis nostri progressus fuerit : nulla enim acerbitate fortunæ, nullis sordibus, pretium caræ pietatis evilescit; quin etiam eo certius, quo miserius experimentum habet. Sanguinis[1] ingenui mulierem prætor apud tribunal suum capitali crimine damnatam, triumviro in carcerem necandam tradidit; quo[2] receptam, is qui custodiæ præerat, misericordia motus, non protinus strangulavit, aditum quoque ad eam filiæ, sed diligenter excussæ, ne quid cibi inferret, dedit, existimans futurum, ut inedia consumeretur : quum autem jam dies plures intercederent, secum ipse quærens, quidnam esset, quod tamdiu sustentaretur, curiosius observata filia animadvertit illam exserto ubere[3] famem matris lactis sui subsidio lenientem : quæ tam admirabilis spectaculi novitas ab ipso ad triumvirum, a triumviro ad prætorem, a prætore ad consilium judicum[4] perlata, remissionem pœnæ mulieri impetravit. Quo non penetrat, aut quid non excogitat pietas, quæ in carcere servandæ genitricis novam rationem invenit? Quid enim tam inusitatum, quid tam inauditum, quam matrem natæ uberibus alitam? Putaret[5] aliquis hoc contra rerum naturam factum, nisi diligere parentes prima naturæ lex esset.

Vestæ. — *Necessarium ..... locum.* Carcerem denotat, urbi magis *necessarium*, quam *honestum.*

1. *Sanguinis, etc.* Vid. Plin. VII, 36. — *Triumviro.* Triumviri alii fuere *capitales*, alii *mensarii*, alii *noctürni*, alii *monetales.* Hic *capitalis* intelligitur, qui quidem constitutus erat, ut carceris curam haberet, utque, qui custodiæ præerat, ad ipsum referret. A triumviro deinde res ad prætorem est perlata. — *In carcerem.* Vulgo *in carcere.* Nostra lectio consensu plurimorum MSS. firmata procedit.

2. *Quo.* Pauculi MSS. *quam.* Sed retinendum *quo*, quod lectionem nostr. *in carcerem* magis confirmat.

3. *Exserto ubere.* Passim *extracto*, item *extento.* Minus eleganter.

4. *Consilium judicum.* Pighius edidit *concilium judicum;* sed rectius est in MSS. *consilium.* Vid. supra, II, 10, 1; et cf. Gronov. ad Liv. XLIV, 2. In nonnullis codd. est *consulum judicium.* — *Mulieri.* Alii *matri;* disertius forsan, at contra MSS.

5. *Putaret.* Novem MSS. *putarit* seu *putaverit.* Perinde est.

Digitized by Google

DE PIETATE IN PARENTES, CUJUS EXEMPLA EXTERNORUM SUNT.

1. Idem prædicatum[1] de pietate Perus existimetur, quæ patrem suum Cimona consimili fortuna affectum, parique custodiæ traditum, jam ultimæ senectutis, velut infantem pectori suo admotum aluit. Hærent ac stupent hominum oculi, quum hujus facti pictam imaginem vident, casusque antiqui conditionem[2] præsentis spectaculi admiratione renovant, in illis mutis membrorum lineamentis viva ac spirantia corpora intueri credentes : quod necesse est animo quoque evenire, aliquanto efficaciore pictura literarum, vetera pro recentibus admonito recordari[3].

2. Ne te quidem, Cimon[4], silentio involvam, qui patri tuo sepulturam voluntariis vinculis emere non dubitasti; nam etsi maximo tibi postea et civi et duci evadere contigit, plus tamen aliquanto laudis in carcere, quam in curia, assequutus es. Cæteræ enim virtutes admirationis tantummodo multum, pietas vero etiam amoris plurimum meretur.

3. Vos quoque, fratres, memoria complectar, quorum animus origine fuit nobilior; siquidem admodum humiles

1. *Prædicatum.* Pighius delevit, sed exstat in MSS. plerisque. — *Perus.* Quidam codd. *Pero ;* plerique *ejus* et *prius.* — *Cimona.* Cimon ille non fuit Miltiadis filius, sed alius quidam Græcus. Alii *Conona* legere malunt. Nomen et patris et filiæ incertum est.

2. *Conditionem.* Perizonius conjicit *cognitionem.*

3. *Quod ..... recordari.* Animo idem evenit, quod oculis. Ipse animus pictura litterarum, id est, litteris ipsis, admonetur, vetera pro recentibus recordari; quemadmodum hærent ac stupent oculi, quum imaginem pictam vident. Pro : *pro recentibus*, quidam codd. habent *prudentibus.* Unde Lipsius legendum suspicit : *vetera a prudentibus admonito recordari;* quæ suspicio et Gronovio Observatt. IV, 19, probatur. Pighius dedit *admonitos*, quod omnes fere MSS. servant.

4. *Cimon.* Hic filius Miltiadis. Vid. supra, V, 3, ext. 3.

Digitized by Google

in Hispania nati, pro parentum alimentis spiritum erogando[1], specioso exitu vitæ inclaruistis : duodecim enim millia nummum, quæ post mortem vestram his darentur, a Paciæcis[2] pacti, ut eorum patris interfectorem Epastum, gentis suæ tyrannum, occideretis ; nec ausi solum insigne facinus estis, sed etiam strenuo ac forti exitu[3] clausistis: iisdem enim manibus Paciæcis ultionem, Epasto pœnam, genitoribus nutrimenta[4], vobis gloriosa fata peperistis: itaque tumulis etiam nunc vivitis, quia parentum senectutem tueri, quam vestram exspectare, satius[5] esse duxistis.

4. Notiora sunt fratrum paria, Cleobis et Biton, Amphinomus et Anapus[6]: illi, quod ad sacra Junonis per-

1. *Erogando.* Pighius maluit *erogantes;* sed *erogando* servant plurimi codd. MSS. omnesque typis expressi veteres. Amat Valerius hoc gerundium vehementer.

2. *Paciæcis.* Paciæci cujusdam Cic. ad Div. VI, ep. 19, mentionem facit, qui litteras scripserit ad Cæsarem, quibus significarit, quot legiones Pompeius haberet. Pighius narrat, suo quoque tempore Paciæcorum familiam apud Hispanos fuisse nobilissimam. Complures nominis varietates, quæ in MSS. occurrunt, vide in Torrenii editione.

3. *Sed ..... clausistis.* Nimirum quum Epastum illi fratres interfecissent, et ipsi deinde oppressi sunt. In multis MSS. omnibusque ante Pighium edd. est *claruistis.* Quod minus commodum videtur, quia præcedit *inclaruistis.* At *clausistis* est consentaneum ei, quod præcedit, *spiritum erogando.* Ut variis aliis locis, sic etiam hic *exitus* est pro morte.

4. *Nutrimenta.* Pighius e quibusdam codd. reposuit *alimenta.* Verum *nutrimenta* in plurimis codd. exstat, ut videtur auctor orationem variare voluisse, quod *alimentis* jam præcessit. — *Fata.* Alii *nomina*, ex interpretatione.

5. *Satius.* Nonnulli codd. *sanctius,* ut initio hujus capitis.

6. *Notiora..... Anapus.* Vid. Cic. Tusc. I, 47; Solin. V, 15; Senec. de Benef. III, 37. Servius ad Georg. III, 532. Cleobis et Biton Argivi; unde infra dicit : *Argivam laudem*, etc. Hi, quum apud Argivos festus dies Junonis esset, oporteretque matrem eorum sacerdotem bobus junctis ad templum vehi; boves vero ex agro justo tempore præsto haud essent, ipsi jugum subeuntes per XLV stadia plaustrum traxere. Amphinomus et Anapus, quum ignes eructans Ætna omnia sic flammis compleret, ut nisi per incendia transire non possent, parentes suos per medios ignes trajecerunt. De quibus Claudianus, Carm. L., 41, inter alia:

Cur non Amphinomo, cur non tibi, fortis Anapi,
Æternum siculus templa dicavit honos ?

Digitized by Google

agenda matrem vexerunt; hi, quod patrem et matrem humeris per medios ignes Ætnæ[1] portarunt : sed neutris pro spiritu parentum exspirare propositum fuit.

5. Nec ego argivam detrecto laudem, aut ætnæi montis gloriam involverim; verum obscuriori propter[2] ignorantiam pietati notitiæ lumen admoveo, sicut[3] Scythis libenter pietatis testimonium reddo; Dario[4] enim totis regni sui viribus in eorum regiones subinde impetum facienti, paulatim cedentes, ad ultimas Asiæ solitudines pervenerant: interrogati deinde ab eo per legatos, « quem fugiendi finem, aut quod initium pugnandi facturi essent, » responderunt: « Se nec urbes ullas, nec agros cultos[5], pro quibus dimicarent, habere; cæterum quum ad parentum suorum monumenta venissent, sciturum quemadmodum Scythæ

1. *Ætnæ*. In undecim MSS. et ed. Mog. vox *Ætnæ* desideratur, ac verosimile est, eam a Valerio additam hic non fuisse; quippe qui postea satis declarat, quos ignes intelligat, quum dicit : *Ætnæi montis gloriam* (id est Amphinomum et Anapum) *non involverim*, quemadmodum Argivos fuisse Cleobin et Bitonem indicat, dicens: *Nec ego argivam detrecto laudem*. Voluit ergo locorum nomina in ipsa narratione supprimere, ut illis ornaret transitionem sequentem.

2. *Involverim ; verum obscuriori propter*. In codd. MSS. passim *involverim*, passim *minuerim* legitur. Qui prius habent, omittunt *verum*, et exhibent *obscuriori tamen propter*, vel, *sed obscuriori propter*. Videtur *minuerim* omnino præferendum, quum verbum *involvere* fere postulet sibi addi aliquod substantivum; ut exemplo præcedenti : *Ne te quidem, Cimon, silentio involvam;* immo etiam illud potius *tegere, famæ subtrahere* significet, quam *non statuere alicui suum pretium*, qui sensus hic desideratur. Placet tamen *involverim* Kappio, dum id sequenti *notitiæ tamen admoveo* opponi arbitratur.

3. *Sicut*. Cod. Brand. *sic*, Copes. *sic et ;* unde Perizonius conjicit *sicut et*, quod et Torrenio placet.

4. *Dario*, etc. Justinus, II, 5; Oros. II, 8. — *Totis*. Pighius dederat *totius*, et hæc lectio in multas editiones transiit. Ipse Torrenius in textum recepit. Sed optime dicitur *totis viribus*. Vide Justinum, XXVI, 2, 1; Curt. III, 1, 10. — *Regiones subinde*. Vulgo *regionibus*. Minus bene. Pro *subinde* nonnulli habent *subitum*. — *Ad ultimas Asiæ solitudines*. Aldus pro *Asiæ* ediderat *jam*. Perizonius malit *ad ultimum jam solitudinis*, quod codd. aliquot habent.

5. *Agros cultos*. Non erant iis agri culti; nam lacte et sanguine equino victitasse fama est. Vide Curtium, VII, 15.

Digitized by Google

præliari solerent[1], » Quo quidem uno tam pio dicto, immanis et barbara gens ab omni se feritatis crimine[2] redemit. Prima igitur et optima rerum natura pietatis est magistra, quæ nullo vocis ministerio, nullo usu literarum indigens, propriis ac tacitis viribus, caritatem parentum pectoribus liberorum infundit. Quid ergo doctrina proficit? ut politiora scilicet, non ut meliora fiant ingenia; quoniam quidem solida virtus nascitur[3] magis, quam fingitur.

6. Quis enim plaustris[4] vagos, et silvarum latebris corpora sua tegentes, in modumque ferarum laniatu pecudum viventes, Dario sic respondere docuit? Illa nimirum, quæ etiam Crœsi filium loquendi usu defectum, ad protegendam patris incolumitatem ministerio vocis instruxit[5]; captis enim a Cyro Sardibus, quum unus e numero Persarum, ignarus viri, in cædem ejus concitato ferretur impetu; velut oblitus, quid sibi nascenti fortuna[6] denegasset, *ne Crœsum regem occideret*, proclamando,

1. *Sciturum..... solerent.* Scilicet non pugnaturos, nisi necessitate compulsos. Necessitatem autem intelligebant, si hostes ad violanda patrum sepulcra venissent; tunc intellecturum Darium, an scirent auderentque Scythæ cum hoste pugnare. Darius eo duxit exercitum: quod ubi senserunt Scythæ, tanto impetu irruerunt in hostes, ut cæsis amplius LXXX millib. hostium, Darium trepidum finibus expellerent.

2. *Crimine.* Octo MSS. et edit. Mog. *discrimine.*

3. *Quoniam..... nascitur.* E Platonis sententia, qui vult una cum hominibus nasci virtutem. Aldus et qui eum sequuti sunt, *sola virtus.* Sed antiquiores cum longe meliore et majore parte MSS., ut restituit Pighius, *solida virtus.*

4. *Plaustris.* Alii *palustres*, *palustribus*, item *plaustres.* Conf. Just. II, 2. — *Laniatu pecudum.* Crudas pecudes dilacerando dentibus suis in modum ferarum.

5. *Quæ... instruxit.* Atys nimirum fuit, qui ubi imminentem patri ensem vidit, antea mutus exclamavit: ὦ ἄνθρωπε, μὴ κτεῖνε τὸν Κροῖσον. Forsan se mutum tantum simulasse, conjicere possemus ex eo quod Apollo Delphicus illum loquuturum die, qui Crœso esset infelix, cecinerat. Vid. Gellius, V, 9; Senec. controv. XX.

6. *Fortuna.* Codd. aliquot *natura*, quod Perizonius præfert, quia *naturæ* partes in pariendo et formando

Digitized by Google

pæne jam impressum jugulo mucronem revocavit. Ita qui ad id tempus mutus sibi vixerat, saluti parentis vocalis factus est.

7. Eadem caritas italico bello[1] pinnensem juvenem, cui Pultoni erat cognomen, tanto animi corporisque robore armavit, ut quum obsessæ urbis suæ claustris præsideret, et romanus imperator patrem ejus captivum, in conspectu ipsius constitutum, destrictis militum gladiis circumdedisset, *occisurum se* minitans, *nisi irruptioni suæ iter præbuisset*, solus e manibus senem rapuerit; duplici pietate memorandus, quod et patris servator, nec patriæ fuerit proditor.

CAPUT V.

De benevolentia fraterna[2].

1. P. Africani majoris. — 2. M. Fabii Vibulani cos. — 3. Ti. Cæsaris Augusti. — 4. Militis cujusdam.

Hanc caritatem[3] proximus fraternæ benevolentiæ gradus excipit; nam ut merito primum amoris vinculum

homine sint, *fortunæ* vero in iis, quæ deinde homini superveniunt, Neque tamen discrimen istud semper attendunt scriptores. Cf. infra, VI, 1, 1.

1. *Italico bello.* Sociali, quo Sullæ legatus Mamercus Italos vicit cum Silone Popedio, eorum duce. An. U. 664. — *Pinnensem.* Pinnenses Plinius, III, 12, in quarta Italiæ regione ponit, dicitque eos Vestinorum gentem esse. — *E manibus.* Nonnulli addunt *eorum.*

2. *De benevolentia fraterna.* Ita Pighius dedit. Cæteræ editt. cum plerisque MSS. habent *de pietate erga fratres.*

3. *Caritatem.* Pighius reposuit *pietatem*, quum tamen codd. scripti ad unum omnes, et omnes editi *caritatem* exhibeant. Quod melius etiam *benevolentiæ* respondet, quam *pietatem.* Auctor in hac præfatione maxime ipsum respicit amorem. — *Proximus .... gradus.* Sunt utique, quo propinquiores simus sanguine, amoris gradus. Post parentes igitur non major debetur, quam fratribus atque sororibus, quibuscum nutriti, educati, instituti et ad virtutem formati sumus, qui proximi socii omnia nobiscum communia habuerunt; quorum sæpe cura, nempe natu majorum, nobis pro-

Digitized by Google

ducitur, plurima et maxima beneficia accepisse; ita proximum judicari debet, simul accepisse. Quam copiosæ enim suavitatis illa recordatio est! in eodem domicilio[1], antequam nascerer, habitavi; in iisdem incunabulis infantiæ tempora peregi; eosdem appellavi parentes; eadem pro me vota excubuerunt; parem ex majorum imaginibus gloriam traxi: cara est uxor, dulces liberi, jucundi amici, accepti affines; sed postea cognitis nulla benevolentia accedere[2] debet, quæ priorem exhauriat.

1. Atque hoc teste Scipione Africano[3] loquor: qui tametsi arctissima familiaritate[4] Lælio junctus erat, attamen senatum supplex oravit, *ne provinciæ sors fratri suo erepta, ad eum transferretur*, legatumque se L. Scipioni in Asiam iturum promisit[5]; et major natu minori, et fortissimus imbelli, et gloria excellens laudis inopi[6], et, quod super omnia est, nondum Asiatico, jam Africanus; itaque clarissimorum cognominum alterum sumpsit, alterum dedit[7]; triumphique prætextam hujus excepit,

fuit. Sed tamen, quæ hominum est perversitas, ut plerumque, quæ omnium esse debent, rara; sic rarus etiam fratrum amor, rara concordia; quod invidia, æmulatio, lucri studium amoris facem exstinguunt, quod superbia inflati interdum vitiorum, quibus antea forsan tenebantur, testes habere recusant; quod sæpe etiam vincula recentiora et affinitates, pristina solvunt vincula, ab ipsa natura nexa.

1. *Eodem domicilio.* Sinu scilicet materno.

2. *Accedere.* Perizonius conjicit *accidere.* Frustra. *Accedere* hic significat *insuper addi.*

3. *Scipione Africano.* Anno Urb. 563. Livius, XXXVII, 1; Cicero, Philipp. XI, 7.

4. *Arctissima familiaritate.* Cicero eos inter pauca amicorum paria, quæ summa admiratione extollit antiquitas, refert in Lælio.

5. *Legatumque ..... promisit.* P. Scipio imperator jam fuerat maxima rerum gestarum gloria conspicuus. Nihilo tamen secius, ne fratri ejus L. Scipioni Græcia atque Asia negarentur, eidem se legatum iturum professus est.

6. *Laudis inopi.* Utpote rerum bellicarum adhuc imperito, ut qui huc usque nihil gloriosi gesserat.

7. *Alterum dedit.* P. Scipio, quum nomen *Africani*, virtute propria acquisivisset, fecit, ut frater nomen *Asiatici* adipisceretur, dum eidem, belli non adeo perito, legatus ivit. — *Triumphique præ-*

Digitized by Google

illius tradidit : ministerio aliquanto major, quam frater imperio.

2. M. vero Fabius[1] consul, inclyta pugna Hetruscis et Veientibus superatis, delatum sibi summo senatus populique studio triumphum ducere non sustinuit; quia eo prælio Q. Fabius, frater ejus, consularis fortissime dimicans occiderat. Quantam in eo pectore pietatem fraternæ caritatis habitasse existimemus, propter quam amplissimi honoris tantus[2] fulgor exstingui potuit?

3. Hoc exemplo[3] vetustas, illo seculum nostrum ornatum est : cui contigit fraternum jugum[4] Claudiæ prius,

textam. Vestem triumphalem. Sunt tamen, qui velint, *prætexta* indicari Scipionis modestiam, qui cultu senatorio etiam triumphans contentus fuerit. Senatorum enim habitum utique interdum prætextam fuisse. Immo vero prætextam pro consulari trabea dixisse Senecam, cap. XIX, de Brevit. vitæ. Triumphantium vero eumdem habitum fuisse, qui fuerit consulum, probant e Livio, XXX, 15, in fin. — *Excepit*. Undecim MSS. cum ed. Mog. *cepit*.

1. An. U. 272. Livius, II, 46; Dionys. IX, 13; Oros. II, 4, — *Hetruscis et Veientibus*. Ita Aldus; et retinuit eadem Pighius. Attamen monet, in quibusdam codd. esse *et amicis et Veientibus*; in aliis *et in Amiclis et Veientibus*; in uno denique *et amiculis* : putatque legendum esse *et Æquicolis*, quia tunc temporis continuum bellum Romanis cum Æquis fuerit, ut ex Livio, et Dionysio constat.

2. *Tantus*. In septem MSS. et ed. Mog. non exstat.

3. *Hoc exemplo*, etc. Germania debellata erat a Druso, Tiberii Neronis fratre, qui Germanicus dictus est; qui paulo post, equo super crus ejus delapso, trigesimo die vitam cum morte commutavit. Nero, qui Ticinum ad visendos parentes Liviam et Octavium venerat, et modo Ligurum victor e provincia redierat, a fratre graviter laborante per nuntios accitus ad eum maxima celeritate pervenit. Nam die et nocte Alpes Rhenumque brevi transgressus, uno tantum comite locorum perito iter confecisse dicitur. Quum exstinctum fratrem invenisset, corpus ejus Romam vehi curavit, ubi in tumulo C. Cæsaris sepultus est, in cujus funere laudes ab Augusto Cæsare ejus vitrico amplissimæ datæ sunt. Vid. Plinius, lib. VII, cap. 20.

4. *Fraternum jugum*. Mutuum et æqualem morem. — Claudia gens, quum Tiberius inter patres suos haberet Appium Claudium Cæcum, priorem Liviæ maritum, vocatur etiam Julia, ex adoptione, qua deinde Octavianus Tiberium dignum habuit.

Digitized by Google

nunc etiam Juliæ gentis intueri decus : tantum enim amorem princeps parensque noster insitum animo fratris Drusi habuit, ut quum Ticini[1], quo victor hostium ad complectendos parentes venerat, gravi illum et periculosa valetudine in Germania fluctuare cognosset, protinus inde metu attonitus erumperet; iter quoque quam rapidum et præceps velut uno spiritu corripuerit, eo patet, quod Alpes Rhenumque transgressus die ac nocte, mutato subinde equo[2], ducenta millia passuum, per modo devictam barbariem, Antabagio duce solo comite contentus, evasit; sed eum tunc maximo labore et periculo implicatum, mortaliumque frequentia defectum[3], sanctissimum pietatis numen, et dii fautores eximiarum virtutum, et fidissimus romani imperii custos Jupiter comitatus est. Drusus quoque, quamquam fato jam suo, quam illius[4] officio propior erat, vigore spiritus, et corporis viribus collapsus, eo ipso tamen, quo vita et mors distinguitur, momento, *legiones cum insignibus suis fratri obviam procedere* jussit, *ut imperator salutaretur:* præcepit etiam, *dextra in parte*[5] *prætorium ei statui, et consulare et imperatorium nomen obtinere* voluit; eodemque tempore, et fraternæ majestati cessit, et vita excessit. His scio equidem

1. *Ticini.* Oppidum Ticinum, deinde *Papia*, nunc *Pavia.* — An. U. 744. Tacit. Ann. III, 5, tom. 1, p. 288, 589 nostræ editionis. — *In Germania.* Pighius *in Germaniam*, invitis libris tum scriptis tum editis.

2. *Mutato subinde equo.* Singulari numero utitur auctor, pro plurali. Equi modicis intervallis dispositi erant per vias militares, ut eo celerius ad Drusum perveniret. — *Barbariem.* Germaniæ partem ad Moguntiam usque et alias ad Rhenum, Visurgim et Albim regiones. — *Antabagio.* MSS. octo *Namantabagio.* Alii *Nabantabagio*, item *Antabigio.*

3. *Defectum.* Destitutum, passive. — *Fidissimus.* MSS. novem cum ed. Mog. *fidelissimus.*

4. *Illius.* Pighius, Torrenius aliique dederunt *ullius.* Sed rectius *illius*, scil. Tiberii. *Officium Tiberii* est, officium Tiberio præstandum. Perizonius et Guyetus legunt *illi officio.* Minus bene; nam oppositio inter *suo* et *illius* nimis est diserta, quam ut negligi debeat.

5. *Dextra in parte.* MSS. octo, *dextram in partem.*

Digitized by Google

nullum aliud, quam Castoris et Pollucis[1] specimen consanguineæ caritatis convenienter adjici posse.

4. Sed omnis memoriæ clarissimis imperatoribus profecto non erit ingratum, si militis[2] summa erga fratrem suum pietas huic voluminis parti adhæserit: is namque in castris Cn. Pompeii stipendia peragens, quum Sertorianum militem acrius sibi in acie instantem[3] cominus interemisset, jacentemque spoliaret; ut fratrem germanum esse cognovit, multum ac diu convicio deos ob donum impiæ victoriæ insequutus[4], prope castra transtulit, et pretiosa veste opertum, rogo imposuit; ac deinde subjecta face, protinus eodem gladio, quo illum interemerat, pectus suum transverberavit, seque super corpus fratris prostratum communibus flammis cremandum tradidit. Licebat ignorantiæ beneficio innocenti vivere; sed ut sua potiùs pietate, quam aliena venia uteretur, comes fraternæ neci non defuit.

1. *Castoris et Pollucis.* Alter immortalis, alterum mortalem immortalitatis suæ fecit participem. Unde Virgilius, Æn. VI, 121:

Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itque reditque viam toties.

2. *Si militis*, etc. An. U. 666.

3. *In acie.* Vulgo in *aciem*; mendose, nec probantibus MSS. plerisque.

4. *Insequutus.* Sic undecim MSS. cum editt. vetustioribus, unde revocavit Torrenius. Pighius dederat *insectatus*.

Digitized by Google

CAPUT VI.

De pietate Romanorum erga patriam.

1. L. Junii Bruti, primi cos. — 2. M. Curtii equitis romani. — 3. M. Genucii Cipi præt. — 4. Q. AElii Pæti prætoris. — 5. P. Decii Q. f. cos. — 6. P. Decii P. f. cos. — 7. P. Africani majoris. — 8. Civium romanorum.

De pietate Externorum erga patriam.

1. Codri regis Atheniensium. — 2. Thrasybuli atheniensis. — 3. Themistoclis atheniensis. — 4. Philænorum fratrum. — 5. Aristotelis stagiritæ.

DE PIETATE ROMANORUM ERGA PATRIAM.

Arctissimis sanguinis vinculis pietas satisfecit : restat nunc, ut patriæ exhibeatur[1]; cujus majestati etiam illa, quæ deorum numinibus æquatur, auctoritas parentum, vires suas subjecit; fraterna quoque caritas æquo animo ac libenti[2] cedit, summa quidem cum ratione, quia, eversa domo, intentatus[3] reipublicæ status manere potest; urbis ruina penates omnium[4] trahat secum necesse est. Verum quid attinet verbis ista complecti? quorum tanta vis est, ut aliqui ea[5] salutis suæ impendio testati sint.

1. Brutus[6] consul primus cum Arunte Tarquinii Superbi, regno expulsi, filio in acie ita [equo] concurrit,

1. *Ut patriæ exhibeatur.* Pietas in patriam præcipue viribus roborat maximis rempublicam, salutisque et securitatis publicæ firmissimum est columen. Alma sane virtus! Faxit benevolentissimus rerum humanarum moderator, ut eam non tantum in majoribus admiremur, non laudemus tantum, sed exerceamus, et omnia impendamus, ut salus publica, quæ etiam singulorum civium est, augeatur.

2. *Libenti.* Complures MSS. *libenter*, ut est in editt. ante Pighium.

3. *Intentatus.* Lipsius mavult *intemeratus*. Torrenius vero conjicit *intactus*.

4. *Omnium.* Aldus ediderat *omnes*. Male.

5. *Ea.* Deest in plurimis MSS.

6. *Brutus.* An. U. 244. Liv. II, 6. — *Equo.* Quæ vox quum glossam sapiat, et in plurimis optimisque MSS. non solum, sed etiam in ed.

Digitized by Google

ut pariter illatis hastis, uterque mortifero vulnere ictus exanimis prosterneretur. Merito adjecerim, populo romano libertatem suam magno stetisse[1].

2. Quum autem in media parte fori[2], vasto ac repentino hiatu terra subsideret, responsumque esset, *ea re illum tantummodo compleri posse, qua populus romanus plurimum valeret*, Curtius et animi et generis nobilissimus adolescens, interpretatus urbem nostram virtute armisque præcipue excellere, militaribus insignibus ornatus, equum conscendit, eumque vehementer admotis calcaribus præcipitem in illud profundum egit; super quem universi cives honoris gratia certatim fruges injecerunt[3], continuoque terra pristinum habitum recuperavit. Magna postea decora in foro romano fulserunt; nullum tamen hodieque pietate Curtii erga patriam clarius obversatur[4] exemplum: cui principatum gloriæ obtinenti, consimile factum subnectam.

3. Genucio Cipo[5] prætori, paludato portam egredienti,

Mog. ac Mediol. desideretur, uncis eam inclusimus. — *Mortifero.* Pighius in aliquot MSS. reperit *mortifico;* itaque et scribendum putavit. Verum, quia *mortiferus* (*mortel, qui cause la mort*) vox usu recepta est, *mortificus* autem alibi vix reperitur, tutius retineri putemus prius.

1. *Merito..... stetisse.* Id est: jure dixerim, magno libertatem constitisse, quia auctorem libertatis amisit Roma. Alii legunt *objecerim*, frequenti varietate.

2. *Quum.... fori, etc.* An. U. 391. Liv. VII, 6; Oros. III, 5; Augustin. de C. D. V, 18; Minuc. Fel. VII, 4. MSS. complures *in mediam partem.* — *Hiatu.* Sine dubio motu terræ. Nobile quidem hoc pietatis in patriam exemplum est, sed simul dolendum, in tantum superstitionis Romanos prolabi potuisse, ut inscii rerum naturalium, temere optimum civem devoverent. — *Ea re illum.* Codd. aliquot *illa re.* Kappius conjicit, Valerium scripsisse: *re illa tantummodo*, etc. *Illum*, sc. hiatum, plurimæ editiones agnoscunt.

3. *Fruges injecerunt.* Quia tellurem credebant esse Cererem, quam frugibus placabant.

4. *Obversatur.* MSS. aliquot *observatur*, frequenti commutatione.

5. *Genucio Cipo.* An. Urb. 515. Ovid. Metam. XV, 565; Plinius, XI, 37. Forsan tubera homini in fronte surrexere, quæ superstitio cornua habuit. Plurimi MSS. ha-

Digitized by Google

novi et inauditi generis prodigium incidit; namque in capite ejus subito veluti cornua erepserunt[1], responsumque est[2], *regem eum fore, si in urbem revertisset*; quod ne accideret, voluntarium sibimet ac perpetuum indixit exsilium[3]: dignam pietatem, quæ, quod ad solidam gloriam attinet, septem regibus præferatur. Cujus testandæ rei gratia capitis effigies æreæ[4] portæ, qua excesserat, inclusa est; dictaque *Rauduscula*na[5], quod olim æra *raudera* dicebantur.

4. Genucius[6] laudis hujus, qua major excogitari vix potest, successionem Ælio prætori tradidit: cui jus dicenti[7], quum in capite picus consedisset, haruspexque affirmasset, « conservato eo fore domus ipsius statum felicissimum, reipublicæ miserrimum; occiso, in contrarium utrumque cessurum[8]: » e vestigio picum morsu suo

bent *Genicio*, vel *Gemicio*. Passim *Cippo* legitur.

1. *Erepserunt*. Alii *eruperunt*; alii *emerserunt*. Lipsius in uno cod. reperit *erexerunt*, quod ille dictum putat pro *erecta sunt*. In maxima et optima MSS. parte est *erepserunt*.

2. *Responsumque est*. Non ab oraculo, sed ab haruspice. Vid. Ovid. loco citato.

3. *Voluntarium..... exsilium*. Vestigia fortasse eum deterruerunt.

4. *Æreæ*. Multi codd. *ærea*, sc. effigies. Atque sic dedit Pighius, quem alii sequuti sunt. Rectius *æreæ*, scilic. portæ, quod Kappius et Helfrechtus e MSS. in textum receperunt. Idem probat Torrenius, attamen in textu exhibuit lectionem Pighianam.

5. *Rauduscula*na. De qua Festus: « Rauduscula na porta videtur appellata, quod rudis et impolita sit relicta; vel quod ære vincta fuit: nam æs, ut Varro ait in libro Antiquitatum, *raudus* dicebatur. » — *Raudera*. Frusta æris, aut etiam asses signative nummi ærei *raudera* vel *rudera* vocabant antiqui, quod Livii auctoritate probat Pighius. Forsan vox *rudera* significat *rudia æra*.

6. *Genucius*. An. U. 534. Front. IV, 5; Plin. X, 18. — *Qua major excogitari vix potest*. Hæc verba desunt in MSS. aliquot, unde editores vetustiores passim ea neglexerunt. — *Ælio*. Erat is L. Ælius Tubero.

7. *Cui jus dicenti*. Sic plures et meliores MSS. cum ed. Mog. Alii *cujus dicentis*; alii *cujus jus dicentis*. — *Statum felicissimum*. In undecim MSS. *fatum*; septem eorum habent *fidelissimum*.

8. *Occiso ..... cessurum*. Aliter Plinius rem narrat: « respondere vates, exitium imperio portendi, si dimitteretur: at si exanimare-

Digitized by Google

in conspectu senatus necavit. Decem et septem milites suæ familiæ[1], eximiæ fortitudinis viros, cannensi prælio amisit: respublica procedente tempore ad summum imperii fastigium excessit. Hæc nimirum exempla, Sulla, et Marius, et Cinna tamquam stulta riserunt[2].

5. P. Decius[3], qui consulatum in familiam suam primus intulit, quum latino bello romanam aciem inclinatam et pæne jam prostratam videret, caput suum pro salute reipublicæ devovit, ac protinus concitato equo, in medium hostium agmen, patriæ salutem, sibi mortem petens, irrupit, factaque ingenti strage, plurimis telis obrutus, super corruit: ex cujus vulneribus et sanguine insperata victoria emersit.

6. Unicum talis imperatoris specimen esset, nisi animo suo respondentem filium genuisset: is namque[4] in quarto consulatu patris exemplum sequutus, devotione simili, æque strenua pugna, consentaneo exitu labantes perditasque vires urbis nostræ correxit; itaque dignosci arduum

tur, prætori. Ille autem protinus concerpsit. » Forsan exploraturi erant augures, num suam incolumitatem patriæ postpositurus esset.

1. *Suæ familiæ*. Mavult Vorstius *familia*: « quid? si legatur, inquiens, *XVII milites ejus familia amisit?* Certe de domus et familiæ Ælii futuro statu miserrimo prædictum fuerat. Recte ergo sequetur, non Ælium, sed ejus domum et familiam tot milites cannensi prælio amisisse: et casus recti vox *familia* in quibusdam libris manifeste apparet. »

2. *Riserunt*. Perizonius conjicit *riserint*; sed revera *riserunt* hæc exempla, dum iis se revocari ab opprimenda republica non sunt passi.

3. *P. Decius*. An. U. 413. Liv. VIII, 9; Senec. ep. IX, 4. August. de C. D. V, 28. Tres fuere Decii, qui pro republica se devovere: pater bello latino et gallico, filius etrusco, nepos bello Pyrrhi per Tarentinos. Sed patris et filii tantum Valerius mentionem facit. Hoc quasi familiare Deciorum fatum fuit, quod legas apud Livium. — *Inclinatam et*. Septem MSS. cum ed. Mog. *indisciplinatam*. Male.

4. *Is namque*, etc. An. U. 458. Liv. X, 28; Cic. in Cat. XX. — *Devotione*. Devotionis formulam seu carmen sua ætate durasse, testatur Plinius, XXXVIII, 2. — *Labantes*. MSS. quindecim cum ed. Mog. et Venet. *labentes*. Vid. supra, IV, 1, ext. 4; IV, 6, 6; IV, 8 in fin.

Digitized by Google

est, utrum romana civitas utilius habuerit Decios[1] duces, an amiserit: quoniam vita eorum ne vinceretur obstitit; mors fecit, ut vinceret.

7. Non est exstinctus pro republica superior Scipio Africanus[2]; sed admirabili virtute, ne respublica exstingueretur, providit: siquidem quum afflicta cannensi clade urbs nostra nihil aliud quam præda victoris esse Hannibalis videretur; ideoque reliquiæ prostrati exercitus, deserendæ Italiæ, auctore L. Metello[3], consilium agitarent; tribunus militum admodum juvenis, stricto gladio mortem unicuique minitando, jurare omnes, nunquam se relicturos patriam, coegit; pietatemque non solum ipse plenissimam exhibuit, sed etiam ex pectoribus aliorum abeuntem revocavit.

8. Age, ut a singulis ad universos transgrediar, quanto et quam æquali amore patriæ tota civitas flagravit! nam quum[4] secundo punico bello exhaustum ærarium, ne deorum quidem cultui sufficeret, publicani ultro aditos censores hortati sunt, « ut omnia sic locarent, tamquam respublica pecunia abundaret, seque præstaturos cuncta; nec ullum assem, nisi bello confecto, petituros » polliciti sunt. Domini quoque eorum[5] servorum, quos Sempronius Gracchus ob insignem pugnam Beneventi manumiserat, pretia ab imperatore exigere supersederunt; in castris etiam non eques, non centurio stipendium[6] dari sibi

1. *Decios duces.* In quibusdam codd. omittitur *Decios*, in aliis *duces*.

2. *Superior Scipio Africanus.* An. U. 537. Liv. XXII, 53. Vid. supra, II, 9, 8.

3. *L. Metello.* Sic Livius eum appellat. Attamen plurimi MSS. ac vetustæ editiones exhibent *Q. Metello.*

4. *Nam quum*, etc. An. U. 539. Liv. XXIV, 18. — *Præstaturos.* Sic MSS. quindecim cum ed. Mog. Alii *præstituros.*

5. *Eorum.* Pighius tamquam supervacuum rejecit; sed omnes MSS. tuentur, et solet ita Noster. Sic V, 7, 3; V, 8, 3; et sæpius alibi.

6. *Non..... stipendium.* Gronovius testatur, in MS. bonæ notæ se legisse: « *non eques impendium, non centurio stipendium.* Eques, quum et impendium et stipendium sibi de-

Digitized by Google

desideravit. Viri atque feminæ, quidquid auri argentive habuerunt, item pueri insignia ingenuitatis[1], ad sustentandam temporis difficultatem contulerunt. Ac ne beneficio senatus, qui his[2] muneribus functos tributi onere liberaverat, quisquam uti voluit; sed insuper id omnes promptissimis animis præstiterunt : non ignorabant enim, captis Veiis, quum decimarum nomine, quas Camillus voverat, aurum Apollini Delphico mitti oporteret, neque emendi ejus facultas esset, matronas ornamenta sua in ærarium retulisse : similiterque audierant, mille pondo auri, quæ Gallis pro obsidione[3] Capitolii promissa debebantur, earum cultu expleta : itaque et proprio ingenio, et exemplo vetustatis admoniti, nulla sibi in re cessandum existimaverunt.

DE PIETATE EXTERNORUM ERGA PATRIAM.

1. Sed et externa ejusdem propositi exempla[4] attingam. Rex Atheniensium Codrus, quum ingenti hostium exercitu attica regio debilitata[5], ferro ignique vastaretur, diffidentia humani auxilii ad Apollinis Delphici oraculum confugit, perque legatos sciscitatus est, *quonam modo illud tam grave bellum discuti posset* : respondit deus, *Ita finem ei fore, si ipse hostili manu occidisset* : quod quidem non solum totis Atheniensium in castris, sed etiam[6] con-

beretur, utroque æquo animo caruit. Centuriones autem, quibus solum stipendium debebatur, et ipsi hoc requirere supersederunt.

1. *Insignia ingenuitatis*. Prætextam et bullam auream, quibus significabatur, eos esse patricios.

2. *His*. Pighius *his* minus bene omiserat, quod in omnibus MSS. et editt. hæret.

3. *Pro obsidione*. Scil. pro solvenda obsidione. — *Promissa*. Id est, ex promisso, a Romanis facto.

4. *Sed..... attingam*. Vid. Justin. II, 6; Vellei. I, 2; Polyæn. I, 8; Oros. I, 18.

5. *Attica regio debilitata*. Quum Dorienses cum Atheniensibus de agrorum finibus bellum gererent, premerenturque Athenienses. Paterculus asserit, Lacedæmonios tum quoque fuisse Atheniensium hostes.

6. *Totis..... etiam*. Ita Torrenius auctoritate fere omnium MSS. edi-

Digitized by Google

trariis percrebuit; eoque factum est, ut ediceretur, *ne quis Codri corpus vulneraret*[1] : id postquam cognovit, depositis insignibus imperii, famularem[2] cultum induit, ac pabulantium hostium globo sese objecit, unumque ex his falce percussum, in cædem suam compulit: cujus interitu, ne Athenæ occiderent[3], effectum est.

2. Ab eodem fonte pietatis Thrasybuli quoque animus manavit[4] : is quum Atheniensium urbem triginta tyrannorum teterrima dominatione liberare cuperet, parvaque manu maximæ rei molem aggrederetur, et quidam e consciis dixisset: *Quantas tandem tibi Athenæ, per te libertatem consequutæ, gratias debebunt?* respondit: *Dii faciant, ut quantas ipse illis debeo, videar retulisse!* quo affectu[5] inclytum destructæ tyrannidis opus laude cumulavit.

3. Themistocles[6] autem, quem virtus sua victorem, in-

dit, quum Pighius e duobus codd. dedisset: *totis Athenis, sed in castris etiam;* quod nec veteres typis expressi agnoscunt.

1. *Vulneraret.* Cod. Ultraj. sec. *violaret*, et sic habet etiam ed. Mog.

2. *Famularem.* Servilem, obsoletum, pannosum. Aldus ediderat *familiarem*, id quod Pighius retinuit. Vid. VI, 7, 3. Burmannus ad Vellei. I, 2, 2, malit *manipularem*. De habitu humili et vili satis consentiunt interpretes. — *Pabulantium.* Alii *perambulantium;* alii *palantium.*

3. *Occiderent.* Perizonius conjicit *exciderentur;* sed non opus est mutatione. — *Effectum est.* Nec ingrati Athenienses statuerunt, neminem post Codrum regia dignitate esse dignum; quod archontibus dedit initium.

4. *Ab.... manavit.* Vid. Justinum, lib. V, cap. 9; Diodor. Sicul. XIV.

5. *Quo affectu.* Multi codd. *quem affectum;* aliquot *quo effectu*, unde Perizonius conjicit *effato*, id est, dicto. Torrenius præfert *quem affectum*, et explicat; « quem affectum ingens laus ex destructa tyrannide est sequuta. » Nec tamen commodo sensu destituitur *quo affectu;* recte Kappius exponit: « Inclytum Themistoclis opus destructæ tyrannidis per se quidem omnem laudem meretur, sed multo majore laude dignum illud est, quia ex summa in patriam pietate manavit. »

6. *Themistocles.* Videatur Suidas, Plutarchus, Nepos, Thucydides, cum pluribus aliis. Maluit sibi ipse consciscere mortem, quam prodere patriam. Nepos refert, venenum eum sua sponte sumpsisse, quum, quæ regi de opprimenda Græcia esset pollicitus, præstare se posse

Digitized by Google

juria patriæ imperatorem Persarum fecerat, ut se ab ea oppugnanda abstineret, instituto sacrificio, exceptum patera tauri sanguinem hausit, et ante ipsam aram, quasi quædam Pietatis clara victima concidit : quo quidem tam memorabili ejus excessu, ne Græciæ altero Themistocle opus esset, effectum est [1].

4. Sequitur ejusdem generis exemplum [2] : quum inter Carthaginem [3] et Cyrenas de margine agri pertinacissima contentio esset, ad ultimum placuit utrinque eodem tempore juvenes mitti, et locum, in quem ii convenissent, finem ambobus haberi populis; verum hoc pactum Carthaginiensium duo fratres nomine Philæni, perfidia præcucurrere [4], citra constitutam horam maturato gressu in longius promotis terminis : quod quum intellexissent Cyrenensium juvenes, diu de fallacia eorum questi, postremo acerbitate conditionis injuriam discutere conati sunt [5]; dixerunt namque, *sic eum finem ratum fore, si Philæni vivos se ibi obrui passi essent* [6]; sed consilio eventus non respondit; illi enim, nulla interposita mora, corpora

desperaret. De *sanguine taurino* confirmat et Plin. XXVIII, 9, quod recens inter venena sit.

1. *Quo..... est.* Quia, si Persas duxisset in Græciam, Athenæ alterum Themistoclem desiderassent, qui devinceret Persas.

2. *Sequitur ..... exemplum.* Vid. Sall. in B. Jug. c. 79; p. 268, edit. nostræ; Pomponius Mela, I, 7.

3. *Carthaginem.* Nonnulli *Carthaginienses.* — *Margine.* Terminis. Cod. Dan. *magro.* Monstrose. Aliquot MSS. *modo.* — *Utrinque.* Sic plerique codd. MSS. et edd. Mog. Ven. et Mediol. Aldus eumque sequuti dederunt *utrique*, civitati videlicet Carthaginis et Cyrenarum.

4. *Præcucurrere.* Colerus monet legendum *præcurrere;* at MSS. firmant nostram lectionem, ac tempus præteritum sic quoque apud scriptores formari, in vulgus notum. — *Maturato gressu.* Sic constanter habent omnes scripti codices. Torrenius malit *egressu,* quod perfidiose ante tempus constitutum ex urbe *egredi maturarunt.*

5. *Quod..... sunt.* Opinati sunt Cyrenenses, si conditionem Carthaginiensibus durissimam ferrent, eos a pactis resulturos.

6. *Si ..... essent.* Quod, quum factum esset, in eorum honorem ibi positæ sunt aræ, quæ a Philænis fratribus nomen traxere. Vid. Sallust. bell. Jugurth. cap. 79; Plin. V, 4; Solin. c. 30.

Digitized by Google

sua his terra operienda tradiderunt; qui quoniam patriæ, quam vitæ suæ, longiores terminos esse maluerunt, bene jacent[1], manibus et ossibus suis punico dilatato imperio. Ubi sunt superbæ Carthaginis alta mœnia? ubi maritima gloria inclyti portus? ubi cunctis littoribus terribilis classis? ubi tot exercitus? ubi tantus equitatus? ubi immenso Africæ spatio non contenti spiritus? Omnia ista duobus Scipionibus fortuna partita est; at Philænorum egregii facti memoriam ne patriæ quidem interitus exstinxit: nihil est igitur, excepta virtute, quod mortali animo ac manu immortale quæri possit.

5. Juvenili ardore plena hæc pietas; Aristoteles[2] vero supremæ vitæ reliquias senilibus ac rugosis membris, in summo litterarum otio, vix custodiens, adeo valenter pro salute patriæ incubuit, ut eam, hostilibus armis solo æquatam, in lectulo atheniensi jacens, Macedonum de manibus, quibus abjecta erat, eriperet: ita urbs, non tam strata atque eversa[3] Alexandri, quam restituta Aristotelis notum est opus. Patet ergo, quam benignæ, quamque profusæ pietatis erga patriam, omnium ordinum,

1. *Bene jacent.* Et supra *jacere* pro *sepultum esse* dixit.

2. *Aristoteles.* Vid. Ælian. III, 17; XII, 54; Plin. VII, 29. — *Supremæ.* Perizonius conjicit *supremas.* — *Ut eam..... eriperet.* Sic Torrenius hunc locum mire depravatum edidit. Kappius suspicatur legendum: *ut eam, hostilibus armis solo æquatam, in lectulo Athenis jacens, et quidem Macedonum manibus, quibus abjecta erat, erigeret.* In textu tamen Torren. sequutus est. Pighius dedit *objecta;* sed non dubitandum, quin *abjecta,* i. e. victa, superata, eversa, genuinum sit. Alii male *adjecta.* Decem MSS. *ab hostilibus armis,* tres *ab hostibus armis.* Passim pro *æquatam* legitur *æquandam,* contra fidem historiæ. Optime constituit textum Kappius, ut locus historiæ conveniat, et sensus sit: *urbs Stagira eversa, hortatu Aristotelis, ab Alexandro restituta est.*

3. *Ita urbs..... eversa.* Pighius ex Diogene Laertio et Plutarcho restituit: *Ita non tam urbs Stagira eversa;* sed emendationi codd. MSS. non favent, qui *strata* pari consensu tuentur. Urbem illam esse Stagiram facile intelligitur, nec necesse erat ejus nomen hic exprimere. — *Alexandri.* Non tamen Alexander, ut auctor putat, sed illius pater Philippus, Amyntæ filius, Stagiram evertit.

Digitized by Google

omnis ætatis homines exstiterint; sanctissimisque naturæ legibus mirificorum etiam exemplorum clara mundo subscripserit ubertas[1].

CAPUT VII.

De patrum amore et indulgentia in liberos.

1. Q. Fabii Maximi Rulliani. — 2. Cæsetii Flavi. — 3. Octavii Balbi.

De Externorum regum amore et indulgentia in liberos.

1. Seleuci Syriæ. — 2. Ariobarzanis Cappadociæ.

DE PATRUM AMORE ET INDULGENTIA IN LIBEROS.

Det[2] nunc vela pii et placidi affectus parentum erga liberos indulgentia; salubrique aura provecta, gratam suavitatis secum dotem afferat[3].

1. Fabius Rullianus[4], quinque consulatibus summa cum gloria peractis, omnibusque et virtutis et vitæ emeritis stipendiis, legatus ire Fabio Gurgiti filio ad bellum

1. *Clara mundo subscripserit ubertas.* Cod. Leid. prim. *subscripsit libertas.* Haud dubie *subscripsit* pro *subscripserit* ortum est ex abbreviatura; *ubertas* facillime potuit in *libertas* transire. Perizonius conjicit *cara* (id est grata, pretiosa) *ubertas.* Præter necessitatem; nam *ubertas exemplorum mundo clara* est multitudo exemplorum cuilibet nota, immo notissima. Pighius pro *ubertas* dedit *veritas.* Frustra.

2. *Det.* Codd. aliquot *Set.* Vitiose. Librarii litteram initialem vocis primæ omittere solebant, quæ ab alio appingeretur; scripserant ergo *et*, ut littera *D* suppleretur. At imperiti rubricatores addiderunt litteram *s*, ut *set* fieret. Alii ex *set* fecerunt *sed*, idque in multis MSS. reperitur. Ast omnino scribendum *det*, ut bene a Pighio aliisque editum est.

3. *Salubrique ..... afferat.* Nimium hic poetico cothurno Valerius procedit, nec *aura* et *dos* apte conveniunt. Voluit in hac præfatione nihil aliud dicere, quam: *Transeo nunc ad suavissima exempla indulgentiæ patrum in liberos.*

4. *Fabius Rullianus.* An. U. 462. Oros. III, 22. — *Emeritis stipendiis.* Pighius habet: *meritis stipendus;* sed rectior, sive codices sive

Digitized by Google

difficile et periculosum conficiendum gravatus non est; pæne ipso per se[1] duntaxat animo sine corpore militaturus, utpote propter ultimam senectutem lectuli otio, quam labori præliorum habilior: idem triumphantis currum[2] equo insidens sequi, quem ipse parvulum triumphis suis gestaverat, in maxima voluptate posuit; nec accessio[3] gloriosæ illius pompæ, sed auctor spectatus est.

2. Non tam speciosa Cæsetii, equitis romani, sors patria, sed par indulgentia[4]; qui a Cæsare, omnium jam et externorum et domesticorum hostium victore, quum abdicare[5] filium suum juberetur, quod is tribunus plebis cum Marullo collega, invidiam ei tamquam regnum affectanti fecerat, in hunc modum respondere sustinuit: « Celerius tu mihi, Cæsar, omnes filios meos eripies, quam ex his ego unum nota pellam mea. » Habebat autem duos præterea optimæ indolis filios, *quibus Cæsar*

sensum respicias, Vorstii lectio. Bene Gronovius explicat: Emeruit stipendia virtutum, qui omnes earum numeros implevit, qui omnibus virtutum muneribus perfunctus est; emeruit stipendia vitæ, qui consenuit. *Emerita stipendia* invenitur apud Livium, XXXII, 34; XXXIII, 14, aliosque. — *Fabio Gurgiti.* MSS. novem cum ed. Mog. *Fabio Gurgite.* Sed vid. supra, V, 5, 1. — *Bellum.* Adversus Samnites.

1. *Per se.* Male ejecit Pighius.

2. *Triumphantis currum.* Nonnulli MSS. omittunt *currum*; alii habent *triumphantem*, deleto *currum*. — *Parvulum.* Institutum fuit apud majores, ne quis inter lictores et consulem intercederet, præter *parvulum* filium.

3. *Accessio.* Quod non primarium, sed secundarium est: unde sensus: Fabius non habitus est *comes* triumphi, sed *auctor.* Alii, *accessor.*

4. *Non ..... indulgentia.* An. U. 709. Dio, c. 44; Suetonius Cæs. cap. 79.

5. *Abdicare.* Id est, familia ejicere et a bonis repellere; cui opponitur *exheredare*, quod fit post mortem. — *Tamquam regnum affectanti.* M. Antonius in ludis quibusdam inter saltationem coronam Cæsaris capiti imposuit, ut forte experiretur animos; pauci tantum applauserunt, reliqui mœsti conticuere omnes. Sentiens Cæsar, id displicuisse populo, coronam quidem abjecit, sed Cæsetius tamen cum collega affectati regni eum postulavit. — *Respondere.* MSS. undecim cum ed. Mog. *respondendo.* Haud male. Valerius amat gerundia in *do.*

Digitized by Google

se incrementa dignitatis benigne largiturum pollicebatur. Hunc patrem tametsi summa divini principis clementia tutum præstitit, quis tamen non humano ingenio majus ausum putet, quod, cui totus terrarum orbis succubuerat, non cessit?

3. Sed nescio, an Octavius Balbus[1] concitatioris et ardentioris erga filium benevolentiæ fuerit. Proscriptus a triumviris[2], quum domo postico clam esset egressus, jamque fugæ expeditum initium haberet, postquam intus filium trucidari falso clamore viciniæ accepit, ei se neci, quam evaserat, obtulit, occidendumque militibus tradidit; pluris nimirum illud momentum, quo illi præter spem videre filium incolumem contigerat, quam salutem suam æstimans: miseros adolescentis oculos, quibus amantissimum sui patrem, ipsius opera[3] sic exspirantem, intueri necesse fuit!

DE EXTERNORUM REGUM AMORE ET INDULGENTIA IN LIBEROS.

1. Cæterum ut ad jucundiora cognitu veniamus, Seleuci regis filius Antiochus novercæ Stratonices infinito amore[4] correptus, memor, quam improbis facibus arderet, impium pectoris vulnus pia dissimulatione contegebat; itaque diversi affectus iisdem visceribus ac medullis inclusi, summa cupiditas, et maxima verecundia, ad ultimam tabem corpus ejus redegerunt. Jacebat ipse[5] in

1. *Octavius Balbus*. An. U. 710.

2. *Triumviris*. Augusto, Antonio et Lepido. — *Postico*, id est, per posticum: alii, *postica*. — *Falso clamore viciniæ*. Pighius aliique, *falsus clamore e vicinia*.

3. *Ipsius opera*. Quasi causa: nam non interemit filius patrem, sed tantum inscius occasionem præbuit adversariis ejus opprimendi.

4. *Infinito amore*. Sicuti dicunt: infinitum odium, bellum, etc. Infinitus amor est vehemens amor, nullos sibi terminos figens. Lipsius conjicit *infrunito* (*fou*, *insensé*). Frustra. — *Facibus*. Cod. Ultraj. prim. *facinoribus*. Male.

5. *Ipse*. Aldus, Ascensius aliique

Digitized by Google

lectulo, moribundo similis; lamentabantur necessarii; pater mœrore prostratus, de obitu unici filii, deque sua miserrima orbitate cogitabat; totius domus funebris magis, quam regius erat vultus: sed hanc tristitiæ nubem Leptinis mathematici, vel, ut quidam tradunt, Erasistrati[1] medici, providentia discussit. Juxta enim Antiochum sedens, ut eum ad introitum Stratonices[2] rubore perfundi, et spiritu increbrescere, eaque egrediente pallere, et excitatiorem anhelitum subinde recuperare animadvertit, curiosiore observatione ad ipsam veritatem penetravit: intrante enim Stratonice, et rursus abeunte, brachium adolescentis dissimulanter apprehendendo, modo vegetiore, modo languidiore pulsu venarum comperit, cujus morbi æger esset; protinusque[3] id Seleuco exposuit; qui carissimam sibi conjugem[4] filio cedere non dubitavit, quod in amorem incidisset, fortunæ acceptum referens; quod dissimulare eum usque ad mortem paratus esset, ipsius pudori imputans. Subjiciatur animis senex[5], rex, amans: jam patebit, quam multa, quamque difficilia, paterni affectus indulgentia superaverit[6].

addiderant *Antiochus;* sed contra codd. MSS. et impressos vetustiores. E glossis irrepsit.

1. *Erasistrati.* Fuit discipulus Chrysippi medici, Aristotelis ex filia nepos. Plinius eum vocat *maximum medicum.* Meminit ejus etiam Gellius, XVI, 3.

2. *Stratonices.* Stratonice illa, *Dea* appellata, apud Smyrnæos consecrata est, et in ejus honorem fanum Veneris Stratonicidis dedicatum, ut ex decreto Smyrnæorum, quod inter marmora Arundeliana Seldenus edidit, apparet. — *Excitatiorem,* id est, acriorem, concitatiorem. In quibusdam libris est *exercitatiorem.* Male.

3. *Protinusque.* Plutarcho teste post triduum demum, timens, ne regi faceret injuriam. Deinde hac arte usus est, ut non reginæ, sed suæ ipsius uxoris amore adolescentem fingeret correptum, ut inde sensim regis perciperet animum. Re autem detecta, Seleucus amore motus, filio morem gessit.

4. *Carissimam sibi conjugem.* Pighius edidit *carissima sibi conjuge.*

5. *Senex.* Morosus alioquin.

6. *Superaverit.* Omnes codices MSS. ac typis expressi habent *superavit;* sed legendum cum Vorstio *superaverit* vel compendiose *superarit,* ut leges grammaticæ requirere videntur.

Digitized by Google

2. At Seleucus quidem uxore, Ariobarzanes[1] autem filio suo Cappadociæ regno cessit, in conspectu Cn. Pompeii; cujus quum tribunal conscendisset, invitatusque ab eo in curuli sella sedisset, postquam filium in cornu scribæ[2] humiliorem fortuna sua locum obtinentem conspexit, non sustinuit infra se collocatum intueri; sed protinus sella descendit, et diadema in caput ejus transtulit, hortarique cœpit, ut eo transiret, unde ipse surrexerat: exciderunt lacrimæ juveni, cohorruit corpus, delapsum[3] diadema est, nec quo jussus erat, progredi potuit; quodque pæne fidem veritatis excedit, lætus erat, qui regnum deponebat; tristis, cui dabatur; nec ullum finem tam egregium certamen habuisset, nisi patriæ voluntati auctoritas Pompeii adfuisset; filium enim et regem appellavit, et diadema sumere jussit, et in curuli sella considere coegit.

CAPUT VIII.

Qui severi adversus liberos[4].

1. L. Junius Brutus, primus cos. — 2. Cassius Viscellinus. — 3. T. Manlius Torq juriscos. — 4. M. AEmilius Scaurus. — 5. A. Fulvius.

1. Comicæ lenitatis hi patres; tragicæ asperitatis illi: par Romulo gloria L. Brutus[5], quia ille urbem, hic libertatem romanam condidit; filios suos[6], Tarquinii domi-

1. *Ariobarzanes*. An. U. 692.— *Regno*. MSS. tres habent *regnum*; etiam paulo ante *uxorem* pro *uxore*.

2. *Cornu scribæ*. Est extrema quædam tribunalis pars, ubi quam sedere scriba solebat. Tacit. Ann. I,75. *Surrexerat*. Alii *descenderat*, ex interpretatione.

3. *Delapsum*. Legendum *delapsum* cum Perizonio et Torrenio. Notum est, quam male *de* et *di* passim sint permutata. *Dilapsum* rejeci.

4. *Qui..... liberos*. MSS. *De severitate parentum in filios*, vel *adversus liberos*. Quod mutavit Pighius.

5. *L. Brutus*. An. U. 244. Liv. II, 5.

6. *Filios suos*. Fuerunt et alii nobiles juvenes, qui id molirentur, sed consulis liberi omnium in se

Digitized by Google

nationem a se expulsam reducentes, summum imperium obtinens, comprehensos, proque tribunali virgis cæsos, et ad palum religatos, securi percuti jussit: exuit[1] patrem, ut consulem ageret; orbusque vivere, quam publicæ vindictæ deesse maluit.

2. Hujus æmulatus exemplum Cassius[2], filium, qui tribunus plebis agrariam legem primus tulerat, multisque aliis rebus populariter animos hominum amore sui devinctos tenebat, postquam illam potestatem deposuit, adhibito propinquorum et amicorum consilio, affectati regni crimine domi damnavit: verberibusque affectum necari jussit, ac peculium ejus Cereri consecravit.

3. T. autem Manlius Torquatus[3], propter egregia multa raræ dignitatis, juris quoque civilis et sacrorum pontificalium peritissimus, in consimili facto ne consilio quidem necessariorum indigere se credidit; nam quum ad senatum Macedonia de filio ejus D. Silano, qui eam

converterant oculos. Adsueti enim in Tarquiniorum aula solutiori vitæ generi, nunc æquato jure omnium aliorum libertatem in suam vertisse servitutem graviter ferentes, de restituendis regibus consilia quærebant.

1. *Exuit patrem.* Eleganter. Sic fere Ovid. Metam. XII, 30: *Rexque patrem vicit.* Cf. Cuper. Obss. I, 6. Apud Ciceronem occurrit: *exuere se* (*renoncer à soi-même*).

2. *Cassius.* An. U. 268. Liv. II, 41; Plin. XXXIV, 4; conf. infra VI, 3, 1. — *Filium, Spurium Cassium Viscellinum*, qui ea tempestate, ut Livius fide dignior est auctor, non tribunus plebis, quod tamquam patricius tum temporis esse non poterat, sed consul fuit. Quum auram popularem captaret, eadem ei est facta invidia, quæ tot aliis. Quidam alii, a quæstoribus ei diem dictam perduellionis memorant; damnatum populi (non patris) judicio, direptas publice ædes et interempto superjectas. — *Agrariam legem.* De agro, quem populus romanus bello acquisiverat, æquis portionibus dividendo. — *Adhibito ..... consilio.* Eodem modo de filio parricidii affectati suspecto cognovit domi suæ T. Arius, apud Sen. de Clem. I, 15.

3. *Manlius Torquatus.* An. Urb. 612. Cic. de Fin. I, 7. — *Propter.* MSS. aliquot *præter*, quod vocula *quoque*, quæ mox sequitur, suadere videtur, unde in textum recepit Helfrechtus. Sed *propter* satis commode explicari potest. Fuit Torquatus vir raræ dignitatis propter *egregia multa*, hoc est, propter præclaras virtutes, et multa fortiter ac bene gesta.

Digitized by Google

provinciam obtinuerat, querelas per legatos detulisset, a patribus conscriptis petiit, « ne quid ante de ea re statuerent, quam ipse Macedonum filiique sui causam inspexisset. » Summo deinde quum amplissimi ordinis, tum etiam eorum, qui questum venerant, consensu, cognitione suscepta, domi consedit: solusque utrique parti per totum biduum vacavit, ac tertio plenissime die[1], diligentissimeque auditis testibus, ita pronuntiavit: « Quum Silanum filium meum pecunias a sociis accepisse mihi probatum sit, et republica eum et domo mea indignum judico, protinusque e conspectu meo abire jubeo. » Tam tristi patris sententia perculsus[2] Silanus, lucem ulterius intueri non sustinuit, suspendioque se proxima nocte consumpsit. Peregerat jam Torquatus severi et religiosi judicis[3] partes; satisfactum erat reipublicæ; habebat ultionem Macedonia; potuit tam verecundo obitu filii patris inflecti rigor: at ille neque adolescentis exsequiis interfuit, et quum maxime funus ejus duceretur, consulere se volentibus, vacuas aures accommodavit; videbat enim, se in eo atrio[4] consedisse, in quo Imperiosi illius Torquati severitate conspicua imago posita erat: prudentissimoque viro succurrebat, effigies majorum[5] cum titulis suis idcirco in prima ædium parte poni solere, ut eorum virtutes posteri non solum legerent, sed etiam imitarentur.

1. *Tertio plenissime die.* Multi codd. *tertio die plenissime.*

2. *Perculsus.* Sex MSS. *percussus*, ut Aldus aliique ediderunt. Vid. supra, I, 8, ext. 3.

3. *Religiosi judicis.* Anxie servantis jusjurandum, quo judices obligari solent.

4. *Atrio.* De quo Juven. sat. 8:

Tota licet veteres exornent undique cerus
Atria: nobilitas sola est atque unica virtus.

Majorum ob merita illustrium imaginibus sæpe ad virtutis et rerum gerendarum gloriam incendebantur, ut illorum imitatione etiam clariores fierent. Seneca de Benef. III, 28; Plin. XXXV, 2. — *Imperiosi illius Torquati.* Nondum Manlio *Imperioso* fuit *Torquati* nomen, sed deinde demum filio ejus Tito. Et hoc igitur est Valerii παρόραμα.

5. *Effigies majorum.* Duodecim MSS. omnesque ante Pighium editiones addunt *suorum*.

Digitized by Google

4. M. vero Scaurus[1], lumen ac decus patriæ, quum apud Athesim flumen impetu Cimbrorum romani equites pulsi, deserto [procos.] Catulo, urbem pavidi repeterent, consternationis eorum participi filio suo misit, qui dicerent, « libentius se in acie ejus interfecti ossibus occursurum, quam ipsum tam deformis fugæ reum visurum; itaque si quid modo reliquum in pectore verecundiæ superesset, conspectum degenerati patris vitaturum[2]. » Recordatione enim juventæ suæ, qualis M. Scauro aut habendus, aut spernendus esset filius, admonebatur. Quo nuntio accepto, juvenis coactus est fortius adversus semetipsum gladio uti, quam adversus hostes usus fuerat.

5. Nec minus animose A. Fulvius[3], vir senatorii ordinis, euntem in aciem filium retraxit, quam Scaurus e prælio fugientem increpuit; namque juvenem et ingenio et literis et forma inter æquales nitentem, pravo consilio amicitiam Catilinæ sequutum, inque castra ejus temerario impetu ruentem, medio itinere abstractum, supplicio mortis affecit, præfatus; « Non se Catilinæ illum adversus patriam, sed patriæ adversus Catilinam genuisse. » Licuit, donec civilis belli rabies præteriret, inclusum

1. *M. vero Scaurus.* An. U. 652. Aurelius Vict. 72; Front. IV, 1. — *Procos.* Sic dedit Pighius, quoniam post Catuli consulatum hoc actum fuit, Mario jam quintum consule, qui anno superiore quartum consul collegam habuerat Catulum. Tamen omnes codd. ante ipsum expressi typis legunt *deserto consule Catulo.* Ita et major pars MSS. nomen magistratus prorsus omittunt; unde nos uncis inclusimus. — *Eorum.* Pighius *ejus*, contra plurimorum MSS. fidem et omnium veterum editionum consensum. — *Dicerent.* MSS. novem cum ed. Mog. *diceret.* Rectius forsan; neque enim opus fuisse videtur, ut multos pariter nuntios mitteret.

2. *Degenerati patris vitaturum.* In codice Cauch. pro *vitaturum* est *vitaret*, unde Pighius conjecit *degener irati patris vitaret.* Sensu quidem bono, at contra librorum fidem. *Degenerati patris* est patris, a quo filius degeneraverat. De voce *degenerare* vid. Heins. ad Ovid. Pont. III, 1, 45.

3. *A. Fulvius.* An. U. 690. — *Filium.* M. Fulvius Nobilior is fuit, cujus Sallust. B. Catilin. cap. 39, meminit : vide p. 64, nost. edit.

Digitized by Google

arcere; verum illud cauti patris narraretur opus, hoc severi refertur.

CAPUT IX.

Qui moderati erga suspectos liberos[1].

1. L. Gellius Poplicola. — 2. Q. Hortensius orator. — 3. Fulvius quidam. — 4. Pater quidam.

Sed ut hanc incitatam et asperam severitatem mitiores relatu patrum mores clementiæ suæ mixtura temperent, exactæ pœnæ concessa venia jungatur.

1. L. Gellius[2], omnibus honoribus ad censuram defunctus, quum gravissima crimina de filio, in novercam commissum stuprum, et parricidium cogitatum, propemodum explorata haberet, non tamen ad vindictam procurrit continuo, sed pæne universo senatu adhibito in consilium, expositis suspicionibus, defendendi se adolescenti potestatem fecit; inspectaque diligentissime causa, absolvit eum, tum consilii, tum etiam sua sententia. Quod si impetu iræ abstractus sævire festinasset, admisisset magis scelus, quam vindicasset.

2. Q. autem Hortensii[3], qui suis temporibus ornamentum romanæ eloquentiæ fuit, admirabilis in filio patientia exstitit; quum enim eousque impietatem ejus suspectam,

1. *Qui..... liberos.* MSS. et vett. ediit. *De parentum adversus suspectos liberos moderatione.*

2. *L. Gellius.* Cognomine Poplicola. An. U. 683, quo censor fuit. — *Filio.* Quem Cicero defendit. Vid. A. Gell. V, 6. — *In novercam.* Cod. Camp. *cum noverca,* quod Pighius prætulit.

3. *Q. autem Hortensii.* An. U. 702. Cic. ad fam. VIII, 2; ad Att. II, 3. Hortensius, consul cum Q. Metello, nobilis orator, scripsit orationes, annales et lasciva poemata. Vid. Gellius, XIX, 9. Non mirum, filium perditis moribus fuisse, quum pater summa esset mollitie. Vid. Varro, III, 6; Plin. IX, 55; X, 20; Aulus Gellius, Noct. Att. I, 5; Macrob. III, 13. Obiit, quum Cicero e Cilicia Romam reverteretur.

Digitized by Google

et nequitiam invisam haberet, ut Messallam, suæ sororis filium, heredem habiturus, ambitus reum defendens judicibus diceret, « Si illum damnassent, nihil sibi præter osculum nepotum, in quibus acquiesceret, superfuturum[1] »; hac scilicet sententia, quam etiam editæ orationi inseruit, filium potius in tormento animi, quam in voluptatibus reponens[2]: tamen ne naturæ ordinem confunderet, non nepotes, sed filium heredem reliquit; moderate usus affectibus suis, quia et vivus moribus ejus verum testimonium, et mortuus sanguini honorem debitum reddidit.

3. Idem fecit clari generis magnæque dignitatis vir Fulvius[3], sed in filio aliquantum[4] tetriore; nam quum auxilium senatus implorasset, ut suspectus in parricidio[5], et ob id latens, per triumvirum conquireretur, ac jussu patrum conscriptorum comprehensus esset, non solum eum non notavit[6], sed etiam decedens, dominum omnium esse voluit; quem genuerat heredem instituens, non quem expertus fuerat[7].

4. Magnorum virorum clementibus actis ignoti patris novæ atque inusitatæ rationis consilium adjiciam, qui

1. *Si.... superfuturum.* Quo innuebat, se filium non habere, præter Messallam.

2. *Filium..... reponens.* Sensus est: putabat, filium sibi magis tormento, quam voluptati esse.

3. *Fulvius.* Qui primus omnium transalpinos Ligures domuit, Ambraciam devicit, Cephaleniam et Zacynthum subegit.

4. *Aliquantum.* Pro *aliquanto*, quia sequitur ablativus. Sic Livius etiam habet: *quantum magis et quantum longius.* — *Tetriore.* Nonnulli MSS. *deteriore*, ut hæc sæpius confundantur.

5. *In parricidio.* Id est, propter parricidium. Quippe *in* sæpe et pro *propter* usurpatur. — *Triumvirum*, capitalem: hi enim custodiæ, seu carceri præfecti erant, et maleficos conquirebant. Vid. Plin. XXI, 3.

6. *Notavit.* Septem MSS. *necavit.* Quod haud spernendum; nam *notavit* nimis leve est contra parricidii suspectum; tum quoque notare proprie *censoris*, non *patris* est. Cf. tamen supra, V, 7, 2.

7. *Expertus fuerat.* Non curans non respiciens, quod filius parricidium pararat, neque eo minus eum heredem testamento relinquens.

Digitized by Google

quum a filio necti sibi insidias comperisset, nec inducere in animum posset, ut verum sanguinem ad hoc sceleris progressum crederet, seductam uxorem suppliciter rogavit[1], « ne se ulterius celaret, sed diceret, sive illum adolescentem subjecisset, sive ex alio concepisset. » Asseveratione deinde ejus et jurejurando, se nil tale debere suspicari, persuasus, in locum desertum filio perducto, gladium, quem secum occultum attulerat, tradidit, ac jugulum feriendum præbuit; nec veneno, nec latrone ei ad peragendum parricidium opus esse affirmans. Quo facto non paulatim, sed magno impetu, recta[2] cogitatio pectus juvenis occupavit; continuoque abjecto gladio, « Tu vero, inquit, pater, vive: et si tam obsequens es, ut hoc precari filio permittas, me quoque exsupera[3]; sed tantum quæso, ne meus erga te amor eo sit tibi vilior, quod a pœnitentia oritur. » Solitudinem sanguine meliorem[4], pacatioresque penatibus silvas, et alimentis blandius ferrum, ac mortis oblatæ, quam datæ vitæ, felicius beneficium!

1. *Seductam.... rogavit.* In MSS. quatuordecim legitur: *seductam uxorem suspicans suppliciter rogavit.* Male. Orta est depravatio ex minus recte intellecta voce *seductam*; quam scil. quum sciolus crederet significare *corruptam*, *adulteratam*, opinatus est, verbum *suspicans* hic omnino locum habere. At *seductam* nihil aliud est, quam *in secretum deductam*, *seorsim*, *remotis arbitris abductam*. Cf. Livius, XXIII, 34. — *Sed diceret.* Hæc verba reperit Pighius in quatuor MSS. eaque rescribenda putavit. Exstant quoque in ed. Mog. — *Sive.... subjecisset.* Si filius ejus subdititius esset.

2. *Recta cogitatio.* Nempe, justa existimatio pietatis patri debitæ.

3. *Me quoque exsupera.* Mihi superstes esto. Parentibus nimirum in votis esse solebat, ut liberos superstites heredes relinquerent; adeo ut et in jurejurando id exprimerent dicerentque: *ita mihi sis superstes; ita oculos meos filii manus operiant!* Dubitandum igitur fuit liberis, an parentes sibi superstites esse optare liceret.

4. *Solitudinem sanguine meliorem.* Id est, locus desertus efficacior fuit ad amorem erga parentem incitandum, quam arctissima necessitudinis conjunctio inter patrem et filium fuerat, ante hunc colloquii diem.

Digitized by Google

CAPUT X.

Qui filiorum obitum forti animo tulerunt[1] *apud Romanos.*

1. M. Horatius Pulvillus cos. II. — 2. L. Æmilius Paullus procos. — 3. Q. Marcius rex cos.

Qui filiorum obitum forti animo tulerunt apud Externos.

1. Pericles atheniensis. — 2. Xenophon. — 3. Anaxagoras.

QUI FILIORUM OBITUM FORTI ANIMO TULERUNT APUD ROMANOS.

Commemoratis patribus, qui injurias filiorum patienter exceperunt, referamus eos, qui mortes æquo animo tolerarunt.

1. Horatius Pulvillus[2], quum in Capitolio Jovi Opt. Max. ædem pontifex dedicaret, interque nuncupationem solennium verborum postem tenens, mortuum esse filium audisset, neque manum a poste removit, ne tanti templi dedicationem interrumperet; neque vultum a publica religione ad privatum dolorem deflexit, ne patris magis, quam pontificis partes egisse videretur[3].

2. Clarum exemplum, nec minus tamen illustre, quod sequitur[4]: Æmilius Paullus[5], nunc felicissimi, nunc miserrimi patris clarissima repræsentatio, ex quatuor filiis formæ insignis, egregiæ indolis, duos jure adoptionis in Corneliam Fabiamque gentem translatos, sibi ipse denegavit, duos ei fortuna abstulit; quorum alter triumphum

1. *Qui.... tulerunt.* MSS. et edd. antiquæ: *De parentibus, qui filiorum*, etc.

2. *Horatius Pulvillus.* An. U. 246. Liv. II, 8; Tacit. Hist. III, 72; Sen. ad Marc. 13; Cic. pro dom. 54; Serv. ad Virg. Æn. XI, 2.

3. *Videretur.* Aliqui cum Pighio post *videretur* addiderunt: *tolle, inquit, cadaver;* sed hoc sine dubio a librariis additum est.

4. *Clarum ..... sequitur.* An. U. 586. Liv. XLV, 41; Vellei. I, 10; Sen. loco citato.

5. *Æmilius Paullus.* Hic Æmilius ejus fuit filius, qui apud Cannas cecidit, quique ipse Ligures et Persen devicit.

Digitized by Google

patris funere suo quartum ante diem præcessit; alter in triumphali curru conspectus[1], post diem tertium exspiravit. Itaque qui ad donandos usque liberos abundaverat, in orbitate subito destitutus est. Quem casum quo robore animi sustinuerit, oratione, quam de rebus a se gestis apud populum habuit, hanc adjiciendo clausulam, nulli ambiguum reliquit: « Quum in maximo proventu[2] felicitatis nostræ, Quirites, timerem, ne quid mali fortuna moliretur, Jovem Opt. Max. Junonemque reginam, et Minervam precatus sum, ut, si adversi quid populo romano immineret, totum in meam domum converteretur: quapropter bene habet[3]; annuendo enim votis meis id egerunt, ut vos potius meum casum doleatis, quam ego vestro ingemiscerem. »

3. Uno etiam nunc domestico exemplo adjecto, in alienis luctibus orationi meæ vagari[4] permittam. Q. Marcius Rex superior[5], Catonis in consulatu collega, filium summæ pietatis et magnæ spei, et quæ non parva calamitatis accessio fuit, unicum, amisit: quumque se obitu ejus subrutum et eversum videret, ita dolorem altitudine consilii

1. *Alter ..... conspectus.* Triumphantes enim liberos, immo et alios, quos amarent, in currum recipere solebant. — *Abundaverat.* Colerus malit *ambulaverat:* sed male. — *In orbitate subito.* Vorstius conjicit *is*, Perizon. vero *subita.*

2. *Proventu.* Successu: nam omnem Macedoniam consilio et armis subegerat, et magis etiam clementia devicerat. Male quidam codd. MSS. habent *provectu* aut *provecto.* — *Converteretur.* Ita omnino legendum; non, ut Colerus scripsit, *converteret.*

3. *Bene habet.* Ex solenni formula dictum.

4. *Uno... permittam.* An. U. 635. Undecim codices MSS. pro *orationi meæ* exhibent *orationem meam.* Utrumque probum. Vid. III, 8, ext. 1.

5. *Q. Marcius Rex superior.* Duo enim Marcii Reges ad consulatum pervenerunt, pater et filius. Pater an. U. 635 cum M. Catone, Censorii nepote; qui in Africa est mortuus. Q. Marcius filius solus postea consulatum gessit, an. U. 685. Vid. Gell. XIII, 19; Plin. Hist. Nat. II, 31. Unde apparet, non *superioris*, ut MSS. habent, legendum esse, sed *superior*, quod Pigh. ex conjectura reposuit.

Digitized by Google

coercuit, ut a rogo juvenis protinus curiam peteret, senatumque, quem eo die lege habere[1] oportebat, evocaret. Quod nisi[2] fortiter mœrorem ferre scisset, unius diei lucem inter calamitosum patrem et strenuum consulem, neutra in parte cessato officio, partiri non potuisset.

QUI FILIORUM OBITUM FORTI ANIMO TULERUNT APUD EXTERNOS.

1. Princeps Atheniensium Pericles[3] intra quatriduum duobus mirificis adolescentibus filiis spoliatus, iis ipsis diebus, et vultu pristinum habitum retinente, et oratione nulla ex parte infractiore concionatus est: ille vero caput quoque solito more coronatum gerere sustinuit, ut nihil ex vetere ritu propter domesticum vulnus[4] detraheret; non sine causa igitur tanti roboris animus ad Olympii Jovis[5] cognomen ascendit.

2. Xenophon[6] autem, quod ad Socraticam disciplinam attinet, proximus a Platone felicis ac beatæ facundiæ gra-

1. *Habere.* MSS. quinque *haberi.*

2. *Quod nisi.* Cod. Ultraj. prim. *Qui nisi.* Perizon. conjicit, *qui non.* — *Strenuum.* Vocando senatum in curiam. — *Partiri.* Distinguere lucem unius diei inter *patrem calamitosum,* id est, diem, quo funus peregerat, et *consulem strenuum,* id est, diem, quo consulis partes exsequeretur, officio in neutra parte cessante, licet utrumque non fecerit uno die. *Cessato officio* habent omnes MSS.; nisi quod in quatuor *cassato* est. *Cessata* dicuntur ea, in quibus *cessatum est.* Vid. Ovidii Fast. IV, 617; Met. X, 669; Sil. Ital. V, 533.

3. *Pericles.* Vid. Ælian. IX, 6; Symmach. III, 6. Coronatus incedere et concionari solebat.

4. *Propter domesticum vulnus.* Quod filios amiserat. Sic et alii dolorem, quem ex morte liberorum capiunt parentes, aut ex morte parentum capiunt liberi, *vulnus* vocant.

5. *Olympii Jovis.* Ita Aristophanes in Acharnensibus 530 eum vocat: ἐντεῦθεν ὀργῇ Περικλέης ὁ Ὀλύμπιος. Vid. Plin. XXXIV, 8. Quia vero ab Aristophane et Plinio simpliciter vocatur *Olympius* Pericles, nonnulli hic deleri volunt *Jovis.* Est tamen in MSS.

6. *Xenophon.* Vid. Ælian. III, 3; Senec. ad Marc. 12; A. Gell. XIV, 3. Xenophon fuit historicus, philosophus, bellique dux insignis, Græciæ lumen, cui tamen, ut plurimis, ingrata patria, bene meritorum præmia denegavit. — *Proximus..... gradus.* Qui in Socratica

Digitized by Google

dus, quum solenne sacrificium perageret, e duobus filiis majorem natu nomine Gryllum, apud Mantineam in prælio cecidisse cognovit; nec ideo institutum deorum cultum omittendum putavit, sed tantummodo coronam[1] deponere contentus fuit; quam ipsam, percontatus *quonam modo occidisset*, ut audivit, *fortissime pugnantem interiisse*, capiti reposuit; numina, quibus sacrificabat, testatus, *majorem se ex virtute filii voluptatem, quam ex morte amaritudinem sentire.* Alius removisset hostiam, abjecisset altaria[2], lacrimis respersa tura disjecisset: Xenophontis corpus religione[3] immobile stetit, et animus in consilio prudentiæ stabilis mansit, ac dolori succumbere, ipsa clade, quæ nuntiata erat, tristius duxit.

3. Nec Anaxagoras[4] quidem supprimendus est: audita namque morte filii, *Nihil*, inquit, *mihi inexspectatum, aut novum nuntias; ego enim illum ex me natum sciebam esse mortalem.* Has voces utilissimis præceptis imbuta virtus mittit; quas si quis efficaciter auribus perceperit[5], non ignorabit ita liberos esse procreandos, ut meminerit, his a rerum natura, et accipiendi spiritus, et reddendi eodem momento temporis legem dici: atque ut

disciplina secundum a Platone locum obtinuit. Plato eloquentia superior, Xenophon gravitate melior, qui et ipse multa sermonis suavitate pollebat. Hi tanta inter se æmulatione certarunt, ut quum uterque multa scripserit, neuter tamen alterius mentionem faciat in libris suis. Præceptorem tantum in dialogis suis cum cæteris discipulis disputantem introducunt.

1. *Coronam.* Qua cincti sacra faciebant Veteres.

2. *Altaria.* Eorum ornatum.

3. *Corpus religione.* Pighius edidit *corpus religioni*, quum Valerius de corporis et animi constantia loquatur. *Religione* habent omnes vetustæ editt. et plerique MSS. — *Ac dolori.* Alii *nam dolori.* Æque recte, sed contra fidem MSS. et editt.

4. *Anaxagoras.* Vid. Cic. Tusc. III, 14; Ælian. III, 2; Senec. ad Polyb. 30; Symmach. III, 6; Anaxagoras Clazomenius, Hegesibulo patre natus, Anaximenis auditor, philosophus Ionicus suo tempore inclytus.

5. *Perceperit.* In codd. MSS. plurimis est *receperit*, eodem sensu.

Digitized by Google

mori neminem solere, qui non vixerit; ita nec vivere aliquem quidem[1] posse, qui non sit moriturus.

1. *Quidem*. Quibus diutinum in lectitandis oratoribus studium fuit, iis notum est, *quidem* pro *etiam* a doctioribus sæpe dici. Cicero Philipp. XI, 4: *Cruciatus est a Dolabella Trebonius: et* quidem *a Carthaginiensibus Regulus*. Cornelius Nepos cap. II: *Qui* quidem *Serviliam Bruti matrem non minus post mortem ejus quam florente coluerit*.

Digitized by Google

VALERII MAXIMI

FACTORUM DICTORUMQUE MEMORABILIUM

LIBER SEXTUS.

CAPUT I.

De pudicitia quam coluere Romani.

1. Lucretia Sp. F. L. Collatini. — 2. L. Virginius. — 3. Pontius Aufidianus eques rom. — 4. P. Mænius. — 5. Q. Fab. Max. Servilianus. — 6. P. Atilius Philiscus. — 7. M. Claud. Marcellus ædilis curulis. — 8. Q. Metellus Celer tribunus pleb. — 9. T. Vetarius T. F. Calvinus. — 10. C. Pescennius triumvir capitalis. — 11. Cominius trib. pleb. — 12. C. Marius cos. II. — 13. Privati, qui adulteria deprehensa vindicarunt.

De pudicitia quam coluere Externi.

1. Hippo femina græca. — 2. Chiomara Orgiagontis reguli. — 3. Teutonorum uxores.

DE PUDICITIA QUAM COLUERE ROMANI.

Unde te virorum pariter ac feminarum præcipuum firmamentum [1], Pudicitia, invocem? Tu enim prisca [2] religione consecratos Vestæ focos incolis; tu Capitolinæ Junonis pulvinaribus incubas; tu palatii columen, augustos penates sanctissimumque Juliæ [3] genialem torum assidua

1. *Firmamentum.* J. Lipsius, cui Vorst. assentitur, legendum putat *ornamentum.* — *Invocem.* Lipsio atque Pighio placuit; *evocem.*

2. *Prisca.* Quia ab Ascanio morem servandi ignis æterni accepere Romani; quia Vestales perpetuam virginitatem servabant. Cic. II, de Legib. 20. — *Junonis.* Quæ præerat conjugiis. Aram Junonis pellici tangere non licuit.

3. *Juliæ.* Hæc sine dubio est Livia, Tiberii mater, cui *Julium* nomen post adoptionem vulgo datum

Digitized by Google

statione celebras; tuo præsidio puerilis ætatis insignia munita sunt; tui numinis respectu sincerus juventæ flos permanet; te custode matronalis stola[1] censetur: ades igitur, et cognosce, quæ fieri ipsa voluisti.

1. Dux romanæ pudicitiæ Lucretia[2], cujus virilis animus, maligno errore fortunæ, muliebre corpus sortitus est: a Sex. Tarquinio, regis Superbi filio, per vim stuprum pati coacta, quum gravissimis verbis injuriam suam in consilio necessariorum deplorasset, ferro se, quod veste tectum attulerat, interemit; causamque tam animoso interitu, imperium consulare pro regio permutandi, populo romano præbuit.

2. Atque hæc[3] illatam injuriam non tulit: Virginius, plebeii generis, sed patricii vir spiritus, ne probro contaminaretur domus sua, proprio sanguini non pepercit: nam quum Appius Claudius decemvir, filiæ ejus virginis stu-

(vide Tac. Ann. I, 8), et cui Valerius hoc loco tam impudenter adulatur; non autem illa Julia, libidine per orbem infamis, Augusti filia, primo Marcelli, deinde M. Agrippæ, postremo Tiberii uxor, qui eam repudiavit. Ita huic Juliæ haud facile esset adulatus Valerius, quum Tiberius eam tanto haberet odio. In octo MSS. et ed. Mog. legitur *Juliæ gentis;* quod Pighius male in textum recepit; totius enim alicujus gentis torus genialis esse nequit, sed singulorum, et non nisi matronarum, ut Lipsius monet.

1. *Stola.* Matronalis vestis, usque ad imos pedes demissa, cujus extremam partem ambibat instita assuta, quæ erat fasciola quædam, sive limbus. *Stolam* pro honesta muliere, Statius et Martialis dicunt.

2. *Lucretia.* An. U. 244. Livius, lib. I, 58, tom. I, pag. 162 nostræ editionis; Ovidius, Fastorum, lib. II, tom. VI, p. 153, edit. nostræ; Augustinus, de Civitate Dei, lib. I, cap. 19; lib. III, cap. 16. — *Sex. Tarquinio.* Sic Pigh. ex MSS. edidit, quibuscum faciunt MSS. decem Torrenii. Alii *Sex. Tarquinii*, male. — *Consilio.* Rectius Kappio videtur quam *concilio*, quod præfert Torrenius. Lucretia deploravit injuriam coram necessariis, quos in consilium adhibuerat, qua ratione vindicanda esset. — *Necessariorum.* Mariti Collatini, patris Tricipitini, Publii Valerii et Junii Bruti.

3. *Hæc.* In veteribus editt. *hanc;* male vero, nam *tulit* ad priora referendum, non ad *Virginium.* Sensus est: Lucretiam injuriam jam illatam, Virginium prope inferendam non tulisse. An. U. 304. Liv. III, 48; Dionys. XI; Cic. de Fin. V, 22. (64).

Digitized by Google

prum, potestatis viribus fretus, pertinacius expeteret, deductam in forum[1] puellam occidit; pudicæque interemptor, quam corruptæ pater esse maluit.

3. Nec alio robore animi præditus fuit Pontius Aufidianus, eques romanus: qui postquam comperit, filiæ suæ virginitatem a pædagogo[2] proditam Fannio Saturnino, non contentus sceleratum servum affecisse supplicio, etiam ipsam puellam necavit; itaque[3] ne turpes ejus nuptias celebraret, acerbas exsequias duxit.

4. Quid P. Mænius, quam severum pudicitiæ custodem egit! In libertum namque gratum admodum sibi animadvertit[4], quia eum nubilis jam ætatis filiæ suæ osculum dedisse cognoverat, quum præsertim non libidine, sed errore[5] lapsus videri posset. Cæterum amaritudine pœnæ, teneris adhuc puellæ sensibus, castitatis disciplinam ingenerari magni æstimavit: eique tam tristi exemplo præcepit, *ut non solum virginitatem illibatam, sed etiam oscula ad virum sincera perferret.*

5. Q. vero Fabius Maximus Servilianus[6] honoribus, quos splendidissime gesserat[7], censuræ gravitate consummatis, exegit a filio pœnas dubiæ castitatis, et punito pependit, voluntario secessu conspectum patriæ[8] vitando.

1. *Forum.* Rectius quidam judicant: *seductam in foro.* Sed et in Livio legimus: *deducit in forum.*

2. *Pædagogo. Pædagogum* mox *sceleratum servum* vocat; quia nimirum inter servos etiam pædagogos habebant.

3. *Itaque.* Longe major pars MSS. cum antiquis editt. *ita.* Si *itaque* retinere velis, exponas cum Perizonio *atque ita.* Vid. supra, I, 7, ext. 8.

4. *Animadvertit.* Morte punivit.

5. *Errore.* Quia fortasse in teneris annis osculari eam solitus erat.

6. *Servilianus.* An. U. 627. censor fuit. *De feriis* hunc scripsisse librum Macrobius testis est.

7. *Gesserat.* Torren. sic restituit ex tredecim MSS. pro Pighiano *gessit.* — *Dubiæ castitatis.* Rumor erat, eum amisisse pudicitiam, et muliebria turpiter passum.

8. *Punito pependit ..... patriæ vitando.* Sic plerique MSS. et omnes ante Pigh. editi. Pigh. vero conjecerat: *is eas pependit ..... patris vitando;* sed sensus hic esse videtur: Servilianus primo filium suum propter libidinem adfecit pœna,

Digitized by Google

6. Dicerem censorium virum nimis acerbum[1] exstitisse, nisi P. Atilium Philiscum, in pueritia corpore quæstum a domino facere coactum, tam severum postea patrem cernerem[2]; filiam enim suam, quod ea se stupri crimine coinquinaverat, interemit. Quam sanctam igitur in civitate nostra pudicitiam fuisse existimare debemus, in qua etiam institores libidinis, tam severos ejus vindices evasisse animadvertimus?

7. Sequitur excellentis nominis ac memorabilis facti exemplum[3]. M. Claudius Marcellus[4], ædilis curulis, C. Scantinio Capitolino, tribuno plebis, diem ad populum dixit, *quod filium suum de stupro appellasset*: eoque asseverante, *se cogi non posse, ut adesset, quia*[5] *sacrosanctam potestatem haberet*, et ob id tribunitium auxilium implorante, totum collegium tribunorum negavit, *se intercedere, quo minus pudicitiæ quæstio perageretur*. Citatus itaque Scantinius reus, unò teste[6], qui tentatus erat, damnatus est. Constat juvenem productum in rostra defixo in terram vultu perseveranter tacuisse, verecundoque silentio plurimum in ultionem suam valuisse.

8. Metellus quoque Celer stuprosæ[7] mentis acer punitor exstitit, Cn. Sergio Silo promissorum matrifamiliæ

deinde punito filio se ipsum punivit, sponte sua in exsilium eundo.

1. *Acerbum*. Malit Kappius quam *atrocem*, quod habent tredecim MSS. et præfert Torrenius.

2. *Cernerem*. Non raro enim, qui ipsi in adolescentia omnibus indulsere vitiis, eorum detrimentum experti, acerrimi deinde sunt castigatores.

3. *Exemplum*. An. U. 527. Plut. in vit. M. Marcelli.

4. *Marcellus*, qui de Viridomaro opima spolia retulit, Hannibalem apud Nolam vicit, et Syracusas expugnavit.—*Scantinio*. E cujus stirpe lex Scantinia emanaverat, lata a C. Scantinio Aricino, ut, qui aliorum pudicitiam sollicitassent, aut suam ipsi prostuitissent, pœna X millium nummum coercerentur. — *Tribuno plebis*. Pighius ad Fastos 627 putat legendum *ædili plebis*. Vide Liv. III, 55; Tom. I, p. 425, nost. ed.

5. *Sacrosanctam*. De quo Livius. III, 55; Tom. I, p. 426, nost. ed.

6. *Teste*. Ipso puero Marcelli filio.

7. *Stuprosæ*. Libidinosæ voluntatis animus, ad stuprum propensus. Vid. Sen. de Const. 7

Digitized by Google

nummorum gratia diem ad populum dicendo, eumque hoc uno crimine damnando : non enim factum tunc, sed animus in quæstionem [1] deductus est; plusque voluisse peccare nocuit, quam non peccasse profuit.

9. Concionis hæc; illa curiæ gravitatis [2]. T. Veturius, filius ejus Veturii, qui in consulatu suo Samnitibus, ob turpiter ictum fœdus [3], deditus fuerat, quum propter domesticam ruinam, et grave æs alienum, C. Plotio nexum se dare admodum adolescentulus coactus esset, servilibus ab eo verberibus, quia stuprum pati noluerat, affectus, querelam ad consules detulit : a quibus hac de re certior factus senatus, *Plotium in carcerem duci* jussit: in qualicunque enim statu positam [4] romano sanguini pudicitiam tutam esse voluit.

10. Et quid mirum, si hoc universi patres conscripti censuerunt? C. Pescennius triumvir capitalis, Cornelium fortissimæ militiæ stipendia emeritum, virtutisque nomine quater honore primipili [5] ab imperatoribus donatum, quod cum ingenuo adolescentulo stupri commercium habuisset, publicis vinculis oneravit. A quo appellati tribuni, quum de stupro nihil negaret, sed *sponsionem se facere* [6] *paratum* diceret, *quod adolescens ille palam*

1. *In quæstionem.* Sic restituit Pighius ex MSS.; antea *in quæstione.*

2. *Gravitatis.* An. U. 427. Liv. VIII, 28, qui de L. Papirio simile refert. Vid. quoque Suid. ed. Kuster. I, 463. B. Gravi illo bello contra Samnites multi ære exhausti, a fœneratoribus sunt pressi, qui, quum æs alienum solvi non posset, servire coegerunt liberos.

3. *Fœdus.* Ad furculas Caudinas. — *Nexum se dare. Necti* et *nexum se dare* idem sæpe, quod in vincula conjici, compedibus et nervis teneri, sæpe etiam servire.

4. *Positam.* Lipsius, quem Vorst. sequitur, conjicit *posito*, contra omnes libros.

5. *Primipili. Primipili centurio*, seu *primipilaris* dicebatur, qui pilum, id est, primum ordinem triariorum ducebat, primarius omnium centurionum. Vid. Veget. II, 21. — *Commercium.* Commercium proprie est commutatio mercium. Ponitur tamen pro commutatione cujuscunque rei et consuetudine, ut commercium litterarum, linguæ, beneficiorum, libidinis.

6. *Sponsionem se facere.* Hanc for-

Digitized by Google

atque aperte corpore quæstum factitasset, intercessionem suam interponere noluerunt; itaque Cornelius in carcere mori coactus est. Non putarunt[1] tribuni plebis rempublicam nostram cum fortibus viris pacisci oportere, ut externis periculis domesticas[2] delicias emerent.

11. Libidinosi centurionis supplicium, M. Lætorii Mergi tribuni militaris, æque similis[3] fœdus exitus sequitur; cui Cominius tribunus plebis diem ad populum dixit, quod cornicularium[4] suum stupri causa appellasset; nec sustinuit ejus rei sententiam[5] Lætorius, sed se ipse ante judicii tempus fuga prius subtraxit, deinde etiam morte punivit. Naturæ modum expleverat[6]: fato tamen functus, universæ plebis sententia crimine impudicitiæ damnatus est; signa illum militaria, sacratæ aquilæ, et certissima romani imperii custos, severa castrorum disciplina, usque ad inferos persequuta est: quoniam, cujus magister esse debuerat, sanctitatis corruptor tentabat exsistere.

12. Hoc movit C. Marium imperatorem tum[7], quum *C. Luscium, sororis suæ filium, tribunum militum, a*

mulam sequitur plerumque *ni*. Vid. supr. II, 8, 2. Sed interdum etiam *quod*. Vid. infr. VII, 2, 4.

1. *Putarunt*. Hic undecim MSS. et edd. vett. inserunt *enim*.

2. *Domesticas*. Ut iis liceret, domi turpiter vivere. Sic etiam supra dixit: quid prodest foris esse strenuum, si domi male vixeris?

3. *Similis*. Hanc vocem Lipsius et Perizonius contra omnes libros expungendam putant. — *Sequitur*. An. U. 436, circ. Suidas in voce Γάϊος.

4. *Cornicularium*. Asconius ita refert: « Accensi dicebantur attributi decurionibus, hoc est ministri eorum, quasi ad censum additi, quos nunc commentarienses et *cornicularios* appellant. » Juxta alios ita sunt vocati, quod una cum suis decurionibus in cornibus acierum statuerentur. Vorstius autem probat, cornicularios fuisse milites honoratiores, tribunorum ac centurionum beneficiarios, dictos a corniculo galearum, quæ speciem cornuum referebant.

5. *Sententiam*. Quædam editt. habent *scientiam*, unde Torren. conjecit *conscientiam*. — *Subtraxit*. Hoc partim alii libri, partim *morte punivit* omittunt.

6. *Naturæ modum expleverat*. Hæc verba delenda putant Torrenius et nonnulli alii.

7. *Tum*. An. U. 649. Plut. in vita Marii, et in apophth.; Cic. pro

Digitized by Google

C. Plotio, manipulario milite, jure cæsum pronuntiavit, *quia eum de stupro compellare ausus fuerat.*

13. Sed, ut eos quoque, qui in vindicanda pudicitia dolore suo pro publica lege usi sunt, strictim percurram, Sempronius Musca C. Gallium deprehensum in adulterio flagellis cecidit: C. Memmius L. Octavium similiter deprehensum nervis [1] contudit: Carbo Accienus a Vibieno, item Pontius a P. Cernio, deprehensi castrati sunt: Cn. etiam Furium Brocchum, qui deprehenderat [2], familiæ stuprandum objecit. Quibus iræ suæ indulsisse, fraudi [3] non fuit.

DE PUDICITIA QUAM COLUERE EXTERNI.

1. Atque ut domesticis externa subnectam, græca femina, nomine Hippo, quum hostium classe esset excepta, in mare se, ut morte pudicitiam tueretur, abjecit; cujus corpus Erythræo littori [4] appulsum, proxima undis humus sepulturæ mandatum, ad hoc tempus tumulo contegit: sanctitatis vero gloriam æternæ traditam memoriæ Græcia laudibus suis celebrando, quotidie florentiorem effecit.

2. Vehementius hoc: illud consideratius exemplum pudicitiæ [5]. Exercitu et copiis Gallogræcorum a Cn. Manlio

Milone, 4; Quint. III, 2, 14. — *Manipulario.* Gregario, aut, qui sub eodem manipulo militabat.

1. *Nervis.* Adulteri sæpius flagellis sive, loris cæsi, quod Sallustio contigisse Gellius testatur.

2. *Qui deprehenderat.* Sic a Vorst. bene restitutum est, ex MSS. et ed. vet. aliisque. Pigh. dedit: *quidam deprehendit;* Aldus: *Cn. etiam Furius Brocchum, quem deprehenderat.* Sed Furium et Brocchum unam esse personam constat ex Numo *L. Furius Cn. F. Brocchus.*

3. *Fraudi.* Damno seu detrimento.

4. *Littori.* Littus vicinum urbi Erythris in Ionia. — *Tumulo.* Tumulo facto honoris causa, quorum in Græcia magnus fuit honos. Sicut jam apud antiquos magno erat dedecori, si nemo adjiceret cadaveri humum; sic magnus tumulus honoris testificatio.

5. *Pudicitiæ.* An. U. 564. Liv. XXXVIII, 24; Plut. de claris mulieribus Flor. II, 11; Aurel. Vict. 55. *Consideratius* fuit, quum nollet vim sibi inferre ipsa, sed exspectaret, dum opportuna vindictæ occurreret occasio.

Digitized by Google

consule in Olympo monte ex parte deletis, ex parte captis, Orgiagontis[1] reguli uxor miræ pulchritudinis a centurione, cui custodienda tradita erat, stuprum pati coacta, postquam ventum est in eum locum, in quem centurio, misso nuntio, *necessarios mulieris pretium, quo eam redimerent, afferre* jusserat, aurum expendente centurione, et in ejus pondus animo oculisque intento, Gallogræcis lingua gentis suæ imperavit, *ut eum occiderent;* interfecti deinde caput abcissum manibus retinens ad conjugem venit; abjectoque ante pedes ejus, et injuriæ[2] et ultionis suæ ordinem exposuit. Hujus feminæ quid aliud quisquam, quam corpus, in potestatem hostium venisse dicat? nam neque animus vinci, nec pudicitia capi potuit.

3. Teutonorum[3] vero conjuges Marium victorem orarunt, *ut ab eo virginibus Vestalibus dono mitterentur*, affirmantes, *æque se atque illas virilis concubitus expertes futuras:* eaque re non impetrata, laqueis sibi nocte proxima spiritum eripuerunt. Dii melius, quod hunc animum viris earum in acie non dederunt; nam si mulierum suarum virtutem imitari voluissent, incerta teutonicæ victoriæ tropæa reddidissent.

1. *Orgiagontis.* Ita plerique MSS. Viri tamen docti malint *Ortiagontis;* græce enim dicitur Ὀρτιάγων. — *In quem.* Addunt aliqui: consulis jussu; quod autem aliorum narrationi adversatur.

2. *Et injuriæ.* Ed. vet. Mog. et Ultr. *ei injuriam;* quod nec Torrenio, nec Kappio displicet.

3. *Teutonorum.* An. U. 651. Plut. Oros. V, 16; Flor. III, 3. Hieron. de monogam. *Cimbri, Teutones et Galli Senones* ab extremis Galliæ profugi, quum terras eorum inundasset Oceanus, novas sedes toto orbe quærebant. Pars in Italiam delata, fugatis nonnullis rom. exercitibus, a Mario est victa; post amissum prælium uxorum pleræque e carris primo pugnarunt; deinde, ne in servitutem abducerentur, se suosque crudeliter necaverunt.

Digitized by Google

CAPUT II.

Quæ libere dicta, aut facta a Romanis.

1. Legato Privernatium. — 2. L. Marcio Philippo cos. — 3. Scipione AEmiliano. — 4. Cn. Calpurnio Pisone. — 5. M. Catone Uticensi. — 6. Cn. Lentulo Marcellino cos. — 7. M. Favonio. — 8. Helvio Mancia formiano. — 9. Diphilo tragœdo. — 10. M. Castricio placentino. — 11. Ser. Sulpicio Galba. — 12. A. Cascellio jurisc.

Quæ libere dicta, aut facta ab Externis.

1. Machæra macedonica muliere. — 2. Syracusana quadam. — 3. Theodoro cyrenæo.

QUÆ LIBERE DICTA, AUT FACTA A ROMANIS.

Libertatem[1] autem vehementis spiritus dictis pariter ac factis testatam, ut non invitaverim, ita ultro venientem non excluserim; quæ inter virtutem vitiumque posita, si salubri modo se temperaverit, laudem: si, quo non debuit, profuderit, reprehensionem meretur. Ac vulgi sic auribus gratior, quam sapientissimi cujusque animo probabilior est, utpote frequentius aliena venia, quam sua providentia tuta: sed quia humanæ vitæ partes persequi propositum est, nostra fide, propria[2] æstimatione referatur.

1. Priverno[3] capto, interfectisque qui id oppidum ad rebellandum incitaverant, senatus indignatione accensus consilium agitabat, quidnam sibi de reliquis quoque Privernatibus faciendum esset: ancipiti[4] igitur casu salus eorum fluctuabat, eodem tempore et victoribus et iratis sub-

1. *Libertatem.* Ingenua loquendi libertas justo loco magna parare commoda et saluti esse potest; sed caveamus, ne in protervam linguæ licentiam abeat, *Dum vult libertas mera dici veraque virtus.* Horat. I, Ep. 18.

2. *Propria.* Eam, sicut est, pro veritate et merito æstimare nos decet.

3. *Priverno.* An. U. 424. Livius, VIII, 21. Privernum C. Plautius cum toto Latio subegit.

4. *Ancipiti.* Quia alii in senatu perdendos, alii servandos judicabant, salus eorum in dubio versabatur.

Digitized by Google

jecta. Cæterum quum auxilium unicum in precibus restare animadverterent, ingenui[1] et italici sanguinis oblivisci non potuerunt; princeps enim eorum in curia interrogatus, *quam pœnam mererentur*, respondit; *Quam merentur*[2], *qui se dignos libertate judicant.* Verbis arma sumpserat, exasperatosque patrum conscriptorum animos inflammaverat; sed Plautius consul, favens Privernatium causæ, regressum animoso ejus dicto obtulit, quæsivitque, *qualem cum eis Romani pacem habituri essent, impunitate donata.* At is constantissimo vultu, *Si bonam dederitis*, inquit, *perpetuam: si malam, non diuturnam*[3]. Qua voce perfectum est, ut victis non solum venia, sed etiam jus et beneficium nostræ civitatis daretur.

2. Sic in senatu Privernas loqui ausus est; L. vero Philippus[4] consul adversus eumdem ordinem libertatem exercere non dubitavit; nam segnitiem pro rostris exprobrans, *alio sibi senatu opus esse* dixit, tantumque a pœnitentia dicti abfuit, ut etiam L. Crasso, summæ dignitatis et eloquentiæ viro, id in curia graviter ferenti, manum injici

1. *Ingenui.* Sic optime Torrenius revocavit, quum ante a Pigh. ederetur *ingeniti. Ingenuus sanguis* est non servilis, sed libertatis amantissimus. — *Italici.* Italici, extra Latium Italiæ habitatores ad Rubiconem usque, quos jus italicum secernebat a Gallis et provincialibus, Latinos autem ab his jus Latii, majorem immunitatem complectens, de quo jam supra dictum est.

2. *Quam merentur..... inflammaverat.* Sic. Pigh. ex MSS. restituit, quum Aldus edidisset: *Quam merentur, qui quum se libertate dignos judicarent, arma sumpserant. Exasperatos patrum conscriptorum animos verbis inflammaverat.* Aliquot MSS. *Verbiscontra quos arma sumpserant;* alii, *urbis arma sumpserant.* Mutaverant librarii, non capientes Valerii acumen quod est in *verbis arma sumpserat*, nempe, ea oratione usus erat, unde pateret animus ejus, adhuc arma, quantum in ipso erat, pro libertate sumere volentis.

3. *Diuturnam.* Ingenui sane hominis dictum, sinistra sorte non infracti.

4. *Philippus.* An. U. 662. Cicero, de Orat. III, 1; Quint. VIII, 3, 89. Drusus, quum equites nimium valerent opibus e vectigalibus, plebem Gracchanis legibus, socios spe civitatis ad res novas erexit. Cæpio equestrem ordinem, L. Marcius Philippus cos. senatorium tuendum susceperant. Consul

Digitized by Google

juberet : ille, rejecto lictore, *Non es*[1], inquit, *mihi, Philippe, consul, quia nec ego quidem tibi senator sum.*

3. Quid ? populum ab incursu suo tutum libertas reliquit ? immo et similiter aggressa[2], et æque experta patientem est. C. Carbo[3], tribunus plebis, nuper sepultæ Gracchanæ seditionis turbulentissimus vindex, idemque orientium civilium malorum fax ardentissima, P. Africanum a Numantiæ ruinis summo cum gloriæ fulgore venientem, ab ipsa pæne porta in rostra perductum, *quid de Tib. Gracchi morte*, cujus sororem in matrimonio habebat, *sentiret*, interrogavit; ut auctoritate clarissimi viri[4], inchoato jam incendio multum incrementi adjiceret, quia non dubitabat, quin propter tam arctam affinitatem, aliquid pro interfecti necessarii memoria miserabiliter esset loquuturus; at is *jure*[5] *eum cæsum videri* respondit : cui dicto quum concio[6] tribunitio furore instincta violenter succlamasset ; *Taceant*, inquit, *quibus Italia noverca*[7]

tam graviter in senatum, quod Druso non resisteret, est invectus, ut diceret : alio senatu esse opus, qui reipubl. melius consuleret. Cui respondit Crassus, sed tanta mentis agitatione concussus, ut morbo correptus septimo die post periret.

1. *Non es.... senator sum.* MSS. complures, *non est, inquit, mihi Philippus consul, quia nec ego quidem senator sum.* Unde Torrenius conjicit, Valerium scripsisse : *Non est, inquit, mihi Philippus consul, cui nec ego quidem senator sum.*

2. *Aggressa.* An. U. 622. Liv. LIX ; Vellei. II, 4, pag. 51 nostræ editionis ; Aurel. Vict. 58. — *Patientem.* Scilic. populum ; quæ mihi lectio majori auctoritate niti quidem videtur, quam *patientiam.*

3. *Carbo.* C. Graccho amicissimus. — *Sepultæ.* Morte Ti. Gracchi, sed vivebat adhuc Caius. — *Africanum.* Qui propter hanc de Graccho sententiam proxima nocte in cubiculo suo fuit interemptus. — *Sororem.* Semproniam.

4. *Clarissimi viri.* Uterque Med. Ultr. sec. ed. Mog. *gravissimi.* — *Incrementi.* Multum auxisset populi furorem sua auctoritate Scipio, si Gracchum impie cæsum dixisset.

5. *Jure.* Vide Flor. III, 14.

6. *Concio .... succlamasset.* MS. Perizonii et ed. vet. *continuo.... instincti..... succlamassent.* Copes. pro *tribunitio, tribunitia*, quod Perizon. præfert. Sed vid. VI, 5, 7 ; III, 8, 3.

7. *Noverca.* Quod non magis amarent patriam, quam privigni novercam : vel quod non amplius veri cives essent, ut qui in hostium fuissent potestate, et Scipionis armis in libertatem vindicati.

Digitized by Google

est : orto deinde murmure ; *Non efficietis, ut solutos verear, quos alligatos*[1] *adduxi.* Universus populus iterum ab uno contumeliose correptus erat, (quantus est honos virtutis!) et tacuit actutum[2]; recens victoria ipsius numantina, et patris[3] macedonica, devictæque Carthaginis avita spolia, ac duorum regum Syphacis et Persæ ante triumphales currus catenæ, cervices tunc totius fori prementes, ora clauserunt; nec timori datum est silentium, sed quia beneficio Æmiliæ Corneliæque gentis multi metus urbis atque Italiæ finiti erant, plebs romana libertati[4] Scipionis libera non fuit.

4. Quapropter minus mirari debemus, quod amplissima Cn. Pompeii auctoritas toties cum libertate luctata est[5], nec sine magna laude : quoniam omnis generis hominum licentiæ ludibrio esse quieta fronte tulit. Cn. Piso, quum Manilium Crispum[6] reum ageret, eumque evidenter no-

1. *Alligatos.* Multos e plebe, qui apud Carthaginienses et Numantinos captivi fuerant, Scipio liberaverat.

2. *Tacuit actutum.* Alii cum ed. vet. *et tacuit*, alii *et actuum.* Ven. *et actum tacuit.* Unde Torren. conjecit Valerium scripsisse *et actutum tacuit.*

3. *Patris.* Æmilii Pauli. — *Avita.* Sic ex Cauch. legit Pighius. Ceteri omnes *habita spolia.* Scribitur autem in MSS. *hita* unde Torren. conjecit *inclyta.* Præfert tamen *avita.* Val. ascendit per gradus; commemorat primum victoriam *ipsius*, deinde *patris*, et tandem *avi.* De quo P. Afric. vid. supra. — *Syphacis.* Syphacem avus ejus adoptivus, Africanus superior, ceperat. — *Catenæ.... clauserunt.* Ita quatuordecim MSS. Aldus *catenatæ.* MS. Periz. ed. Mog. et vet. *prementes ora* omittunt. Camp. Daniel. cum Pighio et aliis dederunt *catenatæ ..... fori frementis.* At nostra lectio bene habet : catenæ enim illorum regum, tunc veluti cervicibus populi injectæ effecerunt, ut omnes non secus ac vincti obmutescerent.

4. *Libertati.* Vorstius legit : *libertatis :* in cod. Reg. 5839, bonæ notæ, fol. 38 verso, est *libertate.* Τῇ παῤῥησίᾳ et libertati Scipionis populus cessit; eaque quasi captiva habita fuit, ne repugnaret.

5. *Luctata est.* An. U. C. 696 circiter.

6. *Crispum.* M. Varro in commentariis suis a T. Annio Milone in adulterio deprehensum fuisse scribit, nec prius dimissum, quam grandi pecunia mulctatum lorisque cæsum. Quod Ciceronis quoque testimonio confirmatur, qui dicit, bis ad judicum subsellia tractum extrema fortuna stetisse, et ita deces-

Digitized by Google

centem gratia Pompeii videret eripi, juvenili impetu ac studio accusationis provectus, multa et gravia crimina præpotenti defensori objecit. Interrogatus deinde ab eo, *cur se quoque non accusaret:* « Da, inquit, prædes[1] reipublicæ, te, si postulatus fueris, civile bellum non excitaturum : etiam de tuo prius, quam de Manilii capite in consilium judices[2] mittam. » Ita eodem judicio duos sustinuit reos : accusatione Manilium, libertate Pompeium; et eorum alterum lege peregit[3], alterum professione, qua solum poterat.

5. Quid ergo? libertas sine Catone? Non magis, quam Cato sine libertate[4]; nam quum in senatorem nocentem[5] et infamem, reum, judex sedisset, tabellæque Cn. Pompeii laudationem ejus continentes prolatæ essent, procul dubio efficaces futuræ pro noxio, submovit eas e quæstione, legem recitando, qua cautum erat, *ne senatoribus tali auxilio uti liceret.* Huic facto persona admirationem ademit; nam quæ in alio audacia videretur, in Catone fiducia cognoscitur.

6. Cn. Lentulus Marcellinus consul[6], quum in concio-

sisse, ut non ipse innocens, sed judices pejerasse existimarentur.

1. *Prædes.* Varrone et Festo testibus, *præs* vocatur, qui se obligat populo interrogatusque a magistratu : *si præs sit?* respondet : *Præs!* — *Postulatus fueris.* Criminis in judicio accusatus.

2. *Judices.* Multi MSS. *in consilium judicium* vel *judicum mittam*, ut videri possit *judicium* hic pro judicibus dici, ut VIII, 3, 1. Verum nihil opus est.

3. *Peregit.* Convicit, atque, ut damnaretur, effecit. — *Professione.* Quod libere profiteretur, se, nisi vereretur, ne Pompeius civile bellum excitaret, ipsum quoque postulaturum, et in jus tracturum.

4. *Libertate.* An. U. 702. Dio XL. Plut. in Pompeio et Catone.

5. *Nocentem.* Scaurum forsan, qui a tribuno pl. accusabatur, quod pecuniam accepisset a Jugurtha, quum princeps legationis esset, vel quod Sardos expilasset. Tunc Cato princeps judicii erat. Pompeius autem proconsul, quum venire non posset in urbem, tabellas misit, quæ Scauri laudes continebant; at illas Cato, quod ex absentium laude auxilium petere lex vetabat, submovit.

6. *Consul.* An. U. 697. Dionys. XXXIX. Factum, quum triumviri reipubl. constituti Pompeius, Cæsar

Digitized by Google

ne de Magni Pompeii nimia potentia quereretur, assensusque ei clara voce universus populus esset : *Acclamate*, inquit, *Quirites, acclamate, dum licet*[1]; *jam enim vobis impune facere non licebit*. Pulsata[2] est tunc eximii civis potentia, hinc invidiosa querela, hinc lamentatione miserabili.

7. Cui candida fascia crus alligatum habenti Favonius[3], *Non refert*, inquit, *qua in parte corporis sit diadema*, exigui panni cavillatione regias ei vires[4] exprobrans : at is neutra in parte mutato vultu, utrumque cavit, ne aut hilari fronte libenter agnoscere potentiam, aut tristi iram profiteri videretur ; eaque patientia inferioris etiam generis et fortunæ hominibus aditum adversus se dedit : e quorum turba duos retulisse abunde erit.

8. Helvius Mancia formianus[5], libertini filius, ultimæ senectutis, L. Libonem apud censores accusabat; in quo certamine quum Pompeius Magnus humilitatem ei ætatemque exprobrans, *ab inferis illum ad accusandum remissum* dixisset : « Non mentiris, inquit, Pompei; venio enim ab inferis : in L. Libonem[6] accusator venio ; sed

et Crassus libertati mortem minitarentur.

1. *Licet*. Antequam perpetuum imperium Pompeius occuparit, quo facto, ne hiscere quidem audebitis.

2. *Pulsata est*. Accusata, reprehensa.

3. *Favonius*. Anno Urbis 699, circiter. Ammianus, XVII, 11. — *Diadema*. Quoniam *fascia candida*, qua tum alligatum crus Pompeius habuit, *diadema* vocatur, apparet vel hinc, diadema, insigne regium, fasciam candidam interdum fuisse, qua frontem obligarent. Vid. Lips. not. ad l. VI. Tacit.

4. *Ei vires*. Sic recte Torren. edidit pro *ejus vires*. Multi MSS. cum ed. vet. et Mog. *ejus vires*, quod ortum ex *ei vires*.

5. *Formianus*. An. U. 698, 672, 676, 671. Vid. Liv. LXXXIX, sq.; Appian. I; Zonaras. Et in eo Tiberio gratificari videtur, quod libere in Pompeium dicta recitat.

6. *In L. Libonem*. Sic uterque Brand. duo Gronovii libri, Periz. Copes. Lips. et permulti alii. Sic legit quoque Joh. Sarisburensis. Quidam, *M. Libonem accusator venio*. Nihili ergo est, quod editiones recentiores, Torreniana excepta, præ se ferunt *L. Libonem accusaturus*. Hic autem Libo erat amicus Pompeii. Vide Ciceronis epistol. I, ad Lentulum.

Digitized by Google

dum illic moror, vidi cruentum Cn. Domitium Ahenobarbum[1] deflentem, quod summo genere natus, integerrimæ vitæ, amantissimus patriæ, in ipso juventutis flore, tuo jussu esset occisus : vidi pari claritate conspicuum Brutum[2] ferro laceratum, querentem id sibi prius perfidia, deinde etiam crudelitate tua accidisse : vidi Cn. Carbonem[3] acerrimum pueritiæ tuæ, bonorumque patris tui defensorem, in tertio consulatu catenis, quas tu ei injici jusseras, vinctum, obtestantem te, adversus omne fas atque nefas, quum in summo esset imperio, a te equite romano trucidatum : vidi eodem habitu et quiritatu[4] prætorium virum Perpernam sævitiam tuam exsecrantem ; omnesque eos una voce indignantes, quod indemnati sub te adolescentulo carnifice occidissent. » Obducta jam vetustis cicatricibus bellorum civilium vastissima vulnera, municipali homini[5], servitutem paternam redolenti, effrenatæ temeritatis, intolerabilis spiritus, impune revocare licuit : itaque eo tempore et fortissimum erat Cn. Pompeio maledicere, et tutissimum; sed non patitur nos hoc longiore querela prosequi personæ insequentis aliquanto sors humilior.

9. Diphilus tragœdus, quum Apollinaribus ludis inter

1. *Ahenobarbum.* Pompeius in Africa Domitium proscriptum, et Hiarbam, regem Numidiæ, bellum contra Syllam molientes oppressit, et paulo post occidit.

2. *Brutum.* Brutus, qui Galliam Cisalpinam obtinuit, quum a Pompeio obsideretur Mutinæ, salutem suam et militum Pompeii fidei commiserat; qui deinde dimissus, quum ad castellum quoddam juxta Padum se contulisset, jussu Pompeii a Geminio interfectus est. Hic fuit ejus Bruti pater, qui interemit Cæsarem.

3. *Carbonem.* Vide supra V, 3, 5, et Plut. in vit. Pomp. — *Consulatu.* Pigh. *consulatu suo*, sed *suo* Torrenius auctoritate MSS. expunxit. — *Fas atque nefas.* Sic omnes libri. Frustra ergo Perizonius et Torrenius malint : *fas ac jus*, vel *jus ac fas.*

4. *Quiritatu.* Lamentatione. — *Perpernam.* Anno Urbis 681. Vid. Vellei. et Liv. XCVI. Perperna cum Sertorio se conjunxerat. Unus autem e conjuratis contra horum vitam, Antonius, Sertorium in convivio gladio transfixit; quo facto Perperna facilius a Pompeio superatus et necatus est.

5. *Municipali homini.* Nam Man-

Digitized by Google

actum ad eum versum venisset[1], in quo hæc sententia continetur, *miseria nostra magnus est*, directis in Pompeium Magnum manibus, pronuntiavit; revocatusque aliquoties a populo, sine ulla cunctatione, nimiæ illum et intolerabilis potentiæ reum gestu perseveranti[2] egit: eadem petulantia usus est in ea quoque parte: *virtutem istam, veniet tempus, quum graviter gemas.*

10. M. etiam Castricii libertate inflammatus animus[3]; qui quum Placentiæ magistratum gereret, Cn. Carbone consule jubente decretum fieri, quo sibi obsides a Placentinis[4] darentur, nec summo ejus imperio obtemperavit, nec maximis viribus cessit: atque etiam dicenti, *multos se gladios habere*, respondit, *et ego annos*[5]. Obstupuerunt tot legiones, tam robustas senectutis reliquias intuentes: Carbonis quoque ira, quia materiam sæviendi perquam exiguam habebat, parvulum vitæ tempus ablatura, in se ipsa collapsa est.

cia non Romanus, sed Formiis, Campaniæ municipio oriundus erat.

1. *Venisset.* An. U. 694. Cicer. ad Att. II, ep. 19. Ex hac epistola patet etiam: Pompeium tum Capuæ fuisse; non igitur Diphilus directis in eum manibus hoc pronuntiare poterat. Vid. Lips. var. lect. I, 11. Apollinares ludi instituti invento Martii vatis carmine, qui Apollini ludos vovendos censebat, quibus summus prætor præesset. Inspectis libris Sibyll. Patres illos decreverunt. Quum primo celebrarentur, excitatam legimus plebem repentino hostis adventu. Sed Romani occurrentes mox terga eum vertere coegerunt. Hos ludos populus spectare solebat laureatus, stipe data pro cujusque facultatibus, epulabantur in propatulo apertis januis; matronæ supplicabant. Sunt, qui pestis gratia celebratos affirment, alii vero victoriæ causa. Quum antea incerto die fierent, tulit legem Licinius Varus, ut III Non. Quint. his ludis foret status, qui deinde perpetuo sacer habitus est. Vid. Liv. XXVII, 23; XXV, 12. — *Magnum.* Est in ant. editt. et undecim MSS. Torrenii. Pighius omisit.

2. *Perseveranti.* MSS. decem cum omnibus ante Pigh. impressis, *perseveranter.*

3. *Animus.* An. U. 669. Livius, LXXXIV.

4. *Placentinis.* Nam partes Marii fuerant sequuti.

5. *Annos.* Idem Solon respondisse fertur Pisistrato, quum ex eo quæreret: qua tandem spe fretus sibi tam audacter resisteret? Senectute, respondit Solon. Vide Cic. in Catone.

Digitized by Google

11. Jam Ser. Galbæ temeritatis[1] plena postulatio, qui Divum Julium consummatis victoriis in foro jus dicentem, in hunc modum interpellare sustinuit: « C. Juli Cæsar, pro Cn. Pompeio Magno, quondam genero tuo, in tertio ejus consulatu pecuniam spopondi, quo nomine nunc appellor. Quid agam? dependam? » Palam atque aperte ei bonorum Pompeii venditionem exprobrando, ut a tribunali submoveretur, meruerat: sed illud ipsa mansuetudine mitius pectus, æs alienum Pompeii ex suo fisco solvi jussit.

12. A. Cascellius[2], vir juris civilis scientia clarus, quam periculose contumàx! nullius enim aut gratia aut auctoritate compelli potuit, ut de aliqua earum rerum, quas triumviri dederant[3], formulam componeret; hoc animi judicio victoriæ eorum[4] beneficia extra omnem ordinem legum ponens. Idem quum multa de temporibus[5] Cæsaris liberius

1. *Temeritatis.* Quam libertatem in Pompeium probat, in Cæs. *temeritatem* vocat. An. U. 708 circiter.

2. *Cascellius.* An. U. 740 circiter; vide infra VIII, 12, 1. Cæsellius JCtus beneficia quædam acceperat a triumviris, Octav. Ant. et Lep. Hos voluisse, ut divenditis proscriptorum bonis, eorum aliquam formulam ederet, nonnulli putant. Quod facere recusavit, existimans, cuncta illorum beneficia privata longe remota esse a legum judicio. Idem quum libere nimis de misera illa tempestate et principum crudelitate loqueretur, quod, re faceret, admoneretur a suis; respondit: « duo esse, quæ magnam dicendi præstarent audaciam, senectutem et orbitatem. » Similiter Considius apud Plutarc. in Cæsare. Cæsellii meminit etiam Horat. in Art. Poet. 369-72.

3. *Dederant.* Constituerant. — *Formulam.* Qua vituperanda probaret. Ille vero beneficia non habuit pro legibus, ut propter illa quicquam inhonesti faceret.

4. *Victoriæ eorum.* Sic longe plurimi MSS. et ed. Mog. aliique. Pighius dederat *victoriarum*, omisso *eorum*. Plerique legunt *universa victoriæ eorum beneficia*. Quod placet Torren. Kappioque; magnam enim emphasin habet, *universa* beneficia victoriæ eorum extra *omnem* legum ordinem ab ipso posita dici.

5. *Temporibus Cæsaris.* Ed. vet. *patribus*, omisso *Cæsaris*, unde Lips. conjicit *partibus*. *Cæsaris* in multis MSS. omittitur, qui tamen retinent *temporibus*. Si *temporibus* legas, intelligenda sunt tempora triumvirorum: si *temporibus Cæsaris*, vel respicitur ad J. Cæsarem, vel, quod malit Kapp. ad Augustum;

Digitized by Google

loqueretur, amicique, ne id faceret, monerent: *duas res, quæ hominibus amarissimæ viderentur, magnam sibi licentiam præbere* respondit, *senectutem et orbitatem.*

QUÆ LIBERE DICTA AUT FACTA AB EXTERNIS.

1. Inserit se tantis viris mulier [1] alienigeni sanguinis, quæ a Philippo rege temulento immerenter damnata, *Provocarem ad Philippum*, inquit, *sed sobrium:* excussit crapulam oscitanti, ac præsentia animi ebrium [2] resipiscere, causaque diligentius inspecta justiorem sententiam ferre coegit: igitur æquitatem, quam impetrare non potuerat, extorsit; potius præsidium a libertate, quam ab innocentia, mutuata [3].

2. Jam illa non solum fortis, sed etiam urbana libertas. Senectutis ultimæ quædam, Syracusanis [4] omnibus Dionysii tyranni exitum, propter nimiam morum acerbitatem et intolerabilia onera, votis expetentibus, sola quotidie matutino tempore Deos, ut incolumis ac sibi superstes esset, orabat. Quod ubi is cognovit, non debitam sibi admiratus benevolentiam, arcessit eam, et, *quid ita hoc, aut quo suo merito faceret,* interrogavit; tum illa, « Certa est, inquit, ratio propositi mei: puella enim, quum gravem tyrannum haberemus, carere eo cupiebam; quo interfecto, aliquanto tetrior arcem occupavit; ejus quoque finiri dominationem magni æstimabam: tertium [5] te superioribus

nam hæc post tempora triumviratus dixisse videtur: si *patribus*, de senatu sermo est; unde apparet, Lipsii conjectura *partibus* non opus esse.

1. *Mulier.* Vid. Plut. apophth.

2. *Ebrium resipiscere.* Femina illa audacia sua ac præsentia animi effecit, ut Philippus justiorem sententiam ferret.

3. *Mutuata.* Nempe mulier. Sic recte Pigh. Uterque Brand. Copes. et septem Torrenii *mutuatum*, ut ad præsidium referatur.

4. *Syracusanis.* Ed. vet. cum omnibus aliis et tredecim MSS., *Syracusis*, quod non mutandum fuisse Torrenius censet.

5. *Tertium.* Tres tyranni fuisse videntur Gelo et uterque Dionys.

Digitized by Google

importuniorem habere cœpimus rectorem; itaque [timens[1]] ne, si tu fueris absumptus, deterior in locum tuum succedat, caput meum pro tua salute devoveo. » Tam facetam audaciam Dionysius punire erubuit.

3. Inter has[2] et Theodorum cyrenæum quasi animosi spiritus conjugium esse potuit, virtute par, felicitate dissimile: is enim Lysimacho regi mortem sibi minitanti, *Enimvero*, inquit, *magnifica res tibi contigit, quia cantharidis*[3] *vim assequutus es;* quumque hoc dicto accensus, cruci eum suffigi jussisset, *Terribilis hæc*, ait, *purpuratis sit tuis: mea quidem nihil interest, humine an sublime putrescam.*

CAPUT III.

De severitate Romanorum.

1. Populi romani. — 2. P. Mucii Scævolæ tribuni plebis. — 3. Senatus romani. — 4. M'. Curii Dentati cos. — 5. L. Domitii Ahenobarbi pr. — 6. M. Horatii Tergemini. — 7. Senatus romani in incestas. — 8. Cognatorum in veneficas. — 9. Egnatii Metelli. — 10. C. Sulpicii Galli. — 11. Q. Antistii Veteris. — 12. P. Sempronii Sophi.

De severitate Externorum.

1. Lacedæmoniorum. — 2. Atheniensium. — 3. Cambysis regis Persarum.

DE SEVERITATE ROMANORUM.

Armet se duritia pectus necesse est, dum horridæ ac tristis severitatis acta narrantur; ut omni mitiore cogita-

1. *Timens.* Timens abest in plerisque codicib. Animosius, judice Torrenio, responsum est, hac voce omissa: quia sic quod faciebat, non timori suo tribuebat, sed saluti patriæ, pro qua non dubitat caput suum devovere, sua morte ejus incolumitatem redimere a diis parata.

2. *Has.* Duas mulieres. Vid. Senecam de Tranquill. XIV; Cicer. Tusc. I, 43; V, 40. — *Conjugium.* Societas.

3. *Cantharidis.* Cantharis est musca viridis venenata (juxta alias vermis perexiguus arachnæ similis), cujus succus epotus mortem affert. Cic. ad div. IX, 21; Ovid. Ibis, V, 310.

Digitized by Google

tione seposita, rebus auditu asperis vacet: ita enim destrictæ[1] et inexorabiles vindictæ, et varia pœnarum genera in medium procurrent, utilia legum quidem munimenta; sed minime in placido et quieto paginarum numero reponenda.

1. M. Manlius[2], unde Gallos depulerat, inde ipse præcipitatus est, quia fortiter defensam libertatem nefarie opprimere conatus fuerat: cujus justæ ultionis nimirum hæc præfatio[3] fuit: *Manlius eras mihi, quum præcipites agebas Senones; postquam imitari*[4] *cœpisti, unus factus es ex Senonibus.* Hujus supplicio æternæ memoriæ nota inserta est: propter illum enim lege sanciri placuit, ne quis patricius in arce, aut Capitolio, habitaret; quia domum eo loci habuerat, ubi nunc ædem Monetæ[5] videmus. Par indignatio civitatis[6] adversus Sp. Cassium erupit: cui plus suspicio concupitæ dominationis nocuit, quam tres magnifici consulatus, ac duo speciosissimi triumphi profuerunt; senatus enim, populusque romanus, non contentus capitali eum supplicio afficere, interempto domum superjecit[7],

1. *Destrictæ.* Id est, violentæ, acres. Confer supra, II, 9, 6.

2. *Manlius.* An. U. 370. Plut. in Camill.; Livius, VI, 20; Gell. XVII, 21; Aurel. Vict. XXIV, 5. — *Depulerat.* De saxo Tarpeio. Quod plebi faveret, in affectati regni suspicionem sibi fune stam incurrit. Horrendo supplicio quum esset affectus, domus ejus diruta, bona publicata sunt.

3. *Præfatio.* Titulus supplicii.

4. *Imitari.* Pighius ex MSS. legit *mutari.* Sed *imitari* Torrenius unice verum censet. Cœperat enim *imitari Senones*, quum libertatem patriæ opprimere conabatur: poterat mutatus fuisse Manlius, desciscendo e pristina fortitudine, neque ideo populo factus fuisset unus ex Senonibus, id est, dignus judicatus qui de saxo præcipitaretur, ut nunc, quum hostilem erga patriam declarans animum *Senones imitatur.*

5. *Monetæ.* Juno *Moneta* dicta, quod ibi vox numinis audita esset, monentis adventare Gallos. Vide sup. I, 8, 3; Livius, XLII, 7; Ovid. Fast. VI, 183.

6. *Civitatis.* Hanc vocem omiserat Aldus, quem multi sequuti sunt: sed consentientibus MSS. servant plerique. — *Cassium. Viscellinum*, qui bis de Samnitibus triumpharat, de quo supr. V, 8, 3.

7. *Superjecit.* Non corpori ejus superinjectam esse intelligas, sed postquam interfectus fuisset, domum quoque dejectam. Sic enim cæteri auctores rem narrant.

Digitized by Google

ut penatium quoque strage puniretur; in solo autem ædem Telluris fecit: itaque quod prius domicilium impotentis[1] viri fuerat, nunc religiosæ severitatis monumentum est. Eadem ausum Sp. Melium[2] consimili exitu patria multavit; area vero domus ejus, quo justitia[3] supplicii notior ad posteros perveniret, *Æquimelii* appellationem traxit.

Quantum ergo odii adversus hostes libertatis insitum animis antiqui haberent, parietum ac tectorum, in quibus versati fuerant, ruinis testabantur[4]; ideoque et M. Flacci[5], et L. Saturnini, seditiosissimorum civium, corporibus trucidatis, penates ab imis fundamentis eruti sunt: cæterum Flacciana area, quum diu penatibus[6] vacua mansisset, a Q. Catulo cimbricis spoliis adornata est.

1. *Impotentis.* Quidam legunt *potentis*, alii *potentissimi;* librarii vero mutarunt, quod significationem vocis *impotentis* non erant assequuti. *Impotens* enim dicitur Manlius, ut pote qui sibi moderari et regnandi cupiditatem frenis cohibere non potuit, itaque sui ipsius non potens. Sic Livius decemvirorum dominatum *impotentem* vocat.

2. *Melium.* Vid. V, 3, 2.

3. *Justitia .... notior.* Sic plerique et optimi libri. Pighius ex codd. aliquot ediderat *justi supplicii notitia.* Cui lectioni nostram nullo modo postponendam putant Torren. et Kapp. — *Æquimelii.* Quod Melii domus solo æquata erat. Vid. Liv. IV, 16, qui scribit *Mælius* per *æ.*

4. *Testabantur.* Pighius et alii *testantur* ediderant; sed, MSS. et antiquis edd. probantibus, Torren. bene restituit *testabantur*, quod est concinnius.

5. *Flacci.* Flaccus consularis socius fuit furoris, quo correptus fuit C. Gracchus Saturninus, quem rabies armaverat, occiso competitore tribunatus Annio; per vim tribunus creatus est, nec minus violenter tribunatum gessit. Nimis favit Marianis militibus in dividendis africanis agris, et intercedentem Bæbium collegam facta per plebem lapidatione summovit. Libertinum quemdam subornavit, qui se Ti. Gracchi filium diceret. Vid. supr. Plures competitores e medio sustulit. Postremo quum Capitolium cepisset, vi dejectus inde, in fuga lapidibus et tegulis interfectus est. Catulus, qui una cum Mario Cimbros devicerat, post victoriam in area Flacciana tropæum statuit, et hostium spolia suspendit.

6. *Penatibus.* Torrenio hæc vox a sciolo addita esse videtur; quum Valerius significaverit non modo nullam domum in ea area fuisse exstructam, sed illam omni genere ædificii vacuam remansisse; dum Catulus porticum exstruxerit, quam cimbricis spoliis adornaret. In membranis Aldinis reperitur *pæne vacua,*

Digitized by Google

Viguit in nostra civitate Ti. et C. Gracchorum summa nobilitas, ac spes amplissima: sed quia statum civitatis conati erant convellere, insepulta cadavera jacuerunt; supremusque humanæ conditionis honos filiis Gracchi, et nepotibus[1] Africani defuit: quin etiam familiares eorum, ne quis reipublicæ inimicis amicus esse vellet, de robore[2] præcipitati sunt.

2. Idem sibi tam licere P. Mucius tribunus[3] plebis, quam senatui et populo romano credidit, qui omnes collegas suos, qui duce Sp. Cassio id egerant, ut magistratibus non subrogatis, communis libertas in dubium vocaretur, vivos cremavit: nihil profecto hac severitate fidentius; unus enim tribunus eam pœnam novem[4] collegis inferre ausus est, quam novem tribuni ab uno collega exigere perhorruissent.

3. Libertatis adhuc custos et vindex severitas[5]; sed pro dignitate etiam[6] ac pro disciplina æque gravis: M. enim Claudium[7] senatus Corsis, quia turpem cum his pacem fecerat, dedidit; quem ab hostibus non acceptum, in

unde Gronov. conjicit *pœnæ vacua*, id est, *pœnæ* nomine, quod non dedignatur Torrenius.

1. *Nepotibus*. Ex Scipionis Africani filia Cornelia.

2. *Robore*. Robur, ut tradit Festus, in carcere dicitur is locus, quo præcipitantur malefici. « Per aliquot dies in carcere servati; inde postea deprompti, præcipitabantur. » Lipsio robur potius supplicii, quam custodiæ locus fuisse videtur. Vide Sallustium in Catilina LV; Tacit. Ann. IV, 29; Livium, XXXIX.

3. *Tribunus plebis*. An. U. 268. Vid. Zonaras. Quanta fuerit tribunorum pl. potestas, hoc exemplum testatur. — *Egerant*. Comitia enim suasore Sp. Cassio impedire nitebantur, ne consules cæterique magistratus subrogarentur, quo facilius respublica opprimeretur.

4. *Novem collegis*. Errat Valerius, nondum enim erant decem tribuni. Vid. Liv. II, 41 et 58. Solet auctor sæpius numerum sui temporis, vel qui florente republica viguit, antiquis temporibus tribuere.

5. *Severitas*. An. U. 517. Ammian. Marc. XIV, 11.

6. *Etiam ac pro*. Sic ex MSS. duodecim et omnibus ante Pighium editt. Torrenius restituit. *Pro* tamen ed. vet. et aliquot MSS. omittunt. Pighius, Coler. et Vorstius dederant *ac*, omisso *etiam* et *pro*.

7. *Claudium*. Primo punico bello.

Digitized by Google

publica custodia necari jussit. Semel læsa majestate imperii, quot modis iræ pertinax vindex! factum ejus rescidit, libertatem ademit, spiritum exstinxit, corpus contumelia carceris et detestanda gemoniarum scalarum[1] nota fœdavit; atque hic quidem senatus animadversionem meruerat. Cn. autem Cornelius Scipio[2], Hispalli filius, prius quam mereri posset, expertus est; nam quum ei Hispania provincia sorte obvenisset, ne illuc iret, decrevit; adjecta causa, quod recte facere nesciret; itaque Cornelius propter vitæ inhonestum actum[3], sine ullo provinciali ministerio, tantum non repetundarum lege damnatus est. Ne in C. quidem Vettieno, qui sinistræ[4] manus digitos, ne bello italico militaret, absciderat, severitas senatus cessavit; publicatis enim bonis ejus, ipsum æternis[5] vinculis puniendum censuit, effecitque, ut, quem honeste spiritum profundere in acie noluerat, turpiter in catenis consumeret.

4. Id factum imitatus M'. Curius[6] consul, quum delectum subito edicere coactus esset, et juniorum nemo respondisset, conjectis in sortem omnibus tribubus, *Polliæ*,

1. *Scalarum.* Scalæ, seu gradus gemoniæ, locus præceps, quo damnatorum corpora unco trahebantur. Vid. Plin. VIII, 40; Suet. in morte Tiber. Impacto gutturi unco illuc interdum producti; interdum ibi pendentium crura fracta et damnati subjecto igne exstinguebantur. De quibus Juvenalis, Sat. 1, 156:

Qui stantes ardent, qui fixo gutture fumant.

2. *Scipio.* Anno Urbis 644.

3. *Vitæ inhonestum actum.* Sic Torren. auctoritate plurimorum MSS. et omnium editt. revocavit, quum Pigh. edidisset *vitam inhoneste actam.* Lectio vero Torrenii multum præstat. Nam sicuti *agere vitam*, sic et *actus vitæ* recte dici potest, quam vocem sæpissime Valerius adhibet. Vid. VII, 1, 1. — *Tantum non.* Parum abfuit, quin. Repetundarum reus agi non potuit, quum in provinciam non iret. A. U. 663.

4. *Sinistræ.* Hi *murci* dicti sunt, unde factum, ut et hominem ignavum et vecordem *murcidum* appellarent. August. de C. D. IV, 16.

5. *Æternis.* Alioquin jure civili nulli fuere perpetui carceres.

6. *Curius.* An. U. 478. Liv. Epit. XIV; Non. Marcell. sub voce *Nebulones.* — *Subito edicere.* Nonnulli legunt *subitum educere*, sed *edicere* rectius est: sic apud Liv. *edicere conventum*, *edicere diem.* — *Sortem.* Id est, in urnam ad sortiendum. Singularum tribuum nomina æqualibus tabellis aut chartis inscripta

Digitized by Google

quæ proxima exierat, *primum nomen urna extractum citari* jussit; neque eo respondente, bona adolescentis hastæ subjecit: quod ut illi nuntiatum est, ad consulis tribunal cucurrit, collegiumque tribunorum appellavit: tunc M'. Curius præfatus, *non opus esse eo cive reipublicæ, qui parere nesciret*, et bona ejus, et ipsum vendidit.

5. Æque tenax propositi L. Domitius [1]; nam quum Siciliam prætor [2] regeret, et ad eum eximiæ magnitudinis aper allatus esset, *adduci ad se pastorem, cujus manu occisus erat*, jussit; interrogatumque, *qui* [3] *eam bestiam confecisset*, postquam comperit, usum venabulo, cruci suffixit: quia ipse ad exturbanda latrocinia, quibus provincia vastabatur, *ne quis telum haberet*, edixerat [4]. Hoc aliquis in fine [5] severitatis et sævitiæ ponendum dixerit; disputatione enim utroque flecti potest: cæterum ratio publici imperii prætorem nimis asperum existimari non patitur.

6. Sic se in viris puniendis severitas exercuit [6]; sed ne in feminis quidem supplicio afficiendis segniorem se egit [7]. Horatius unus [8] prælio trium Curiatiorum, conditione pu-

illuc conjiciebantur. — *Omnibus.* XXXV. Vide supra, de Curio, IV, 3, 5. — *Proxima.* Malit Lipsius *prima;* sed *prima* Pighio non placet, quia altero verbo post *primum* sequitur.

1. *Domitius.* A. U. 655. Cicer. Verr. V, 3.

2. *Prætor.* Pigh. contra omnes libros *proprætor* edidit; Domitius a Cicerone quoque in Verr. V, 3, *prætor* appellatur; neque Pighius ullum satis idoneum protulit argumentum, quo liqueat hunc etiamnunc prætorem Siciliæ non præfuisse.

3. *Qui.* Sic MSS. plerique. Alii *quo telo*, alii, *quo;* alii, *quomodo*, alii, *qua vi*, quod Torren. præfert. Verum *qui* est in loco Ciceronis quem Valerius ante oculos habuisse videtur.

4. *Edixerat.* Cicero ait, post decessum Aquilini omnia instituta ac edicta prætorum fuisse ejusmodi: « *ne quis cum telo servus esset.* »

5. *Fine.* In confinio sævitiæ, id est, ut a sævitia parum absit.

6. *Exercuit.* Quæ non sine molestia et labore hæc omnia rigidæ suæ constantiæ præbuit exempla; et huc auctor respicit, quum *non segniorem illam se egisse* in feminis supplicio afficiendis commemorat.

7. *Egit.* An. U. 87. Liv. I, 26; Dionys. III.

8. *Unus prælio.* Sic ex MSS. edidit Pigh. sed non dicit e quibus.

Digitized by Google

gnæ omnium Albanorum victor, quum ex illa clarissima acie domum repetens, sororem suam virginem Curiatii sponsi mortem profusius, quam illa ætas debebat, flentem vidisset, gladio, quo patriæ rem bene gesserat, interemit; parum pudicas ratus lacrimas, quæ præpropero amori dabantur: quem hoc nomine reum[1] apud populum actum pater defendit. Ita paulo propensior animus puellæ ad memoriam futuri viri, et fratrem ferocem vindicem, et vindictæ tam rigidum assensorem patrem habuit.

7. Consimili severitate senatus postea usus[2], Sp. Postumio Albino et Q. Marcio Philippo consulibus mandavit, ut de his, quæ sacris Bacchanalium inceste usæ fuerant, inquirerent; a quibus quum multæ essent damnatæ, in omnes cognatas intra domos animadverterunt; lateque patens opprobrii deformitas, severitate supplicii emendata est; quia quantum ruboris civitati nostræ mulieres turpiter se gerendo incusserant, tantum laudis graviter punitæ attulerunt.

MSS. quatuordecim Torrenii habent *prius*. Quædam edd. *post prælium*, aliæ *post prælio*. Sed *unus* non improbat Torrenius, quod videtur hic esse acumen Valerii *trium* et deinde *omnium* opponentis.

1. *Reum*. Parum abfuit, quin tristissimo supplicio verberatus et suspensus necaretur. Sed pater filiam jure cæsam judicans, oravit, ne se omnibus liberis facerent orbum. Deinde quibusdam piacularibus sacrificiis factis Horatius servatus est. Et re vera nimia fuit et immanis Horatii ferocia. Quis enim humanitatis sensu non exutus, tenellas sororis lacrimas, easque de sponso necato, cruento ferro punivisset? Sed ut raro mortales medium tenuere, sic inter severitatem et mollitiem. Vid. Liv. Nost. T. 1, pag. 81.

2. *Usus*. An. U. 567. Livius, l. XXXIX, c. 18. Mulieres damnatæ aut cognatis, aut in quorum potestate essent, traditæ sunt, ut ipsi privatim animadverterent in eas. Si nemo erat idoneus supplicii exactor, in publico animadvertebatur. — *Inceste usæ*. Sic recte reposuit Kappius, auctoritate optimarum edd. nec aliter legisse videntur MSS. in quibus est: *incestæ usæ* vel *incestæ visæ;* nam in MSS. diphthongi rarissime occurrunt, et credibile est in iis MSS. fuisse *inceste* quod male in *incestæ* mutarunt. *Inceste* vero est adverbium in hoc Cicer. loco pro Cœlio, 14: *Ut ea tu inceste uterere*, qui nostræ quoque lectioni patrocinatur.

Digitized by Google

8. Publicia[1] autem, quæ Postumium Albinum consulem; item Licinia, quæ Claudium Asellum, viros suos, veneno necaverant, propinquorum decreto strangulatæ sunt : non enim putaverunt severissimi viri, in tam evidenti scelere longum publicæ quæstionis tempus exspetandum; itaque quarum innocentium defensores fuissent, sontium maturi vindices exstiterunt.

9. Magno scelere horum severitas ad exigendam vindictam concitata est. Egnatii autem Metelli longe minori de causa[2], qui uxorem, quod vinum bibisset[3], fuste percussam interemit; idque factum non accusatore tantum, sed etiam reprehensore caruit; unoquoque existimante, optimo illam exemplo violatæ sobrietatis pœnas pependisse; et sane quæcumque femina vini usum immoderate appetit, omnibus et virtutibus januam claudit, et delictis aperit.

10. Horridum C. quoque Sulpicii Galli martiale supercilium[4]; nam uxorem dimisit, quod eam capite aperto foris versatam cognoverat; abscissa[5] sententia, sed tamen aliqua ratione munita : « Lex enim, inquit, tibi meos tantum præfinit oculos, quibus formam tuam approbes; his decoris instrumenta compara; his esto speciosa; horum

1. *Publicia.* An. U. 599. Livius, XLVIII; supr. II, 5, 3.

2. *Causa.* Plinius, XIV, 13; Tertull. Apologet. c. 6.

3. *Bibisset.* Gellius refert, non minus punitas esse mulieres a judicibus, qui vino usæ essent (olim enim vini usu romanæ feminæ interdictæ erant), quam si adulterium commisissent. Vid. supr. — *Fuste percussam.* Sic septem Torrenii MSS. et multæ vett. edd. Heinsius tamen legit *fusti percussam.* Aliquot MSS. et edd. *furtim percussam,* ut furtim ad *bibisset* referatur. Alibi *fustim percussam :* sed quoniam cæteri scriptores mulieribus apud Romanos usu vini omnino interdictum fuisse tradunt, *furtim* ab errore librariorum ortum esse Torren. putat. *Fuste* vero similiter usurpatur apud Ambust. I: *mulier matrem fuste percussam interemisse.*

4. *Supercilium.* Ponitur in auctoribus compluribus pro severitate.

5. *Abscissa.* Brevis, dura, rigida: nam res duræ uno ictu abscinduntur.

Digitized by Google

te certiori crede notitiæ; ulterior tui conspectus supervacua irritatione arcessitus, in suspicione et crimine hæreat necesse est. »

11. Nec aliter sensit Q. Antistius Vetus repudiando uxorem, quod illam in publico cum quadam libertina vulgari secreto loquentem viderat : nam, ut ita dicam, incunabulis[1] et nutrimentis culpæ, non ipsa commotus culpa, citeriorem delicto præbuit ultionem, ut potius caveret injuriam, quam vindicaret.

12. Jungendus est his P. Sempronius Sophus, qui conjugem repudii nota affecit, nihil aliud quam se ignorante ludos ausam spectare[2]. Ergo dum sic olim feminis occurritur, mens earum a delictis aberat.

DE SEVERITATE EXTERNORUM.

1. Cæterum, etsi romanæ severitatis exemplis totus terrarum orbis instrui potest, tamen externa summatim cognoscere fastidio non sit[3]. Lacedæmonii *libros Archilochi*[4] *e civitate sua exportari* jusserunt, quod eorum parum verecundam ac pudicam lectionem arbitrabantur; noluerunt enim ea liberorum suorum animos imbui, ne plus moribus noceret, quam ingeniis prodesset : itaque maximum poetam, aut certe summo[5] proximum, quia domum

1. *Incunabulis.* Primis originibus et nutrimentis. — *Citeriorem.* Ultus est delictum, antequam committeretur. Pigh. notavit quosdam MSS. habere *citiorem;* sed vid. III, 8, ext. 1, VIII, 15, 1. Perizonius pro *præbuit* malit *prætulit* eodem sensu. Sic *prætulit diem*, Liv. XXXIX, 5.

2. *Spectare.* Ludos scenicos et gladiatores olim feminis spectare erat licitum. At quod per magistratum, non per maritum licuit.

3. *Sit.* Restituit Torren. jubentibus omnibus MSS. quum Pighius edidisset *erit.*

4. *Archilochi.* Vid. Plut. apophth., qui refert eum cum libris ejectum republ., quod scripsisset : *melius esse arma abjicere, quam mori.* De Archilocho conf. Vellei. I, 5, 2. Cicero, II, de Fin. eum in præstantissimis poetis numerat.

5. *Summo.* Homero. — *Domum.* Scil. *Lycambæ,* qui Archilocho filiam desponderat, postea autem alii collocarat. Qua injuria lacessitus Ar-

Digitized by Google

sibi invisam obscœnis maledictis laceraverat, carminum exsilio multarunt.

2. Athenienses autem Timagoram[1], inter officium salutationis Darium regem more gentis illius adulatum[2], capitali supplicio affecerunt; unius civis humilibus blanditiis totius urbis suæ decus persicæ dominationi submissum graviter ferentes.

3. Jam Cambyses[3] inusitatæ severitatis, qui *mali cujusdam judicis ex corpore pellem detractam, sellæ intendi, in eaque filium ejus judicaturum considere* jussit: cæterum et rex, et barbarus, atroci ac nova pœna judicis, ne quis postea corrumpi judex posset, providit.

chilochus carmine iambico sic in eum est invectus, ut cum filiabus præ dolore vitam laqueo finiret. Hinc Horat. de Arte poetica, *Archilochum*, inquit, *proprio rabiès armavit iambo.* Vid. Cœlii Rhodigin. lect. antiq. VI, 36.

1. *Timagoram.* Vid. Plut. in Artaxerxe.

2. *Illius adulatum.* Quod illi προσκυνεῖν vocant. Vid. Nepot. IX, 3. Salmasius legendum censet *adoratum;* sed malit Vorstius, ut supra, IV, 7, ext. 2, *adulata*, ita hic *adulatum* retinere, tum propter MSS. et edd. consensum, tum quod ipsum quoque *adulari* de tali re usurpatum reperitur. Liv. IX, 18, *desideratas humi jacentium adulationes.*

3. *Cambyses.* Vid. Herodot. III; Lucan. X. — *Severitatis.* Immo potius crudelitatis. Quid fecerit fratri Mergidi ejusque uxori, quid Præxaspidi, constat. — *Judicis.* Sisamnis, cujus filius Ottanes. — *Intendi.* Exquisite pro circumdari.

Digitized by Google

CAPUT IV.

De graviter dictis aut factis a Romanis.

1. T. Manlio Torquato. — 2. P. Scipione AEmiliano. — 3. C. Popilio Lænate. — 4. P. Rutilio Rufo. — 5. M. Junio Bruto procos.

De graviter dictis aut factis ab Externis.

1. Cinniniensi populo. — 2. Socrate atheniensi. — 3. Alexandro Magno. — 4. Lacedæmoniis. — 5. Pædareto spartano.

DE GRAVITER DICTIS AUT FACTIS A ROMANIS.

Magnam et bonam laudis partem in claris viris etiam illa vindicant, quæ aut ab his graviter dicta, aut facta pertinax memoria viribus æternis comprehendit: quorum ex abundanti copia, nec parca nimis, nec rursus avida manu, quod magis desiderio satisfaciat, quam satietati abundet, hauriamus.

1. Civitate nostra cannensi clade perculsa[1], quum admodum tenui filo suspensa reipublicæ salus ex sociorum fide penderet, ut eorum animi ad imperium romanum tuendum constantiores essent, majori parte senatus *principes Latinorum in ordinem suum sublegi* placebat; Annius[2] autem campanus etiam consulem alterum Capuæ creari debere asseverabat: sic contusus et æger romani imperii spiritus erat. Tunc Manlius Torquatus, filius[3] ejus qui Latinos apud Veserim inclyta pugna fuderat, quam poterat

1. *Perculsa.* An. U. 537. Liv. XXIII, 6; coll. c. 22, et VIII, 5. — *Sociorum.* Nam præter fidum Hieronem paucissimi tantum Italorum in societate manserunt.

2. *Annius.* En iterum ἀνιςοφησίαν! Nam L. Annium Setinum non campanum, sed latinum fuisse, neque post pugnam cannensem, sed diu ante eam vixisse, e Livio evidenter apparet.

3. *Filius.* Non potuit ejus filius esse, qui CXX et amplius post eum vixit. — *Veserim.* Veseris oppid. et

Digitized by Google

clara voce denuntiavit, *si quis sociorum inter patres conscriptos sententiam dicere ausus esset, continuo eum se interempturum.* Hæ unius minæ, et Romanorum languentibus animis calorem pristinum reddiderunt, et Italiam ad jus civitatis nobiscum exæquandum consurgere passæ non sunt: namque ut patris armis, ita verbis filii fracta cessit.

Par illius[1] quoque Manlii gravitas, cui quum consulatus omnium consensu deferretur, eumque sub excusatione[2] adversæ valetudinis oculorum recusaret, instantibus cunctis, *Alium*, inquit, *Quirites, quærite, ad quem hunc honorem transferatis; nam si me gerere eum coegeritis, nec ego mores vestros ferre, nec vos meum imperium perpeti poteritis.* Si privati tam ponderosa vox, quam graves faces consulis exstitissent!

2. Nihilo segnior Scipionis Æmiliani aut in curia, aut in concione gravitas[3]: qui quum haberet consortem censuræ Mummium, ut nobilem, ita enervis[4] vitæ, pro rostris dixit, *se ex majestate reipublicæ omnia gesturum, si sibi cives vel dedissent collegam, vel non dedissent.*

Idem, quum Ser. Sulpicius Galba et Aurelius Cotta[5] consules in senatu contenderent, uter adversus Viriathum in

flumen Campaniæ. Vid. Liv. VIII, 8. — *Sociorum.* Livius loqui eum jubet: « sive Romanus, sive peregrinus fuerit. » Multi quidem habebant jus civitatis, sed non quale ipsi romani cives. Vid. infra, IX, 10, 1.

1. *Par illius.* Constat e Livio, XXVI, 22, aliisque, eumdem Manlium, qui post cannensem cladem Latinos in curiam admittere noluit, consulatum recusasse. An. U. 542. Aurel. Vict. c. 28.

2. *Excusatione. Excusare* sæpe idem, quod *excusationis causam afferre.* Sic dicunt Veteres: *excusare consternationem, ignorationem, magnitudinem negotiorum*, etc.

3. *Gravitas.* An. U. 611. Aurel. Vict. 58.

4. *Enervis.* Mollis et effeminatæ. — *Majestate reipublicæ*, latine dici posse negat Vetranius, ideoque legit *majestate populi romani*, sed vid. VIII, 2, 3. Similiter quoque reperiuntur apud auct. ad Herennium, lib. IV, illa: *Majestas reipublicæ est in qua continentur dignitas et amplitudo.*

5. *Cotta.* In ed. vet. et aliquot MSS. omittitur, male. — *Contenderent.* An. U. 609.

Digitized by Google

Hispaniam mitteretur, ac magna inter patres conscriptos dissensio esset; omnibus, quonam ejus sententia inclinaretur, exspectantibus : *Neutrum*, inquit, *mihi mitti placet, quia*[1] *alter nihil habet, alteri nihil est satis;* æque malam licentis imperii magistram judicans inopiam, atque avaritiam. Quo dicto, ut neuter in provinciam mitteretur, obtinuit.

3. C. vero Popilius[2] a senatu legatus ad Antiochum missus, ut bello se, quo Ptolemæum lacessebat, abstineret, quum ad eum venisset, atque is prompto animo et amicissimo vultu dextram ei porrexisset, invicem ei suam porrigere noluit, sed tabellas senatusconsultum continentes tradidit, quas ut legit Antiochus, dixit *se cum amicis colloquuturum:* indignatus Popilius, quod aliquam moram interposuisset, virga solum, quo insistebat, denotavit, et[3], *Prius*, inquit, *quam hoc circulo excedas, da responsum, quod senatui referam.* Non legatum loquutum, sed ipsam Curiam ante oculos positam crederes. Continuo enim rex affirmavit *fore, ne amplius de se Ptolemæus quereretur;* ac tum demum Popilius manum ejus tamquam socii apprehendit. Quam efficax est animi sermonisque abscissa gravitas! eodem momento Syriæ regnum terruit, Ægypti texit.

4. P. autem Rutilii[4] verba prius an facta æstimem,

1. *Quia.* Hanc vocem, quam primus omiserat Aldus, ex MSS. fere omnibus bene Pighius restituit.

2. *Popilius.* An. U. 585. Livius, XLV, 12; Cicero, Phil. VIII, 8; Justin. XXXIV. — Plinius, H. N. XXXIV, 6, non C. Popilium, sed C. Octavium legatum fuisse dicit, eumque in legatione illa occisum. — *Dextram.* Regibus externis mos erat, osculo delibatam manum, scil. dextram, notis aut amicis offerre. — *Senatusconsultum.* Quod erat hujusmodi: « nisi abstineret a bello contra Ptolemæum, bellum a Romanis sibi indictum esse. »

3. *Et.* Sic legendum, non, ut Pighius, *at.* Non enim *inquit* cum *denotavit* connecteretur, si *et* abesset.

4. *Rutilii.* An. U. 660. Liv. LXX; Cic. de Orat. I, 53; Oros. V, 17; Senec. de Provid. III; Quint. XI, 1, 12; supr. II, 10, 5. Quæstor Rutilius damnatus est, qui cum

Digitized by Google

nescio; nam utrisque æque admirabile inest robur. Quum amici cujusdam injustæ rogationi resisteret, atque is per summam indignationem dixisset: *Quid ergo*, inquit[1], *mihi opus est amicitia tua, si quod rogo, non facis?* respondit, *Immo quid mihi tua, si propter te aliquid inhoneste facturus sum?* Huic voci consentanea illa opera, quod magis ordinum dissensione[2], quam ulla culpa sua reus factus, nec obsoletam vestem induit, nec insignia senatoris deposuit, nec supplices ad genua judicum manus tetendit, nec dixit quidquam splendore præteritorum annorum humilius; effecitque, ut periculum[3] non impedimentum gravitatis ejus esset, sed experimentum: atque etiam quum ei reditum in patriam Sullana victoria præstaret, in exsilio, ne quid adversum leges faceret, remansit: quapropter *Felicitatis* cognomen[4] justius quis moribus gravissimi viri, quam impotentis armis assignaverit; quod quidem Sulla rapuit, Rutilius meruit.

5. M. Brutus[5] suarum prius virtutum, quam patriæ parentis parricida, uno enim facto et illas in profundum

prætore suo consenserat, ne quid agerent publicani in provincia sua. Quo cognito, equites romani eum damnarunt. Quum autem, post victoriam Sullæ adversus Marium, redire posset in patriam, noluit, ne quid adversus leges faceret.—*Prius.* Exquisite pro *pluris*, quod præter rem contra omnes libros Perizon. præfert.

1. *Inquit.* Superfluum, quum antecedat: *dixisset.* — *Amicitia tua.* Hæc lex, ait Cicero, amicitiæ sanciatur, ut neque rogemus res turpes, neque rogati faciamus.

2. *Dissensione.* Nam de judiciis senatorius ordo et equestris inter se dissidebant. — *Reus.* Publicanorum conspiratione. — *Obsoletam.* Squalidam, mœroris indicem. — *Supplices.* Genua tum deorum tum mortalium supplices attingere moris erat. In genubus quoque misericordiam ponebant Veteres. Vide Plinium, XI, 45.

3. *Periculum.* Accusatio, judicium, ut sæpius occurrit.

4. *Felicitatis cognomen.* Quod gessit Sulla. In uno codice legitur *Felicis*, quod Pighius et alii temere in textum receperunt. Sensus est: cognomen felicitatis justius daretur moribus Rutilii qui erat vir gravissimus, quam armis Sullæ qui erat vir impotens. Vid. supra de Cassio, III, 1.

5. *Brutus.* An. U. 711. Plutarchus in Bruto. — *Parentis.* Cæsa-

Digitized by Google

præcipitavit, et omnem sui nominis memoriam inexpiabili detestatione perfudit, ultimum prælium initurus, negantibus quibusdam, *id committi oportere : Fidenter*, inquit, *in aciem descendo ; hodie enim aut recte erit, aut nihil curabo* [1]. Præsumpserat videlicet, neque vivere se sine victoria, neque mori sine securitate posse.

DE GRAVITER DICTIS AUT FACTIS AB EXTERNIS.

1. Cujus mentio mihi subjicit, quod adversus D. Brutum [2] in Hispania graviter dictum est, referre : nam quum se ei tota pæne Lusitania dedidisset, ac sola gentis ejus urbs Cinninia [3] pertinaciter arma retineret, tentata redemptione, propemodum uno ore legatis Bruti respondit, *Ferrum sibi a majoribus, quo urbem tuerentur; non aurum, quo libertatem ab imperatore avaro emerent, relictum.* Melius sine dubio istud nostri sanguinis homines dixissent, quam audiissent.

2. Sed illos quidem natura in hæc gravitatis vestigia deduxit : Socrates [4] autem, græcæ doctrinæ clarissimum columen, quum Athenis causam diceret, defensionemque ei Lysias [2] a se compositam, qua in judicio uteretur, reci-

ris. — *Facto.* Conspiratione in Cæsarem ejusque cæde.

1. *Recte erit.... curabo.* Aut vincam, aut moriar : *recte erit*, si vicero, *nihil curabo*, si mortuus fuero.

2. *D. Brutum.* An. U. 617. Hic D. Brutus, Marci fuit patruelis.

3. *Cinninia.* Magna est editionum varietas in hoc nomine. *Cinninia*, quod nomen frequentius, est et Hispaniæ quædam urbs ad radices Pyrenæi montis, Mediterraneum mare versus, et urbs Lusitaniæ de qua hic sermo esse videtur. — *Redemptione.* Pacis puta et libertatis, aut belli. Dicunt enim utrumque; *redimere pacem*, et, *bellum.* Vid. Justin. IV, 3, 5; VI, 1, 6; VII, 5, 1; VII, 6, 4.

4. *Socrates.* Vid. Laert. in vit.; Cic. de Orat. I, 54; Quint. II, 15, 30; XI, 1, 9, seq. — *Causam diceret.* Sic omnes MSS. et edd. Solus Cauch. habet *dicturus esset*, quod Pigh. et alii male in textum receperunt. *Causam dicere*, interpretatur Perizonius non ipsum actum, sed statum rei, et exponit *accusari, reus esse.* Vid. Nepot. XIII, 4, 2; Cic. adversus Sallust.; Liv. XXXVIII, 50, aliosque passim. — *Lysias.* Inclytus orator. Socratem

Digitized by Google

tasset, demissam et supplicem, imminentique procellæ accommodatam, *Aufer*, inquit, *quæso, istam; nam ego si adduci possem, ut eam in ultima Scythiæ solitudine perorarem, tum me ipse morte multandum concederem.* Spiritum contempsit, ne careret gravitate; maluitque[1] Socrates exstingui, quam Lysias superesse.

3. Quantus hic in sapientia, tantus in armis Alexander[2] illam vocem nobiliter edidit; Dario enim uno jam et altero prælio virtutem ejus experto, atque ideo partem regni Tauro tenus monte, et filiam in matrimonium cum decies centum millibus[3] talentum pollicente, quum Parmenion dixisset, *se, si Alexander esset, usurum conditione;* respondit: *Et ego uterer, si Parmenion essem.* Vocem duabus victoriis respondentem, dignamque cui tertia, sicut evenit, tribueretur.

4. Atque hæc quidem animi magnifici et prosperi status: illa vero[4], qua legati Lacedæmoniorum apud patrem

dixisse alii narrant: « bonam esse orationem, sed sibi non convenientem; sicut vestis pulchra esse possit, nec tamen unicuique accommodata. »

1. *Maluit.... superesse.* Sensus est, ut monet Torrenius: Socratem maluisse mori ut virum sapientissimum, quam quidquam virtute et sapientia sua indignum committere, quod facturus sibi videbatur, si orationem a Lysia compositam perorasset, ut eloquentiæ vi ac lenociniis sibi vitam impetraret, et sic arte Lysiæ viveret, uti Lysias in tali casu vixisset. Simile est Alexandri dictum quod sequitur.

2. *Alexander.* Vid. Plut. in vit. Curt. IV, 11; Arrian. II, 25.

3. *Decies centum millibus.* Variant scriptores in pecuniæ summa. Diod. Sic. XVII, 54, *tria millia;* Plut. apophth. *decem millia* scribunt. Hæc certe summa, quam auctor noster exhibet, omnem excedit modum. Quare Glareanus *centum* putat abundare. Sed in tanta scriptorum varietate, vera summa ab interpretibus frustra fortasse determinatur.

4. *Illa vero.* Vid. Frontin. IV, 5, 12. Philippus Græciam diu vexatam, tandem apud Chæroneam oppressit, anno mundi circiter 3646. Sed quum, devictis Atheniensibus, bellum Lacedæmoniis intulisset, hi, aliis imperare consueti, jugum Philippi detrectarunt. Quum quidam dixisset illos extrema perpessuros: *nihil mali neque extremi vitam aspernantibus esse,* responderunt. Quum iterum gravia multa Philippus iis imperaret, nihil aliud rescripserunt,

Digitized by Google

ejus miseram fortitudinis suæ conditionem testati sunt, gloriosior quam optabilior; intolerabilibus enim oneribus[1] civitatem eorum implicanti, *si quid morte gravius imperare perseveraret, mortem se prælaturos*, responderunt

5. Nec parum grave Spartani cujusdam dictum[2] : siquidem nobilitate et sanctitate præstans, et in petitione magistratus victus, *maximæ sibi lætitiæ esse* prædicavit, *quod aliquos patria sua se meliores viros haberet;* quo responso repulsam honori adæquavit.

CAPUT V.

De justitia Romanorum.

1. Populi romani. — 2. Quatuor tribunorum plebis. — 3. Ti. Gracchi cens. — 4. Collegii tribunorum plebis. — 5. Cn. Domitii Ahenobarbi. — 6. L. Licinii Crassi oratoris. — 7. L. Cornelii Sullæ cos.

De justitia Externorum.

1. Pittaci Mitylenæi. — 2. Aristidis atheniensis. — 3. Zaleuci locrensis. — 4. Charondæ thurii.

DE JUSTITIA ROMANORUM.

Tempus est, justitiæ[3] quoque sancta penetralia adire, in quibus semper æqui ac probi facti respectus religiosa

nisi : *Philippo salutem! Non scilicet volumus imperanti tibi parere.* Illo autem gravius duriora imperante, dixerunt, quod supra textus habet. — *Fortitudinis.* Alii legunt *fortunæ.* Nostra vero lectio elegantior et verior, judice Perizonio. Revera erat *misera conditio fortitudinis,* ita fortitudine sua uti.

1. *Oneribus.* Tantam pecuniam illis imperabat, quanta exsolvi non posset. Accusati enim fuerant, quod arcem Thebanam induciarum tempore occupassent.

2. *Dictum.* Vid. Plut. Apophth.

3. *Justitiæ.* Suum cuique! Quanta est aureæ hujus regulæ extensio, tanta quoque ad augendam hominum salutem efficacia. Hanc igitur, qui Veterum de morum doctrina scripsere, associatam prudentiæ, fortitudini, moderationi, præcipuis et, ut ita dicam, cardinalibus virtutibus, ex quibus cæteræ pendeant,

Digitized by Google

cum observatione versatur : et ubi studium[1] verecundiæ est, et cupiditas rationi cedit, nihilque utile, quod parum honestum videri possit, ducitur; ejus autem præcipuum et certissimum inter omnes gentes nostra civitas exemplum est.

1. Camillo consule[2] Falerios circumsedente, magister ludi plurimos et nobilissimos inde pueros, velut ambulandi gratia deductos, in castra Romanorum perduxit; quibus interceptis, non erat dubium quin Falisci deposita belli gerendi pertinacia, traditurі se nostro imperatori essent. Ea re[3] senatus censuit, *ut pueri vinctum magistrum virgis cædentes in patriam remitterentur*. Qua justitia animi eorum sunt capti, quorum mœnia expugnari non poterant; namque Falisci, beneficio magis quam armis victi, portas Romanis aperuerunt. Eadem civitas aliquoties rebellando, semperque adversis contusa præliis, tandem se Q. Lutatio[4] consuli dedere coacta est: adversus quam sævire cupiens populus romanus, postquam a Papirio[5], cujus manu, jubente

annumerarunt. Vid. Garvii commentaria in Cicer. Offic. Hæ sunt virtutes, quibus etiam reipublicæ salus continetur. Quibus paulatim languentibus, et deinde fere emortuis, res etiam romana corruit.

1. *Studium* pro favore et gratia hoc loco positum Gron. censet. — *Est, et.* In multis MSS. et edd. omittitur vel alterutrum vel utrumque. Torrenius judicat *et* non admodum desiderari; non tamen spernit *viget* quod, pro duabus his vocibus, habet Ultr. prim. Kapp. vero *est et* a glossatoribus ortum esse credit.

2. *Camillo consule.* An. U. 308. Vid. Front. IV, 4; Flor. I, 22; Polyænum, VIII. Testibus Livio, V, 27, et Plutarch. in Vitis. Furius Camillus nunquam fuit cos. sed trib. militum consulari potestate. — *Falerios.* Hi immutato H in F dicti sunt, ut febris, antea hebris, Formiæ, Hormiæ, ἀπὸ τῆς ὁρμῆς. Alii legunt *Phalericos*, *Faliscos* seu *Phaliscos*, sed *Falerios* rectius est, ita enim appellabatur urbs, populi vero *Falisci.* Servius ad Æneid. VII illis auctorem Halesum fuisse narrat, a quo *Falisci* dicti sunt, immutato H in F, ut in nonnullis nominibus.

3. *Ea re.* Vorst. et Torren. *ea re cognita*, Pighius *de ea re* contra codd. ediderunt: scilicet quod illæ voces *ea re* per se consistere non posse videbantur. Sed Perizonius monet *ea re* dici ut *qua re.* Id est, propterea.

4. *Lutatio.* An. U. 512. Livius, XIX; Eutrop. II, 16; Oros. IV, 6.

5. *Papirio.* Scriba consulis.

Digitized by Google

consule, verba deditionis scripta erant, doctus est, Faliscos non potestati[1], sed fidei se Romanorum commisisse, omnem iram placida mente deposuit, pariterque et viribus odii, non sane facile vinci assuetis, et victoriæ obsequio, quæ promptissime licentiam subministrat, ne justitiæ suæ deesset, obstitit. Idem[2], quum P. Claudius Camarinos, ductu atque auspiciis suis captos, sub hasta vendidisset, etsi ærarium pecunia, fines agris auctos animadvertebat, tamen, quia parum liquida fide id gestum ab imperatore videbatur, maxima cura conquisitos redemit, iisque habitandi gratia locum in Aventino assignavit, et prædia restituit: pecuniam etiam non ad curiam[3], sed ad sacraria ædificanda, sacrificiaque facienda tribuit; justitiæque promptissimo tenore effecit, ut exitio suo lætari possent, quia sic renati erant.

Mœnibus nostris, et finitimis regionibus, quæ adhuc retuli; quod sequitur, per totum terrarum orbem manavit[4]: Timochares[5] ambraciensis Fabricio consuli pollicitus

1. *Potestati.* Qui potestati victoris se tradit, ejus arbitrium patitur: qui fidei, seu clientelæ, gratiam et auxilium exspectat.

2. *Idem.* Nempe populus romanus, non vero Papirius. — *P. Claudius.* Quis fuerit ille, nemo interpretum dixit. Kappius suspicatur fuisse collegam L. Junii in consulatu, bello punico primo. — *Camarinos.* A.U. circ. 485. Camerium pulchrum Latii oppidum, colonia romana facta per Romulum et Tatium reges. Vett. edd. et quædam aliæ *Camerin.*

3. *Non ad curiam.* Has voces a glossatore quodam adjectas esse Torren. putat, quod illi otiosæ videntur; vel Valerium scripsisse *ad curiam ædificand. et sacrificia faciend.* per curiam intelligentem sacrarium, in quo curiones sacra faciebant, quod ignorans interpres adscripsisset *non ad curiam, sed sacraria.* Kapp. vero sic explicat: pecuniam non ad usus politicos, sed ad usus sacros adhibuit, qua putabant antiqui scelus posse deleri.

4. *Manavit.* An. U. 475. Plut. in Pyrrho; Cic. Off. III, 22; Liv. XXXIX, 51; Tacit. Ann. II, 8; Ælian. XII, 33; Senec. ep. 120; Gell. III, 8; Ammian. XXX, 1; Frontin. IV, 4, 2; Flor. I, 18, 21; Eutrop. II, 8.

5. *Timochares.* Quadrigarius, lib. III, non *Timocharem*, sed Niciam, adiisse consulem, neque a senatu, sed a consulibus Fabricio et Æmilio missos legatos, et Pyrrhum populo rom. laudes, ac gratias scripsis-

Digitized by Google

est, *se Pyrrhum veneno per filium suum, qui potionibus ejus præerat, necaturum*: ea res quum ad senatum esset delata, missis legatis Pyrrhum monuit, *ut adversus hujus generis insidias cautius se gereret*; memor, urbem a filio Martis[1] conditam armis bella, non venenis, gerere debere. Timocharis autem nomen suppressit, utroque modo æquitatem amplexus: quia nec hostem malo exemplo tollere, neque eum, qui bene mereri paratus fuerat, prodere[2] voluit.

2. Summa justitia in quatuor quoque tribunis plebis eodem tempore[3] conspecta est; nam quum C. Atratino, sub quo duce aciem nostram apud Verruginem[4] a Volscis inclinatam cum cæteris equitibus correxerant, diem ad populum L. Hortensius collega eorum dixisset, pro rostris juraverunt, *in squalore se esse, quoad imperator ipsorum reus esset futurus*. Non enim sustinuerunt egregii juvenes, cujus armati periculum vulneribus et sanguine suo defenderant, ejus togati ultimum discrimen, potestatis insignia retinentes intueri; qua justitia mota concio, actione Hortensium desistere coegit.

3. Nec se etiam aliter eo facto, quod sequitur, exhibuit[5]: quum Ti. Gracchus, et C. Claudius, ob nimis severe gestam censuram, majorem civitatis partem exaspe-

se prodit. Sed noster in hac narratione sequitur Valerium Antiatem.

1. *Filio Martis*. Romulo.

2. *Prodere voluit. Bene mereri* voluit de populo romano.—Eutropius proditorem vinctum ad Pyrrhum esse reductum narrat.

3. *Eodem tempore*. Non ad præcedens exemplum referendum est, sed ad tribunos qui uno eodemque tempore magistratum gesserunt.—*Conspecta est*. An. U. 331. Livius, IV, 42; supr. III, 2, 8.

4. *Verruginem*. Oppidum Italiæ Volscorum.—*In sq...futurus*. Periz. mavult *in squal. se esse, quoad imper. i. r. esset, futuros*, quod nondum erant in squalore tribuni. Juraverunt enim hæc; quum primum dicerent, *preces suæ pro imperatore suo si non valuissent, se vestem mutaturos esse*. Torrenius credit vere emendasse Perizonium: sed tamen adstipulante nullo MS. nil mutare ausus est.

5. *Exhibuit*. An. U. 584. Liv. XLIII, 18; Aurel. Vict. LVII.

Digitized by Google

rassent, diem his P. Rutilius tribunus plebis perduellionis ad populum[1] dixit, præter communem consternationem privata etiam ira accensus; quia *necessarium ejus ex publico loco parietem demoliri* jusserant: quo in judicio primæ classis permultæ centuriæ[2] Claudium aperte damnabant; de Gracchi absolutione universæ consentire videbantur: qui clara voce juravit, *si de collega suo gravius esset judicatum, in factis paribus se eamdem cum illo pœnam exsilii subiturum;* eaque justitia tota illa tempestas ab utriusque fortunis et capite depulsa est; Claudium enim populus absolvit; Graccho causæ dictionem tribunus Rutilius remisit.

4. Magnam laudem et illud collegium tribunorum tulit[3], quod, quum unus ex eo L. Cotta fiducia sacrosanctæ potestatis creditoribus suis nollet satisfacere, decrevit, *si neque solveret pecuniam, neque daret cum quo sponsio fieret, se appellantibus eum creditoribus auxilio futurum;* iniquum ratum, majestatem publicam privatæ perfidiæ obtentui esse: itaque Cottam, in tribunatu quasi in aliquo sacrario latentem[4], tribunitia inde justitia extraxit.

1. *Perduellionis ad populum.* Perduelles dicti, qui hostilia in rempubl. moliebantur: quia quos nunc hostes, eos veteres perduelles appellabant. Lex Julia perduellionis eum quoque reum esse voluit, cujus opera magistratus populi romani occisus fuerit. Cujus criminis convicti, ut hostes condemnabantur.

2. *Centuriæ.* Servius rex populum in quinque classes distribuit, et classis primæ initio centuriæ octoginta fuere. Vid. Liv. I, t. I, p. 125, nostræ editionis. — *Eamdem cum illo.* Torrenius monet, hoc exemplo defendi non posse loquendi formam, jam ab aliis damnatam, *idem cum illo.* Constr. est, *se subiturum cum illo p. e.*

3. *Tulit.* An. U. 599. — *Sacrosanctæ.* Tribunitiæ, quam violare nefas habitum. — *Fieret.* Qui promitteret, certam pecuniam se soluturum, nisi Cotta creditoribus suis satisfaceret. — *Appellantibus eum. Appellare* h. l. est de pecunia solvenda admonere. Sic IV, 8, 3. Cicero quoque pro Quint.: *Quum tibi quotidie potestas fuisset admonendi, verbum nullum facis, biennio jam confecto fere appellas.* Non ita intellexit Aldus qui scripsit *appellantibus se*, id est, creditoribus auxilium suum, nempe tribunorum, implorantibus. — *Obtentui.* Prætextui.

4. *Latentem.* Tamquam in asylo, unde extrahi non posset.

Digitized by Google

5. Cujus ut ad alium æque illustrem actum[1] transgrediar, Cn. Domitius, tribunus plebis, M. Scaurum principem civitatis in judicium populi devocavit: ut, si fortuna adspirasset, ruina; sin minus, certe ipsa obtrectatione amplissimi viri incrementum claritatis apprehenderet; cujus opprimendi quum summo studio flagraret, servus Scauri ad eum noctu pervenit, *instructurum se ejus accusationem multis et gravibus domini criminibus* promittens. Erat in eodem pectore inimicus, et Domitius[2], diversa æstimatione nefarium indicium perpendens; justitia vicit odium: continuo enim et suis auribus obseratis, et indicis ore clauso, *duci eum ad Scaurum* jussit. Accusatorem etiam reo suo, ne dicam diligendum, certe laudandum: quem popu-

1. *Actum.* Sic l. VIII, c. 7, ext. 2. Vox illa, quæ invenitur in tredecim MSS. Torrenii, in quibusdam aliis omittitur. Male. Quum enim in superiore exemplo non actum sit de homine uno, sed de toto tribunorum collegio, auctor dicere non potest se ad *alium hominem transire.* — *Domitius.* An. U. 650. Cic. pro Dejot. 11. Hic Domitius pontifex max. fuit. Scaurum autem accusavit hac de causa: cos. cum Cassio fuit, et quum esset trib. pl., iratus Scauro, quod eum in augurum collegium non cooptaverat, diem ei dixit ad populum, et mulctam irrogavit, quod ejus opera sacra multa popul. rom. imminuta esse diceret. Crimini dabat, sacra publica popul. rom. Deum penatum, quæ Lavinii fierent, imperfecte fieri — *Ruina.* Aldus legit *ruinam*, ita ut ad verbum *apprehendere* pertineat. Quid vero significat *ruinam apprehendere?* Multo melius *ruina*, nam manifeste sensus est: ut perdendo, sin minus, obtrectando *virum amplissimum*, *incrementum claritatis apprehenderet*, id est, ipse inclarescere.

2. *Inimicus, et Domitius.* Omnes fere codd. *inimicus et Domitius, et dominus.* Abundat vero *et dominus.* Nam, ut infra docet noster, *justitia vicit odium*, quod bene congruit cum duplici voce *inimicus, et Domitius.* Dum enim inimicitia et justitia inter se decertarent, Domitius, utpote cujus antea vita fuerat honestissima, ponitur pro ipso ejus honesto animo, pro *justitia.* Sic passim nomen cujusdam usurpatur ad probos, vel improbos illius mores commemorandos. Vide ex. g. II, 9, 3; VIII, 8, 2; Cic. Phil. VI, 3; Plin. paneg. p. 23. Sed ab hoc sensu abhorret *dominus*, quod potius significaret, metuentem ne sibi item *domino* simile quidquam a servis eveniret, tale servi facinus improbandum existimasse. — *Obseratis.* Ne audiret servi contra dominum delationem. — *Indicis.* Alii *judicis*, minus bene.

Digitized by Google

lus cum propter alias virtutes, tum hoc nomine libentius et consulem, et censorem, et pontificem maximum fecit.

6. Nec aliter se L. Crassus in eodem justitiæ experimento gessit[1]. C. Carbonis nomen infesto animo, utpote inimicissimi sibi, detulerat; sed tamen scrinium ejus, a servo allatum ad se; complura continens, quibus facile opprimi posset, ut erat signatum, cum servo catenato ad eum remisit. Quo pacto igitur inter amicos viguisse tunc justitiam credimus, quum inter accusatores quoque et reos tantum virium obtinuisse videamus?

7. Jam L. Sulla non se tam incolumem, quam Sulpicium Rufum perditum voluit[2], tribunitio furore ejus sine ullo fine vexatus: cæterum quum eum proscriptum, et in villa latentem a servo proditum comperisset, manumissum parricidam[3], ut fides edicti sui exstaret, *præcipitari protinus saxo Tarpeio cum illo scelere parto pileo* jussit: victor alioquin insolens, hoc imperio justissimus.

DE JUSTITIA EXTERNORUM.

1. Verum ne alienigenæ justitiæ obliti videamur, Pittacus mitylenæus[4], cujus aut meritis tantum cives debuerunt, aut moribus crediderunt, ut suis ei suffragiis tyrannidem deferrent, tamdiu illud imperium sustinuit, quamdiu bel-

1. *Gessit.* An. U. 634. Cic. de Leg. III; de Orat. III.

2. *Voluit.* An. U. 665. Livius, LXXVII. — *Furore.* Sulpicius trib. pl. inauditæ fuit et superbiæ, et temeritatis, qui trecentos secum milites habebat quasi satellites.

3. *Parricidam.* Servum, qui dominum prodidit, *parricidam* vocat. Manumissus est, ut ex edicto promissum indicii præmium haberet: mox vero ob scelus proditi domini de saxo dejectus; qua pœna præcipue affecti sunt, quos falsi testimonii convicerant. Vid. Gell. XX, 1. Sed et alia ingentia crimina ulciscebantur hoc supplicio, quod tamen, tanquam nimis atrox, postea abolitum. — *Pileo.* Raso capite *pileum* servi capere solebant, quum libertate donarentur.

4. *Mitylenæus.* Qui inter septem sapientes habitus. Vid. Laert. in ejus vita. — *Tyrannidem. Tyrannus* fuit appellatus, sed justus, ut Miltiades, teste Nepote. — *Tamdiu.* Decem ann.

Digitized by Google

lum de Sigeo cum Atheniensibus gerendum fuit : postquam autem pax victoria parta est, continuo reclamantibus Mitylenæis deposuit; ne dominus civium ultra, quam reipublicæ necessitas exegerat, permaneret; atque etiam, quum recuperati agri dimidia pars consensu omnium offerretur, avertit animum ab eo munere; deforme judicans, virtutis gloriam magnitudine prædæ minuere.

2. Alterius nunc mihi prudentia referenda est, ut alterius repræsentari justitia possit: quum saluberrimo consilio Themistocles[1] migrare Athenienses in classem coegisset, Xerxeque rege, et copiis ejus Græcia pulsis, ruinas patriæ in pristinum habitum reformaret, et opes clandestinis molitionibus, ad principatum Græciæ capessendum, nutriret, in concione dixit: « habere se rem deliberatione sua provisam, quam si fortuna ad effectum perduci passa esset, nihil majus, aut potentius atheniensi populo futurum, sed eam vulgari non oportere : postulavitque, ut aliquis sibi, cui illam tacite exponeret, daretur. » Datus est Aristides : is postquam cognovit, classem illum[2] Lacedæmoniorum, quæ tota apud Gythæum subducta erat, velle incendere, ut, ea consumpta, dominatio maris ipsis cederet; processit ad cives, et retulit[4], *Themistoclem, ut utile consilium, ita minime justum animo volvere.* E vestigio universa concio quod æquum non videretur, ne expedire quidem proclamavit, ac protinus Themistoclem incepto desistere jussit.

— *Gerendum.* De agro Achillitide, ut refert Diog. Laert. Hunc a Mitylenæis traditum agrum consecravit postea Pittacus, unde Pittacius est dictus.

1. *Themistocles.* Vid. Plut. in vit. Cic. Off. III, 11.

2. *Illum.* Quidam MSS. *illam*, quod recte emendavit Pigh. Quum enim totam classem ibi subductam, dicat, non opus erat addi *illam*, quo pronomine ab alia classe alibi subducta distingueretur. — *Gythæum.* Fuit oppidum Laconicæ XXX stadia ab urbe distans : ubi Lacedæmoniorum navale erat. *Subducta* idem, quod in terram, et in siccum ducta. Sic Virg. Æn. I, 551 : *Quas-*

Digitized by Google

3. Nihil illis etiam justitiæ exemplis fortius : Zaleucus, urbe Locrensium[1] a se saluberrimis atque utilissimis legibus munita, quum filius ejus adulterii crimine damnatus, secundum jus ab ipso constitutum, utroque oculo carere deberet, ac tota civitas in honorem patris pœnæ necessitatem adolescentulo remitteret, aliquamdiu repugnavit; ad ultimum precibus populi evictus, suo prius, deinde filii oculo eruto, usum videndi utrique reliquit: ita debitum supplicii modum legi reddidit ; æquitatis admirabili temperamento, se inter misericordem patrem, et justum legislatorem partitus.

4. Sed aliquanto Charondæ Thurii[2] præfractior atque abscisior justitia : ad vim et cruorem usque seditiosas conciones civium pacaverat, lege cavendo, *ut, si quis eas cum ferro intrasset, continuo interficeretur;* interjecto deinde tempore, ex longinquo rure gladio cinctus domum repetens, subito indicta concione, sicut erat, in eam processit, ab eoque, qui proxime constiterat, solutæ[3] a se legis suæ admonitus : *Idem ego illam*, inquit, *sanciam ;* ac protinus ferro, quod habebat, destricto incubuit; quumque liceret culpam vel dissimulare, vel errore defendere, pœnam tamen repræsentare maluit, ne qua fraus justitiæ fieret.

satam ventis liceat subducere classem.

1. *Zaleucus..... Locrensium.* Vide Cic. de Leg. II, 6; Ælian. XIII, 24.

2. *Thurii.* Thurium oppidum fuit Lucaniæ in Italia inferiore. Aldus edidit *Tyrii.* Male. Aristoteles contra, Charondam diserte vocat Catanæum. — *Abscisior*, severior, brevior. Vid. Cicer. de Leg. I, 22; II, 6; Laert. in Pythag.; Arist. polit. II, 10. Charondas, Pythagoræ discipulus, non Thuriis tantum, sed et Catanæ leges tulisse videtur.

3. *Solutæ. Solvere*, violare, λύειν τὸν νόμον. — *Repræsentare.* Vid. Suet. Claud. XXXIV; Curt. I, 10.

Digitized by Google

CAPUT VI.

De fide publica, quam coluere Romani.

1. Senatus romanus. — 2. L. Manlius, M. Atilius coss. — 3. Idem senatus romanus. — 4. P. Africanus superior. — 5. Idem senatus romanus.

De fide publica, quam coluere Externi.

1. Saguntini. — 2. Petellini.

DE FIDE PUBLICA, QUAM COLUERE ROMANI.

Hujus imagine ante oculos posita, venerabile Fidei numen dexteram suam, certissimum salutis humanæ pignus, ostentat: quam semper in nostra civitate viguisse, et omnes gentes senserunt[1], et nos paucis exemplis recognoscemus.

1. Quum Ptolemæus rex[2] tutorem populum romanum filio reliquisset, senatus M. Æmilium Lepidum, pontificem maximum, bis consulem, ad pueri tutelam gerendam Alexandriam misit, amplissimique et integerrimi viri sanctitatem, reipublicæ usibus et sacris operatam[3], externæ

1. *Senserunt.* Libertate sua orbatæ, et dominio Rom. subjectæ gentes. Attamen promissa plerumque servarunt Romani, nec illorum fuit græca, nec punica, ut aiunt, fides. — *Recognoscemus.* Perizonius nullius nec MS. nec ed. auctoritate subnixus, et præter rem, malit *recognoscamus.*

2. *Rex.* An. Urb. 595 circiter. Tac. Ann. II, 97; Justin. XXX et XXXI. Justinus non a rege tutorem relictum P. R. fuisse dicit, sed rege mortuo ab Alexandrinis Romam missos esse legatos, qui orarent P. R., ut tutelam pupilli susciperet, regnumque tueretur, quod jam Philippus et Antiochus, facta inter se pactione, divisisse dicebantur. — *Pontificem maximum.* Valerius errat; nam M. Æmilius Lepidus pontifex maximus est factus anno demum XXIII, postquam tutelæ regis pueri (Epiphanis, filii Philopatoris) destinatus esset; ut docuit Perizonius in animadversionibus historicis, VII, p. 230.

3. *Operatam.* Sic fere omnes habent MSS. *Operari* proprium est de sacris, ut liquet ex fragm. Lucil.

Digitized by Google

procurationi vacare voluit; ne fides civitatis nostræ frustra petita existimaretur: cujus beneficio regia incunabula conservata pariter ac decorata, incertum Ptolemæum reddiderunt, patrisne fortuna magis, an tutoris[1] majestate gloriari deberet.

2. Speciosa quoque illa romana fides[2]: ingenti Pœnorum classe circa Siciliam devicta[3], duces ejus fractis animis consilia petendæ pacis agitabant; quorum Hamilcar *ire se ad consules* negabat *audere; ne eodem modo catenæ sibi injicerentur, quo ab ipsis Cornelio Asinæ consuli fuerant injectæ*: Hanno[4] autem certior romani animi æstimator, nihil tale timendum ratus, maxima cum fiducia ad colloquium eorum tetendit: apud quos quum de belli fine[5] ageret, et tribunus militum ei dixisset, *posse illi merito evenire, quod Cornelio accidisset;* uterque consul, tribuno tacere jusso, *Isto te*, inquit, *metu, Hanno, fides civitatis nostræ liberat.* Claros illos fecerat tantum ho-

XXX; Juv. XII, 92; dicitur quoque de his qui patriæ diligenter inserviunt. Vid. Liv. IV. Aldus ediderat *comparatam*, quod ortum videtur ex lectione MS. Copesiani *compertam*, id est, perspectam. Id, *compertam*, præfert Perizonius; male vero; nam sensus est: populus romanus virum, qui patriæ, in muneribus quum forensibus, tum sacris, summam fidem præstiterat, tutorem regis externi misit.

1. *Tutoris.* Aliquot *tutorum*, minus bene. Respicit enim Valerius Lepidum, qui in nummo quodam appellatur *Tutor regis.*

2. *Fides.* An.U. 497. Zonaras, II.

3. *Devicta.* Sic recte ex MSS. duobus Pighius restituit. Plerique codd. *deducta*, quidam *dedicta*, alius *devecta*. *Devicta* vero melius toti narrationis ordini convenit. Nam tantæ ignaviæ duces Carthaginiensium insimulari non possunt, ut illorum animos, nisi ingenti clade, perfractos esse credamus. Colero magis arridet *dejecta*, i. e. tempestatibus remota, sed ut recte monet Torren., noster scripsisset non *circa Siciliam*, sed *a Sicilia*. — *Asinæ.* Qui, quum vocatus data fide confidenter in colloquium processisset, a militibus ex insidiis comprehensus est, qui in Siciliam catenatum eum duxerunt. De nomine Asina vid. Macrob. Sat. I. Iste nempe sponsionem facturus, asinam pecunia onustam in forum produxit.

4. *Hanno.* An. U. 493. Polyb. I, 22 et 23; Liv. XVII; Flor. II, 2. Infr. VI, 9, 11.

5. *De belli fine.* Id est de pace. Barth. *de belli jure.* Male.

Digitized by Google

stium ducem vincire potuisse; sed multo clariores fecit, noluisse.

3. Adversus eosdem hostes parem fidem in jure legationis tuendo patres conscripti exhibuere[1]; M. enim Æmilio Lepido, C. Flaminio coss. L. Minucium et L. Manlium Carthaginiensium legatis, quia manus his attulerant[2], per feciales [Claudio prætore] dedendos curaverunt: se tunc senatus, non eos quibus hoc præstabatur, adspexit.

4. Cujus[3] exemplum superior Africanus sequutus, quum onustam multis et illustribus Carthaginiensium viris navem in suam potestatem redegisset, inviolatam dimisit, quia *se legatos ad eum missos* dicebant; tametsi manifestum erat, illos vitandi præsentis periculi gratia falsum legationis nomen amplecti, ut romani imperatoris potius decepta fides, quam frustra implorata judicaretur.

5. Repræsentemus etiam illud senatus nullo modo prætermittendum opus[4]; legatos ab urbe Apollonia Romam missos, Qu. Fabius et Cn. Apronius ædiles, orta contentione, pulsaverunt; quod ubi comperit, continuo eos per

1. *Exhibuere.* An. U. 566. Liv. XXXVIII, 42.

2. *Attulerant.* Legati Carthaginiensium Romam venerant, pacem a S. P. Q. R. petentes. Forte altercatio orta est inter legatos, et Minucium Manliumque, quæ eo usque processit, ut hi legatos pulsarent. Nam illi pacem petebant, hi dandam esse negabant, quippe fœdifragis. Quod ubi cognovit senatus, eos legatis dedendos esse censuit. — *Claudio prætore.* Uncis clausa forsan e marginibus in textum irrepsere. Ex Livio constat, Culeonem tunc prætorem peregrinum fuisse. Feciales erant sacerdotes, qui fœderibus feriendis, et bellis legitime indicendis præerant. Non respexit tunc senatus, quid fractis toties fœderibus Carthaginienses mererentur, sed honestius jus gentium fidemque servanda statuit.

3. *Cujus exemplum.* Pigh. temere edidit *hæc exempla.* Sed nostra lectio verior et rectior. Superiore enim exemplo de jure legationis actum erat, similiter hic legatos inviolatos dimisit Scipio. — *Sequutus.* An. U. 550. Liv. XXX, 25. Sed paullo aliter narrat. Factum hoc secundo bello pun. quum Africanus superior utramque subegisset Hispaniam.

4. *Opus.* An. U. 487. Zonaras, II; Liv. XV. Apollonia *Ionica* sine dubio h. l. Sunt enim ejus nominis urbes in Creta, Syria, Thracia, Illyricò, et Ponto.

Digitized by Google

feciales legatis dedidit, *quæstoremque cum his Brundusium ire* jussit; ne quam in itinere a cognatis deditorum injuriam acciperent. Illam curiam mortalium quis concilium[1], ac non Fidei templum dixerit? Quam ut civitas nostra semper benignam præstitit, ita in sociorum quoque animis constantem recognovit.

DE FIDE PUBLICA, QUAM COLUERE EXTERNI.

1. Nam post duorum in Hispania Scipionum, totidemque romani sanguinis exercituum miserabilem stragem[2], Saguntini victricibus Hannibalis armis intra mœnia urbis suæ compulsi, quum vim punicam ulterius nequirent arcere, collatis in forum, quæ unicuique erant carissima, atque undique circumdatis accensisque ignis nutrimentis, ne a societate nostra desciscerent, publico et communi rogo semetipsi superjecerunt. Crediderim tunc ipsam Fidem humana negotia speculantem, mœstum gessisse vultum; perseverantissimum sui cultum iniquæ fortunæ judicio tam acerbo exitu damnatum cernentem.

2. Idem præstando Petellini eumdem laudis honorem meruerunt[3]: ab Hannibale, quia deficere a nostra amici-

1. *Concilium, ac non.* Aliquot edd. *consilium.* Torrenius vero nil mutandum esse putat, quod frequenter apud Cic. occurrit *concilium deorum.* Pro *ac non* Perizon. ex Copes. malit *an.* Quatuor MSS. *annon*, unde Torren. conjicit *anne.*

2. *Stragem.* An. U. 534. Livius, XXI. *Saguntum* autem initio belli Punici II dirutum est; multo post Scipionum clades evenit. Quare *ante* legere, et textum, ut sæpius, immutare, quam Valerium suum erroris arguere mavult Pighius, sed nullis codd. consentientibus. Inde potius auctoris errori hoc tribuamus. De *Sagunti* tristi excidio vid. Liv. — *Desciscerent.* Ita ex MS. Susiano Pighius edidit. Recte. Sic enim Liv. VI, et alibi. Aldus *deficerent*, Chalcocondyles *desisterent*, quod duobus aliis Torrenius anteponit, quia, quum illis conveniat, qui ultro fidem fallunt, *desistere* in eos magis quadrare videtur, qui illam colere desinunt, coacti necessitate. Vide VII, 6, 2. — *Semetipsi.* Plures MSS. *semet ipsos*, sed illud auctoritate Ciceronis præfert Ascensius.

3. *Meruerunt.* An. U. 537. Liv. XXIII, 30; Athen. dipnosoph. XII;

Digitized by Google

tia[1] noluerant, obsessi, legatos ad senatum auxilium implorantes miserunt; quibus propter recentem cladem cannensem succurri non potuit: cæterum permissum est, uti facerent, quod utilissimum incolumitati ipsorum videretur; liberum ergo erat Carthaginiensium gratiam amplecti: illi tamen feminis, omnique ætate imbelli urbe egesta[2], quo diutius armati famem traherent, pertinacissime in muris perstiterunt; exspiravitque prius eorum tota civitas, quam ulla ex parte romanæ societatis respectum deposuit: itaque Hannibali non Petelliam, sed fidei[3] petellinæ sepulcrum capere contigit.

CAPUT VII.

De fide uxorum erga maritos.

1. AEmiliæ L. F. Tertiæ, P. Africani majoris. — 2. Thuriæ Q. Lucretii Vespillonis. — 3. Sulpiciæ Lentuli.

1. Atque ut uxoriam quoque fidem attingamus, Tertia Æmilia, Africani prioris uxor[4], mater Corneliæ Gracchorum, tantæ fuit comitatis et patientiæ, ut quum sciret viro suo ancillulam ex suis gratam esse, dissimulaverit;

Sil. Ital. XII, 431. Petilia, urbs Calabriæ, in quo olim Philoctetes Meliboeus regnavit; vid. Virg. Æn. III, 401. Strabo autem, l. VI, Lucanorum metropolim eam vocat.

1. *A nostra amicitia.* Aliquot, *n. amicitiam.* Sed Torr. putat non recte dici posse *deficere amicitiam;* quod nullo exemplo probatum vidit.

2. *Egesta.* Alii *ejecta;* sed *egesta* invenitur in duodecim MSS. Torrenii, qui ipse nil mutandum judicat. *Egerere* enim recte usurpatur de iis, quæ superflua et onerosa sunt. Vid. Just. IV, 1, 6; Curt. VIII, 5, 8; Ovid. Tris. l. IV, ep. 3, v. 38.

3. *Fidei pet. sepulcrum.* Sic ex MSS. Pighius edidit, quum antea legeretur *fidum Petiliæ sepulcrum.* Attamen in Cauch. et Atrebat. reperias *Petilianæ*, quod Pigh. mutavit in *petellinæ*, quia ex marmoribus antiquis quæ adhuc exstant, incolas *Petellinos*, urbem *Petelliam* vocari constat; hæc vero *Petilia* quoque appellabatur. Vid. Silium Italicum, XII, 41, et Virg. l. l.

4. *Uxor.* Vid. Gell. VI, 8. — *Corneliæ Gracchorum.* Quidam *Corneliæ matris C. et Ti. G.* ex glossa.

Digitized by Google

ne domitorem orbis Africanum, femina magnum virum impatientiæ[1] reum ageret; tantumque a vindicta mens ejus abfuit, ut post mortem Africani manumissam ancillam in matrimonium liberto suo daret.

2. Q. Lucretium[2], proscriptum a triumviris, uxor Thuria, inter cameram et tectum cubiculi abditum, una conscia ancilla, ab imminente exitio, non sine magno periculo suo, tutum præstitit : singularique fide id egit, ut quum cæteri proscripti in alienis et hostilibus regionibus per summos corporis et animi cruciatus vix evaderent, ille in cubiculo, et in conjugis sinu salutem retineret.

3. Sulpicia[3] autem, quum a matre Julia diligentissime custodiretur, ne Lentulum Cruscellionem, virum suum, proscriptum a triumviris, in Siciliam sequeretur, nihilominus famulari veste sumpta, cum duabus ancillis, totidemque servis, ad eum clandestina fuga pervenit; nec recusavit se ipsam proscribere, ut ei fides sua in conjuge proscripto constaret.

1. *Ne domitorem orbis Africanum, ... impatientiæ.* Pro *Africanum* Pigh. cui Vorst. patrocinatur, legit *Africani*, quod cum *orbis* conjungeretur, et significaret, *Africani* imperii; quia Scipionem African. non posse vocari *orbis domitorem* arbitratur. Sed ut monet Perizonius, domuerat Hispaniam in Europa, Africam, sui fratris legatus Asiam, et idcirco non immerito *orbis domitor* appellatur, ab his præsertim qui verbis hyperbolicis gaudent. *Impatientiæ* improbant plerique. Sunt qui legant *impudicitiæ*, quod tantummodo dicitur de his, qui libidinem patiuntur; Lips. *impotentiæ*, eodem sensu quem jam notavimus; alius *incontinentiæ*. Sed Torrenius retinet *impatientiæ*, quod omnes exhibent MSS. et monet intelligendum esse, *impatientiæ amoris. Magnum* quoque, quod damnaverant alii, non expungendum putat, quia videlicet Valerius duplex in eo quæsivit acumen; dum *patientiam* injuriæ in uxore, et *impatientiam* amoris in marito, et dum *feminam magno viro* opponit.

2. *Lucretium.* An. U. 710. Dio, LIV; Appian. Civ. IV, Lucretium *Vespillonem* seu *Hispillum* vocat. — *Tectum.* Inter tabulatum superius et tecti curvamen. — *Periculo suo.* Lex enim fuit: quicumque proscriptum occultaret, eadem pœna afficeretur.

3. *Sulpicia.* An. U. 710. Appian. Civil. IV. — *Lentulum.* Vid. supra, V, 3; Cic. Catil. III. — *Famulari.* Quidam *familiari.* Vid. V, 6, ext. 1.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De fide servorum erga dominos.

1. M. Antonii oratoris servus. — 2. C. Marii C. F. cos. servus. — 3. C. Gracchi Philocrates. — 4. C. Cassii Pindarus. — 5. Cn. Plotii Planci familia. — 6. Urbinii Anapionis servus. — 7. Antii Restionis servus.

Restat, ut servorum etiam erga dominos, quo minus exspectatam, hoc laudabiliorem fidem referamus.

1. M. Antonius[1], avorum nostrorum temporibus clarissimus orator, incesti reus agebatur; cujus in judicio accusatores servum in quæstionem perseverantissime postulabant; quod ab eo, quum ad stuprum iret, laternam prælatam contenderent: erat autem is etiam tum imberbis, et stabat coram, videbatque rem ad suos cruciatus pertinere, nec tamen eos[2] fugitavit: ille vero, ut domum quoque ventum est, Antonium hoc nomine vehementius confusum, et sollicitum ultro est hortatus, *ut se judicibus torquendum traderet*, affirmans, *nullum ore suo verbum exiturum, quo causa ejus læderetur;* ac promissi fidem mira patientia præstitit: plurimis enim[3] laceratus verberibus, eculeoque impositus, candentibus etiam laminis ustus, omnem vim accusationis, custodita rei salute, subvertit. Argui fortuna merito potest, quod tam pium, et tam fortem spiritum servili nomine inclusit.

2. Consulem autem C. Marium Prænestinæ obsidionis[4]

1. *Antonius.* An. U. 639. Supra III, 7, 9.

2. *Eos.* Perizonius putat legendum *eo fugitavit*, id est, propterea fugere conatus est. Nil mutandum, auctore Kappio.

3. *Enim.* Alii *etiam.* Minus recte, quum his ratio reddatur ejus quod præcedit. — *Candentibus.* Uterque Med. *ardentibus.* Sed præstat nostrum. Vid. Sil. Ital. I, 171; Prop. IV, 7, 43. — *Subvertit.* Vetus codex Lipsii addit, *et dominum sua fide et constantia liberavit*, quod prorsus supervacuum est.

4. *Obsidionis.* An. U. 671. Liv.

Digitized by Google

miserabilem exitum sortitum, cuniculi latebris frustra evadere conatum, levique vulnere a Telesino, cum quo commori destinaverat, perstrictum servus suus, ut Sullanæ crudelitatis expertem faceret, gladio trajectum interemit; quum magna præmia sibi proposita videret, si eum victoribus tradidisset : cujus dexteræ tam opportunum ministerium nihil eorum pietati cedit, a quibus salus dominorum protecta est; quia eo tempore Mario non vita, sed mors in beneficio reposita erat.

3. Æque illustre quod sequitur[1]: C. Gracchus, ne in potestatem inimicorum veniret, Philocrati servo suo cervices incidendas præbuit; quas quum celeri ictu abscidisset, gladium cruore domini madentem per sua egit præcordia. Euporum[2] alii hunc vocitatum existimant; ego de nomine nihil disputo, famularis tantummodo fidei robur admiror : cujus si præsentiam[3] animi generosus juvenis imitatus foret, suo, non servi beneficio, imminentia supplicia vitasset; nunc commisit, ut Philocratis, quam Gracchi, cadaver speciosius jaceret.

4. Alia nobilitas, alius furor; sed fidei par exemplum[4]. Pindarus C. Cassium, philippensi prælio victum, nuper ab eo manumissus, jussu ipsius obtruncatum, insultationibus

LXXXVIII; Oros. V, 21; Vellei. II, 27, 4. Obsessus fuit a Sullanis hic Marii filius. Vid. cap. de Crudel. — *Cuniculi*. Subterranei meatus a similitudine animalis, quod cavernis subterraneis delectatur. — *Telesino*. Vid. Flor. III, 21.

1. *Sequitur*. An. U. 632. Oros. V, 12; Vellei. II, 6. Macrob. I, 11. C. Gracchus antea etiam in templo Dianæ Licinii et Pomponii, fidissimorum familiarium, corporibus tam diu tectus est, ut fugere posset, quoad isti cæsi sunt.

2. *Euporum*. Sic eum Velleius; Macrobius autem *Europum* vocat. Plutarchus, C. Gracchum a L. Opimio cæsum narrat. — *Famularis*. Multi *familiaris*. Male. Vid. VI, 7, 3; V, 6, ext. 1.

3. *Præsentiam*. VI, 2, extr. 1; II, 6, 11; III, 7, 5. Nonnulli *præstantiam*. Male. — *Jaceret*. Torrenius monet non necesse esse subaudire *sepultum*, quum *jacere* dicatur quoque de mortuis, etsi nondum humatis.

4. *Exemplum*. An. U. 711. Plut. in Bruto; Appian. Civ. IV; Dio, XLVII. Pindarus idem præstitit Cassio, quod Euporus Graccho.

Digitized by Google

hostium subtraxit, seque e conspectu hominum voluntaria morte abstulit, ita ut ne corpus quidem ejus absumpti inveniretur. Quis deorum, gravissimi sceleris ultor, illam dexteram, quæ in necem patriæ parentis[1] exarserat, tanto torpore illigavit, ut se tremebunda Pindari genibus submitteret, ne publici parricidii, quas merebatur, pœnas arbitrio pii victoris exsolveret? Tu profecto, tu[2], dive Juli, cælestibus tuis vulneribus debitam exegisti vindictam, perfidum erga te caput sordidi auxilii supplex fieri cogendo, eo animi æstu compulsum, ut neque retinere vitam vellet, neque finire manu sua auderet.

5. Adjunxit se iis cladibus Cn. Plotius Plancus[3], Munatii Planci consularis et censorii frater; qui quum a triumviris proscriptus in regione salernitana[4] lateret, delicatiore vitæ genere, et odore unguenti, occultam salutis custodiam detexit; istis enim vestigiis, eorum, qui miseros persequebantur, sagax inducta cura, abditum fugæ illius cubile odorata est: a quibus comprehensi servi[5], multumque ac diu torti, negabant, *se scire, ubi dominus esset.* Non sustinuit deinde Plancus, tam fideles tamque boni exempli servos ulterius cruciari; sed processit in medium, jugulumque gladiis militum objecit. Quod

1. *Patriæ parentis.* Jul. Cæsaris: *Victor pius* est *Octavius.*

2. *Tu profecto, tu.* Multi codd. *tu profecto tunc*, quod non spernit Torren. — *Auxilii. Auxilium* pro eo, qui fert: *sordidum*, tamquam servi. An implorarit, an injussu a servo necatus sit, sunt, qui dubitent. Quum αὐτοχειρίαν in animi magnitudine ponerent veteres, etiam paulo ante fortius fecisse Gracchum significat, si se ipse interfecisset, quam quod servo cervices præbuit. Veteres edd. habent *sordidis auxiliis:* quod librarii casum secundum, qui rarior occurrit, in tertium mutarunt. Vide Senec. Troad. V, 313; Nep. IV, 4, 5; XVII, 4, 8. Cic. pro Flacco, 42, 106.

3. *Plancus.* An. U. 710. Plinius, XIII, 3; Solin. XLVI.

4. *Salernitana.* Salernum civitas Lucaniæ Picentorum, ubi ante aliquot secula inclaruit schola salernitana.

5. *Servi.* Multi MSS. additum exhibent *latentes*, alii *latens*, Med. *latentis*, quod conjecerat Periz. et probat Torr.; quia dixit auctor antea, eum latuisse in villa Salernitana.

Digitized by Google

certamen mutuæ benevolentiæ arduum dignosci facit, utrum dignior dominus fuerit, qui tam constantem servorum fidem experiretur; an servi, qui tam justa domini misericordia quæstionis sævitia liberarentur.

6. Quid? Urbinii Panopionis servus, quam admirabilis fidei[1]! Qui[2] quum ad dominum proscriptum occidendum, domesticorum indicio certiores factos milites in Reatinam villam venisse cognosset, commutata cum eo veste, permutato etiam annulo, illum postico clam emisit, se autem in cubiculum ac lectulum recepit, et ut Panopionem occidi passus est: brevis hujus facti narratio; sed non parva materia laudationis: nam si quis ante oculos ponere velit subitum militum accursum, convulsa januæ claustra, minacem vocem, truces vultus, fulgentia arma; rem vera æstimatione prosequetur; nec quam cito dicitur aliquem pro alio mori voluissse, tam id ex facili etiam fieri potuisse arbitrabitur. Panopion autem quantum servo deberet, amplum ei faciendo monumentum, ac testimonium pietatis grato titulo[3] reddendo, confessus est.

7. Contentus essem hujus generis[4] exemplis, nisi unum me dicere admiratio facti cogeret. Antius Restio, proscriptus a triumviris, quum omnes domesticos circa rapinam et prædam occupatos videret, quam maxime poterat dissimulata fuga se penatibus suis intempesta nocte subduxit; cujus furtivum egressum servus, ab eo vinculorum pœna

1. *Fidei.* An. U. 710. Appian. Civ. IV; Macrob. I, 2; Senec. de benef. III, 25.

2. *Qui.* Ed. vet. cum sex MSS. omittit hanc vocem, quæ in reliquis non desideratur. —*Postico.* Est latens ostium in posteriori ædium parte. — *Lectulum.* Lecticula ad decubitum, in quibus lucubrarentur, scriberent, quiescerent. Vid. VIII, 7.

3. *Titulo.* Inscriptione sepulcrali. — *Confessus est.* Sic ex novem MSS. restituit Torrenius, quum Pighius, Coler. et Vorst. præter rem *testatus est* edidissent.

4. *Hujus generis.* Prisci libri inserunt *ex his hujus generis*, unde Lipsius conjicit *eximiis.* — *Dicere.* Perizonius putat legendum esse *adjicere.* — *Cogeret.* Anno Urbis 620. Macrobius Saturn. lib. I, cap. 11; Appian. Civ. lib. IV.

Digitized by Google

coercitus, inexpiabilique litterarum nota per summam oris contumeliam inustus, curiosis speculatus oculis, ac vestigia huc atque illuc errantia benevolo studio subsequutus, lateri voluntarius comes arrepsit[1]; quo quidem tam exquisito, tamque ancipiti officio, perfectissimum exspectatæ[2] pietatis cumulum expleverat; his enim, quorum felicior in domo status fuerat, lucro intentis, ipse, quum nihil aliud quam umbra et imago[3] suppliciorum suorum esset, maximum emolumentum[4] ejus, a quo tam graviter punitus erat, salutem judicavit; quumque abunde foret iram remittere, adjecit etiam caritatem; nec hactenus[5] benevolentia processit, sed in eo conservando mira quoque arte usus est; nam ut sensit, cupidos sanguinis milites supervenire, amoto[6] domino rogum exstruxit, eique egentem a se comprehensum, et occisum senem superjecit: interrogantibus deinde militibus, *ubinam esset Antius*, manum rogo intentans[7], *ibi illum datis sibi crudelitatis piaculis uri* respondit; quia verisimilia loquebatur, habita est voci fides: quo evenit, ut Antius statim quærendæ incolumitatis occasionem assequeretur.

1. *Arrepsit.* Clam, tacite lateri ejus accessit. Præter rem Perizonius conjicit *adhæsit.*

2. *Exspectatæ.* Pighius edidit *spectatæ*, Rob. Steph. *inexspectatæ.* Sed nostra lectio omnium MSS. auctoritate nititur, et nil nisi verum exhibet. Fecerat ille quod summum *exspectari* a tali servo poterat, hero se voluntarium comitem adjungendo.

3. *Imago.* Utpote nota litterarum in facie inustus. Vindictam sumere potuisset; sed honestius duxit, opem ferre hero.

4. *Maximum emolumentum... judicavit.* Sic dedit Torrenius. Vulgo *maximum sibi emolumentum* .... pro *judicavit* quidam *vindicavit.* Perizon. conjicit *m. esse e. judicavit.*

5. *Hactenus.* Pigh. edidit *solum hactenus*, sed proprietatem vocis *hactenus* non cepit. Sæpe, ut docet Gronovius, ponitur pro *non ultra.*

6. *Amoto.* Sic omnes libri. Perizonius legit *admonito*, quia dominus nec infans, nec lignum erat, ut eum amovere possit. Sed vid. Liv. XL, 16; Tacit. Ann. II, 68; Sall. Cat. 40; Ter. Adelph. IV, 2, 14.

7. *Intentans.* Aldus *intendens.* Alii *manibus rogo intentis.* Torr. suspicatur *manu rogo intenta.* — *Piaculis.* Pœna, qua maleficium expiaretur.

Digitized by Google

CAPUT IX.

De mutatione morum, aut fortunæ in Romanis.

1. T. Manlio L. F. Torquato. — 2. P. Africano majore. — 3. C. Valer. Flacco flamine. — 4. Q. Fabio Max. Allobrogico. — 5. Q. Lutatio Catulo. — 6. L. Cornelio Sulla Felice. — 7. T. Ausidio. — 8. P. Rupilio. — 9. P. Ventidio Basso. — 10. L. Cornelio Lentulo Lupo. — 11. Cn. Cornelio Scipione Asina. — 12. Licinio Crasso Divite. — 13. Q. Servilio Cæpione. — 14. C. Mario. — 15. C. Julio Cæsare.

De mutatione morum, aut fortunæ in Externis.

1. Polemone atheniensi. — 2. Themistocle atheniensi. — 3. Cimone atheniensi. — 4. Alcibiade atheniensi. — 5. Polycrate samio. — 6. Dionysio syracusano. — 7. Syphace Numidarum rege.

DE MUTATIONE MORUM, AUT FORTUNÆ IN ROMANIS.

Multum animis hominum et fiduciæ adjicere, et sollicitudinis detrahere potest, morum ac fortunæ in claris viris recognita mutatio[1], sive nostros status, sive proximorum ingenia contemplemur; nam quum aliorum fortunas spectando[2], ex conditione abjecta atque contempta emersisse claritatem videamus, quid aberit, quin et ipsi

1. *Mutatio.* Honores non tantum mutant mores, sed et reliqua fortuna, et quidem utraque. Interdum ad infima depressus, sordescit animus: alius contra, documentis meliora edoctus, ad meliorem frugem se convertit. Prosperam fortunam levis animi homo ferre non potest, et vel fastu turget, vel in varia perniciosa scelera abit. Vir bonus et prudens, acceptis bene meritorum præmiis, non arrogantem se gerit, sed animus tantum altius ad virtutem attollitur. Non majus in eo studium erit, quam ut fortunæ favore dignum se præbeat, vitia deponat, honestatem sequatur, rebusque secundis quam plurimis prosit.

2. *Spectando.* Pro hac voce Lipsius invenit *et pectora*, unde conjicit *et decora*; sed *et pectora* in nullo invenitur, nisi in ed. vet. — *Ex conditione.* Octo MSS. *et ex conditione.* Aliquot edd. et codd. *in claritatem*, unde Torrenius suspicatur *eos ex conditione.... in claritatem.* Sic Velleius II, 65, 1.

Digitized by Google

meliora de nobis semper cogitemus? memores, stultum esse, perpetuæ infelicitatis se prædamnare[1]; spemque, quæ etiam incerta recte fovetur, interdum certam in desperationem convertere.

1. Manlius Torquatus[2] adeo hebetis atque obtusi cordis inter initia juventæ existimatus est, ut a patre L. Manlio amplissimo viro, quia et domesticis, et reipublicæ usibus inutilis videbatur, rus relegatus agresti opere fatigaretur: postmodum patrem reum judiciali periculo liberavit; filium victorem[3], quod adversus imperium suum cum hoste manum conseruerat, securi percussit; patriam latino tumultu fessam, speciosissimo triumpho recreavit; in hoc, credo, fortunæ nubilo adolescentiæ contemptu perfusus, quo senectutis ejus decus lucidius enitesceret[4].

2. Scipio autem Africanus[5] superior, quem dii immortales nasci voluerunt, ut esset, in quo se virtus per omnes numeros hominibus efficaciter ostenderet, solutioris vitæ primos adolescentiæ annos egisse fertur; remotos quidem a luxuriæ crimine, sed tamen punicis tropæis, devictæ Carthaginis[6] cervicibus imposito jugo, teneriores.

3. C. quoque Valerius Flaccus[7] secundi punici belli temporibus luxu perditam adolescentiam inchoavit: cæterum a P. Licinio pont. max. flamen factus[8], quo facilius

1. *Prædamnare.* Id est, antequam quis sciat, quæ fortuna sua sit futura, ita animum despondere, ac si perpetuæ infelicitati esset destinatus. Suet. Aug. 56.

2. *Manlius Torquatus.* De Manliis vid. supra, V, 4, 3; II, 7, 6. An. U. 391. Liv. VII, 4.

3. *Victorem.* An. U. 413. Liv. VIII, 7; Gell. IX, 13.

4. *Fortunæ.... enitesceret.* I. e., fortuna ipsius adolescentiam ideo obscuram et contemptam reddidisse videtur, ut ejus senectus tanto clarior, et gloriæ fulgore splendidior esset.

5. *Africanus.* Vid. Gell. VI, 8. De Scipionis Afr. virtutibus supra passim. — *Hominibus.* Sic Pighius restituit ex MSS. quum Aldus edidisset *omnibus*.

6. *Carthaginis.* An. U. 552. — *Teneriores.* Molliores, quam ut punicis tropæis convenirent.

7. *Flaccus.* An. U. 544. Livius, XXVII, 8.

8. *Factus.* Non *captus*, ut Pigh.

Digitized by Google

a vitiis recederet, ad curam sacrorum et cærimoniarum converso animo, usus duce frugalitatis religione, quantum prius luxuriæ fuerat exemplum, tantum postea modestiæ et sanctitatis specimen evasit.

4. Nihil Q. Fabio Maximo[1], qui gallica victoria cognomen Allobrogici sibimet ac posteris peperit, adolescente magis infame; nil eodem sene ornatius, aut speciosius illo seculo nostra civitas habuit.

5. Quis ignorat, Q. Catuli[2] auctoritatem in maximo clarissimorum virorum proventu excelsum gradum obtinuisse? Cujus si superior ætas revolvatur, multi luxus, multæ deliciæ reperientur; quæ quidem ei impedimento non fuerunt, quo minus patriæ princeps exsisteret, nomenque ejus in capitolino fastigio fulgeret, ac virtute civile bellum ingenti motu oriens sepeliret.

6. L. vero Sulla[3] usque ad quæsturæ suæ comitia vitam libidine, vino, ludicræ artis amore, inquinatam perduxit; quapropter C. Marium consulem moleste tulisse traditur, quod sibi asperrimum in Africa bellum gerenti tam deli-

habet. Audiamus tamen, quomodo sententiam suam explicet: « ob adolescentiam negligentem luxuriosamque C. Flaccus flamen captus a P. Licinio pont. max. erat. Non solum virgo Vestalis capi a pont. max. dicitur, sed flamines etiam Diales, item pontifices et augures. Sic M. Cato contra Galbam pro Lusitanis: *Ego me nunc volo jus pontificum optime scire, jamne ea causa pontifex capiar? Si volo augurium optime tenere, ecquis ob eam rem augurem capiat?* » Vid. Gell. I, 12.

1. *Maximo.* An. U. 633. Livius, LXI; Vell. II, 10 et 39; Florus, III, 2. — *Allobrogici.* MSS. tredecim Torrenii, et omnes ante Pigh. editiones, *Allobrogi*, III, 5, 2. Sed *Allobrogici* rectum est. Nam victores non ipsum gentile nomen populi a se devicti, sed inde derivatum sumebant, ut bene docuerunt viri docti. Et omnes reliqui scriptores eum appellant *Allobrogicum.*

2. *Catuli.* An. U. 675. Livius, XC; Flor. III, 23; Plin. XIX, 1. Catulus collegam M. Lepidum, qui acta Sullæ rescindere tentavit, Italia expulit. — *Proventu.* Ed. vet. *provectu.* Male. Vid. V, 10, 2; Plin. Epist. I, 13.

3. *Sulla.* An. U. 646 — 667. Liv. LXVI, LXXV, LXXVII. Plut. in vit.; Appian. Civ. I. — *Perduxit.* Plutarchus negat, Sullam deposuisse vitia, affirmans, illum ad provectiores annos usque ea servasse.

Digitized by Google

catus quæstor sorte obvenisset. Ejusdem virtus quasi perruptis et disjectis nequitiæ, quâ obsidebatur, claustris, catenas[1] Jugurthæ manibus injecit, Mithridatem compescuit, socialis belli fluctus repressit, Cinnæ dominationem fregit, eumque[2], qui se in Africa quæstorem fastidierat, illam ipsam provinciam proscriptum et exsulem petere coegit. Quæ tam diversa, tamque inter se contraria, si quis apud animum suum attentiore comparatione expendere velit, duos in uno homine Sullas fuisse crediderit : turpem adolescentulum[3], et virum, dicerem fortem, nisi ipse *felicem* se appellari maluisset.

7. Atque ut nobilitatem[4] beneficio pœnitentiæ se ipsam admonuimus respicere, ita altiora modo suo sperare ausos subtexamus. Ti. Aufidius quum Asiatici publici[5] exiguam admodum particulam habuisset, postea totam Asiam

1. *Catenas.* Per Boechum, Mauritaniæ regem, Jugurtha proditus. Vid. Sallust. Bell. Jug. — *Mithridatem.* Quem ex Asia minore pulsum, ad Tigranem Armeniæ regem fugere coegit. — *Belli.* Quum socii latini propter negatam civitatem, a Druso promissam, adversus Romanos arma sumpsissent. — *Fluctus repressit.* Ita bene restitutum a Pighio, quum antea legeretur *luctus repressit.* Frequens satis, ut hujusmodi motus bellici fluctibus comparentur. Cic. de Orat. I, 1; Nepos Att. 6.

2. *Eum.* Marium intelligit, cujus Sulla quæstor fuerat, quum bellum adversus Jugurtham gereretur.

3. *Adolescentulum.* Sic lib. Dan. et omnes ante Pigh. edd. Pigh. vero, Coler. et Vorst. *adolescentem* edidere. — *Felicem.* Hoc tamen felicitati suæ deesse confessus est, quod Capitolium non dedicavisset. Teste Plinio, tandem pediculari morbo interiit.

4. *Nobilitatem b. p. s. i. admonuimus respicere.* Gronovius conjicit, *nobilitati b. p. s. i. admonitæ respicere, altiora*, ut transitio sit talis, qualis infra, VIII, 14, 5; quod verum opinatur Torrenius, at, propter magnam librorum discrepantiam, in textum non ausus est recipere. Neque tamen spernenda est vulgata lectio. Opponit Valer. nobiles viros, qui vitam emendarunt, iis, qui *altiora modo suo*, id est, majora, quam humilis eorum nativitas pati videbatur, ausi sunt sperare : de nobilibus jam egerat, nunc ad humilis status homines progreditur. — *Subtexamus.* An. U. 680. Cicero pro Flacco, cap. 19; et in Bruto, cap. 48.

5. *Publici. Publicum* seu populicum nihil aliud hoc loco est, quam P. R. vectigal ex Asia. Fuerat igitur publicanus.

Digitized by Google

proconsulari imperio obtinuit; nec indignati sunt socii ejus parere fascibus, quem aliena tribunalia adulantem[1] viderant; gessit etiam se integerrime atque splendidissime, eoque modo demonstravit, pristinum quæstum suum fortunæ, præsens vero dignitatis incrementum moribus ipsius imputari debere.

8. At P. Rupilius non publicanum in Sicilia egit, sed operas publicanis dedit[2]; idem ultimam inopiam suam, auctorato[3] sociis officio, sustentavit: ab hoc postmodum consule leges universi Siculi acceperunt, acerbissimoque prædonum ac fugitivorum bello[4] liberati sunt. Portus ipsos, si quis modo mutis rebus inest sensus, tantam in eodem homine varietatem status admiratos arbitror. Quem enim diurnas capturas[5] exigentem animadverterant, eumdem jura dantem, classesque et exercitus regentem viderunt.

9. Huic tanto incremento majus adjiciam. Asculo capto[6], Cn. Pompeius, Magni pater, P. Ventidium ætate puberem

1. *Adulantem*. Ut in exigendis vectigalibus sibi adessent.

2. *Dedit*. Publicanorum minister erat. *Operæ diurnæ* illa ministeria sunt, quæ homines conductitii in exigendis portoriis aliisque præstabant. Vid: Cic. ad Divers. XIII, 9, 4, An. U. 621. Liv. LIX; Flor. III, 19.

3. *Auctorato*. *Auctorare* proprium est de gladiatoribus, qui voluntarii et liberi pretio se addicebant. Vid. Lips. sat. II, 5. Hinc transfertur ad eos qui lucri gratia operam alteri præstant. Itaque sensus est: postquam certa mercede Siculis, qui sunt socii, sua sponte in servitutem se addixit Rutilius.

4. *Fugitivorum bello*. Quod Eunus Syrus in Sicilia concitaverat.

5. *Capturas*. Sic vectigalia vocat, quæ Rupilius antea exegit. Vid. III, 4, 4; IX, 4, 1; Suet. Cal. 40.

6. *Capto*. An. U. 664. Vell. II, 65; Gell. XV, 4. Ann. Urb. 715. Plin. VII, 23; Dio, XLIII; Juvenal. VII, 199. — *Pater*. Strabo. — *Puberem*. Pigh. *impuberem*, quod non repugnat vero. Scribit enim Gellius l. c. eum puerum sinu matris ante currum imperatoris vectum fuisse. Cognomen ei *Basso* fuit. Plancus (Cic. ad div. X, ep. 18), *mulionem* vocat, propterea quod comparandis mulis, farreque in castra convehendo, adolescens victum sibi pararat. Unde illi per vias urbis strati versiculi:

Concurrite omnes augures, haruspices!
Portentum inusitatum conflatum est retens:
Nam mulos qui fricabat, consul factus est.

Simili ingenii lusui jam veteres Ro-

Digitized by Google

in triumpho suo populi oculis subjecit. Hic est Ventidius, qui postea Romæ ex Parthis, et per Parthos[1], de Crassi manibus in hostili solo miserabiliter jacentibus, triumphum duxit: itaque, qui captivus carcerem exhorruerat, victor Capitolium felicitate[2] celebravit; in eodem etiam illud eximium, quod eodem anno prætor et consul[3] est factus.

10. Casuum nunc contemplemur varietatem. L. Lentulus consularis[4] lege Cæcilia repetundarum crimine oppressus, censor cum L. Censorino creatus est: quem quidem fortuna inter ornamenta[5] et dedecora alterna vice versavit, consulatui illius damnationem, damnationi censuram subjiciendo; et neque bonis eum perpetuis frui, neque malis æternis ingemiscere patiendo.

11. Iisdem viribus uti voluit in Cn. Cornelio Scipione Asina[6]: qui consul a Pœnis apud Liparas captus, quum belli jure omnia perdidisset, lætiore subinde vultu ejus adjutus, cuncta recuperavit[7]; consul etiam iterum creatus est. Quis crederet, illum a duodecim securibus ad Car-

mani in omnibus fere, quæ insolita ac mira viderentur, indulserunt, quali recentiores, Pasquinio et Marforio interpretibus.

1. *Parthos.* Id est, dum Parthos, victores Crassi, ducit in triumpho, et ostentat pop. rom.—*Miserabiliter jacentibus.* Nam Arsacides, Parthorum rex, Crassi caput quum omni ignominia affecisset, corpus feris et alitibus devorandum jussit exponi.

2. *Felicitate.* Lipsius: *felici dape*, ut indigitaretur solenne triumphantium in Capitolio convivium. Sed quæ est illa loquendi ratio, *Capitolium celebrare dape felici?* Torr. non credit quemquam sic loquutum esse; nec ullus MS. vel minimum favet. Et majus est, capere hoc de tota felicitate triumphantis, Capitolium magnifice conscendentis, vota exsolventis, gratulantem senatum et magistratus excipientis, quam de solo convivio triumphantis.

3. *Consul.* Addit et tribunum Gellius.

4. *Consularis.* An. U. 606. — *Cæcilia.* Quam tulit anno 601 Q. Cæcilius trib. pl. Dicta etiam *Calpurnia*, ab ejus anni consule. Forsan hic Lentulus iste est, ad quem dedit litteras Cic. l. I. ad Div.

5. *Ornamenta.* Honores. — *Damnationem.* De hac damnatione agitur etiam apud Festum in *Religione.*

6. *Asina.* An. U. 493. Liv. XVII; Polyb. I, 22; supra, VI, 6, 2.

7. *Recuperavit.* Per victorem Duillium; consulque iterum factus, cum imperio et dignitate vixit.

Digitized by Google

thaginiensium perventurum catenas[1]? quis rursus existimaret, a punicis vinculis ad summi[2] imperii perventurum insignia? sed tamen ex consule captivus, et ex captivo consul factus est.

12. Quid? Crasso nonne pecuniæ magnitudo *locupletis* nomen dedit[3]? sed eidem postea inopia turpem decoctoris superlationem[4] injunxit. Siquidem bona ejus a creditoribus, quia solidum præstare non poterat, venerunt; ita quoque amara sugillatione non caruit: quum[5] egens ambularet, *dives* ab occurrentibus salutabatur.

13. Crassum casus acerbitate Q. Cæpio præcurrit[6]: is namque præturæ splendore, triumphi[7] claritate, consulatus decore, maximi pontificis sacerdotio, ut *senatus patronus* diceretur, assequutus, in publicis vinculis spiritum deposuit, corpusque ejus funesti carnificis manibus laceratum, in scalis Gemoniis jacens, magno cum horrore totius fori romani conspectum est.

14. Jam C. Marius maxima fortunæ luctatio est[8]; om-

1. *Catenas.* An. U. 499. Zonaras.

2. *Summi imperii insignia.* Nempe duodecim secures ponuntur pro consulatu ipso, quod non animadvertens Aldus edidit *fastigia.*

3. *Dedit.* An. U. 694. Cicer. ad Att. I, ep. 4, et II, ep. 13; Plin. XXXIII, 10; Quintil. XI, 2, 50; Senec. Controv. II, 9.

4. *Superlationem.* Id est, inopia ei turpe et hyperbolicum nomen decoctoris peperit. *Superlatio* vox barbara. — *Injunxit.* Aliquot *immisit*, alii *inussit*, quod anteponunt Torren. et Kapp. quum verbum *inurere* sit valde usitatum de iis, qui aliqua notantur infamia. At tamen *injunxit* prorsus damnare non audent. Sic enim Noster mox ext. 2, *abdicationis injungentem notam.*

5. *Quum.* Pigh. inserit *quia*, quasi non satis cohæreret oratio; sed amat auctor hoc concisius dicendi genus.

6. *Præcurrit.* An. U. 648. Liv. LXVII. Q. Cæpio capitali judicio affectus est, quia culpa ejus duobus, suo et collegæ in consulatu Manlii, exercitibus amissis, castra etiam capta fuerant a Cimbris et Teutonis. In hac gravissima clade LXXX Romanorum, necnon calonum et lixarum XC millia cæsa dicuntur. Vid. Ep. Liv. l. c. Hic antea Fabii ignominiam in Hispania correxerat, cæso a proditoribus Viriatho. Vid. supra, III, 7.

7. *Triumphi.* Quem de Viriatho egit.

8. *Luctatio est.* An. U. 629 circ. Cic. pro Planc. XXI. De Mario jam plurima supra sunt allata.

Digitized by Google

nes enim ejus impetus, qua[1] corporis, qua animi robore, fortissime sustinuit. Arpinatibus honoribus judicatus inferior, quæsturam Romæ petere ausus est; patientia deinde repulsarum, irrupit magis in curiam, quam venit: in tribunatus quoque et ædilitatis petitione consimilem campi notam[2] expertus, præturæ candidatus[3] supremo loco inhæsit, quam tamen non sine periculo obtinuit; ambitus enim accusatus, vix atque ægre absolutionem a judicibus impetravit. Ex illo Mario tam humili Arpini[4], tam ignobili Romæ, tamque fastidiendo candidato, ille Marius evasit, qui Africam subegit, qui Jugurtham regem ante currum egit, qui Teutonorum Cimbrorumque exercitus delevit; cujus bina[5] tropæa in urbe spectantur; cujus septem in fastis consulatus leguntur; cui post exsilium[6] consulem creari, proscriptoque facere proscriptionem contigit. Quid hujus conditione inconstantius aut mutabilius? quem si[7] inter miseros posueris, miserrimus; si inter felices, felicissimus reperietur.

15. C. autem Cæsar, cujus virtutes aditum sibi in cælum struxerunt, inter primæ juventæ initia privatus Asiam

1. *Qua corporis, qua animi.* Ita Col. ex cod. Dan. scripsit pro eo, quod in aliis est, *tam corporis, quam animi.*

2. *Notam.* In campo enim Martio, ubi petitio magistratuum facta, repulsam tulit.

3. *Candidatus.* An. U. 637 circ. Prætor quidem creatus, sed inter VI candidatos postremo loco. Quod nonnihil ignominiosum erat, ut contra primo loco renuntiari honorificum. Cicero sæpe gloriatur, se frequentibus populi suffragiis primum prætorem factum esse. Marius autem plebeius fuit, litterarum expers. *Supremum* pro *ultimo* satis notum, et obvium passim.

4. *Arpini.* Ita legendum putat Pigh. ex tribus quos inspexit codd. alii *Arpinate.* — *Evasit.* An. U. 649. Sall. Bell. Jug. 73; Velleius, II, 128; Flor. III, 1, 13; Senec. Contr. I. Ann. Urb. 667. Livius, LXXX. Plutarch.

5. *Bina.* Cimbrorum et Teutonorum spoliis ornatus, duas columnas in urbe erexerat.

6. *Exsilium.* Primam proscriptionem a Sulla. Vide Epitomen Liv. LXXVII et LXXX.

7. *Si.* Recte Torrenius ex quinque MSS. hanc particulam restituit. Nam sermo planior et concinnior, quam si copula absit.

Digitized by Google

petens, a maritimis prædonibus circa insulam Pharmacusam exceptus, quinquaginta se talentis redemit[1]; parva igitur summa clarissimum mundi sidus in piratico myoparone rependi fortuna voluit. Quid est ergo quod amplius de ea[2] queramur, si ne consortibus quidem divinitatis suæ parcit? sed cæleste numen se ab injuria vindicavit. Continuo enim captos prædones crucibus affixit.

DE MUTATIONE MORUM, AUT FORTUNÆ IN EXTERNIS.

1. Attento studio nostra commemoravimus : remissiore nunc animo aliena narrentur. Perditæ luxuriæ Athenis adolescens Polemo[3], neque illecebris ejus tantummodo, sed etiam ipsa infamia gaudens, quum e convivio non post occasum solis, sed post ortum surrexisset, domumque rediens Xenocratis philosophi patentem januam vidisset, vino gravis, unguentis delibutus, sertis capite redimito, pellucida veste amictus, refertam turba doctorum hominum scholam ejus intravit; nec contentus tam deformi introitu, consedit etiam, ut clarissimum eloquium,

1. *Redemit.* An. U. 667. Suet. Plat. in vit.; Vell., lib. II; cap. 41, §. 3, pag. 127 nostræ editionis. — *Pharmacusam.* Pharmacusa est insula Asiæ supra Miletum; nunc *Fermaco.* Sulla, devictis Marianis partibus, Cæsari, quod per Juliam ejus amitam Mario summa necessitudine erat conjunctus, mortem machinabatur. Prohibentes eum, qui dicebant, iniquum esse, tantæ indolis puerum innocentem occidere, dementes appellabat, quod non viderent, puerum mille Marios habere in corpore. Hæc quum ad Cæs. essent perlata, urbe clam egressus, in Sabinis aliquamdiu delituit; postea a Sullanis deprehensus, duobus se talentis redemit. Mox inde Asiam petens a piratis capitur, a quibus pecunia liberatus, paulo post instructis navibus e Milesiorum portu prædones aggreditur, quos captos crucibus omnes affixit.

2. *Ea.* Sic vetusti codd. Aliquot *ea re.* Frustra. Nam Valerius loquitur de fortuna.

3. *Polemo.* Vid. Diog. Laert. in vit.; Horat. sat. II, 3; Suidas, IV. — *Ejus.* Hanc vocem ejecerat Pighius. Sed Lipsius in comment. ad lib. XI. Ann. Taciti docet eam abesse non posse, et Vorstius ad vocem, quæ præcedit, *luxuriæ*, referendam esse judicat. — *Xenocratis.* De Xenocrate supra, IV, 3, ext. 3.

Digitized by Google

et prudentissima præcepta, temulentiæ lasciviis elevaret[1]: orta deinde, ut par erat, omnium indignatione, Xenocrates vultum in eodem habitu continuit, omissaque re, quam disserebat[2], de modestia ac temperantia loqui cœpit. Cujus gravitate sermonis resipiscere coactus Polemo, primum coronam capite detractam projecit; paulo post brachium intra pallium reduxit[3]; procedente tempore oris convivalis hilaritatem deposuit; ad ultimum totam luxuriam exuit, uniusque orationis saluberrima medicina sanatus, ex infami ganeone maximus philosophus evasit. Peregrinatus est hujus animus in nequitia, non habitavit.

2. Piget Themistoclis adolescentiam attingere[4], sive patrem adspiciam, abdicationis injungentem notam, sive matrem, suspendio finire vitam propter filii turpitudinem coactam; quum omnium postea graii sanguinis virorum clarissimus exstiterit, mediumque Europæ et Asiæ vel spei, vel desperationis pignus fuerit. Hæc enim salutis eum suæ patronum habuit, illa vadem victoriæ assumpsit[5].

3. Cimonis vero incunabula opinione stultitiæ fuerunt

1. *Elevaret.* Contemneret, eluderet. Vid. I, 6, 12.

2. *Omissa re, quam d.* Winch. et Cauch. *omissis de quibus dissereb.*, quos temere sequutus est Pighius. Vorstius vero nil mutandum putat, quod *disserere rem* non aliter dicitur ac *disputare rem.* Vid. Tacit. Ann. lib. I, cap. 4; tom. I, pag. 15, nostræ editionis; Min. Fel. c. 12. — *Cæpit.* Laertius memorat, eum περὶ σωφροσύνης disseruisse.

3. *Reduxit.* Hoc apud Athenienses aliosque signum pudoris atque modestiæ erat. Vid. Sen. V, Contr. 6; Quint. XII, 10, 21.

4. *Attingere.* Vid. Nepot. II, 1; Plut. in vita; Ælian. II, 12. — *Notam.* Nam a patre exheredatus est. — Pro *injungentem* non est, quod *inurentem* ponamus cum Pighio: nam sæpissime etiam *injungere notam, detrimentum, injuriam, servitutem, pœnam*, etc. apud veteres legitur. — *Europæ et Asiæ.* Pigh. mavult *Asiæ et Europæ.* Scilicet ferre non potuit, quod *hæc* ad remotius, *illa* vero ad propinquius referendum ita esset. Atque hoc solenne Nostro. Vide supra, II, 7, 12 et 15; III, 2, 1; IV, 7, extern. 1. — *Desperationis.* Quum fugeret ad hostem, contra patriam pugnaturus.

5. *Assumpsit.* Omnem Græciam e Persarum tyrannide liberarat pugna Salaminia; sed et regi spoponsit, fore, ut omnis Græcia subigeretur, si suum vellet consilium sequi.

Digitized by Google

referta[1]; ejusdem[2] imperia salutaria Athenienses senserunt: itaque coegit eos stuporis semetipsos damnare, qui eum stolidum crediderant.

4. Jam Alcibiadem quasi duæ fortunæ partitæ sunt[3]: altera, quæ ei nobilitatem eximiam, abundantes divitias, formam præstantissimam, favorem civium propensum, summa imperia, præcipuas potentiæ vires, flagrantissimum ingenium assignaret; altera, quæ damnationem, exsilium, venditionem bonorum, inopiam, odium patriæ, violentam mortem infligeret: nec aut hæc, aut illa universa; sed varia[4], perplexa, freto atque æstui similia.

5. Ad invidiam usque Polycratis, Samiorum tyranni, abundantissimis bonis conspicuus vitæ fulgor excessit: nec sine causa[5]; omnes enim conatus ejus placido excipiebantur itinere[6]; spes certum cupitæ rei fructum apprehendebant; vota nuncupabantur simul, et solvebantur; velle ac posse in æquo positum erat. Semel duntaxat vultum mutavit, perquam brevi tristitiæ salebra succussum, tunc quum admodum gratum sibi annulum de industria in profundum, ne omnis incommodi expers esset, abjecit; quem tamen continuo recuperavit[7], capto pisce, qui eum devoraverat; Sed hunc, cujus[8] felicitas semper plenis velis prosperum

1. *Referta*. Vid. Nepos in vita.

2. *Ejusdem imperia*. Quidam codd. inserunt *stultitiæ*. Male. — *Salutaria*. Quis ignoret gloriosam illam pacem anno mundi 3515, ejus nomine insignitam?

3. *Partitæ sunt*. Vid. Nepot. et Plut. in vit.; Justin. IV et V.

4. *Illa universa; sed varia*. Pigh. in tribus codd. reperit *simul universa, et varie perplexa*. At *simul* videtur esse ex glossa. Nam *universas* dispersis, aut singulis opponunt auctores, sed non *simul* adjiciunt. Vid. Nep. II, 4, 2; Just. XXXVIII, 4, 16.

5. *Sine causa*. Vid. Herod. III; Strabo, XIV; Cic. de Fin. III.

6. *Itinere*. Heinsius ad Velleium putat legendum *vitæ tenore*. Sed nil mutandum est, judice Torrenio: significat Valerius, conatus Polycratis totum suum cursum peregisse tanquam plenis felicitatis velis per placidum mare, aut planam quamdam viam.

7. *Recuperavit*. Plinio, XXXVII, 1, teste, hic *annulus* denique Romam delatus, in æde Concordiæ aureo cornu est inclusus.

8. *Cujus felicitas... tenuit*. Invitis

Digitized by Google

cursum tenuit, Orontes, Darii regis præfectus, in excelsissimo Micalensis montis vertice cruci affixit: e qua putres ejus artus, et tabido cruore manantia membra, atque illam lævam[1], cui Neptunus annulum piscatoris manu restituerat, situ marcidam, Samos amara servitute aliquamdiu pressa, liberis ac lætis oculis aspexit.

6. Dionysius[2] autem, quum hereditatis nomine a patre Syracusanorum ac pæne totius Siciliæ tyrannidem accepisset, maximarum opum dominus, exercituum dux, rector classium, equitatuum potens, propter inopiam literas puerulos Corinthi docuit: eodemque tempore, tanta mutatione majores natu, ne quis nimis fortunæ crederet, magister ludi factus ex tyranno, monuit.

7. Sequitur hunc Syphax rex, consimilem fortunæ iniquitatem expertus[3]: quem amicum hinc Roma per Scipionem, illinc Carthago per Hasdrubalem ultro petitum ad penates deos ejus venerat. Cæterum eo claritatis evectus[4],

omnibus aliis libris et scriptis, et editis, unius Cauch. fide, Pighius edidit: *sed hunc felicitatis .... tenere non potuit.* — *Orontes.* Fraude eum cepit. Ad fœdus jungendum invitatus, incautus, nec filiæ somno deterritus illuc venit, et captus, qui ubique felicissime in terra vixerat, in aere miserrime exspiravit. Cæterum ex Herodoto discimus, tum temporis crudelem etiamtum Cambysem fuisse regem.

1. *Lævam.* Scil. manum, qua annuli gestantur.

2. *Dionysius.* Vid. Justin. XXI; Cic. Tusc. III; Amm. Marc. XIV, 11; Ælian. VI, 12; IX, 6. — *Equitatuum potens.* Leid. quint. et Aldus *equitatu.* Sed verisimile est Valerium *equitatuum* scripsisse; quoniam plures voces pluralis numeri præmiserat, *opum, exercituum, classium.* Quod autem *potens* cum genitivo construatur, id multis exemplis doceri potest.

3. *Expertus.* An. U. 547. Liv. XXVIII; Polyb. XI; Appianus in Punic. Syphacem Scipio populi romani amicum facere cupiens, antequam Hasdrubal, idem pro Carthaginiensibus tentans, advenit, secundo vento portum tenuit. Scipio quidem regem eloquentia sua in amicitiam populi romani traxit; sed paulo post Syphax sollicitatus a Carthaginiensibus per nuptiarum occasionem formosissimæ Hasdrubalis filiæ, defecit a Romanis. Verum Pœnorum arma sequutus, brevi tempore a Lælio et Masinissa captus ad Scipionem in catenis ductus est, quem Scipio postea egit in triumpho.

4. *Evectus.* An. U. 550. Livius,

Digitized by Google

ut validissimorum populorum tantum non arbiter victoriæ exsisteret, parvi temporis interjecta mora, catenatus a Lælio legato ad Scipionem imperatorem pertractus est: cujusque dexteram regio insidens solio arroganti manu attigerat, ejus genibus supplex procubuit. Caduca nimium et fragilia, puerilibusque consentanea crepundiis[1] sunt ista, quæ vires atque opes humanæ vocantur; affluunt subito, repente dilabuntur: nullo in loco, nulla in persona stabilibus nixa radicibus consistunt; sed incertissimo flatu[2] fortunæ huc atque illuc acta, quos sublime extulerunt, improviso recursu destitutos, profundo cladium miserabiliter immergunt: itaque neque existimari, neque dici debent bona, quæ[3] inflictorum malorum amaritudinem desiderio sui duplicent.

XXX; Polyb. XIV. — *Tantum non arbiter victoriæ.* Ita bene ex Camp. restituit Pighius. Alii vel *tantum non* omittunt, vel habent *non tantum arbiter, sed et victor victoriæ.* Ed. Lips. Thanneri *non tantum arbiter victoriæ, sed et victor.*

1. *Crepundiis.* Puerorum in collo suspendi solitis.

2. *Flatu.* Ac si diceret, ventis similia. Bona duplici ratione nostra dici non possunt; quia non stabilia, facileque nobis eripi possunt; quod autem nostrum est, nemo a nobis aufert. Deinde, si bona essent, nunquam nobis nocerent. Vid. Boeth. de Cons. ph. l. IV. — *Recursu.* Translatio ab æstu marino, qui retrocedens in sinum suum dicitur recurrere. Curt. IX, 9, 20; supr. III, 4, 23.

3. *Quæ inflictorum m. amaritudinem desiderio s. d.* Ita Torrenius ex MSS. et edd. textum restituit, quum Pighius ex solo Cauch. edidisset: *quæ ut i. m. amaritudine desiderium sui duplicent: propensiore favore primo delinitos, majore postea malorum cumulo opprimere solent. Ut* additum est ab ignaris, unde penderet subjunctivus *duplicent.* At sensus est: quæ talia sunt, quorum conditio est, ut duplicent. Postrema vero verba a *propensiore* usque ad *solent*, in nullis libris aliis nec scriptis, nec editis reperiuntur.

Digitized by Google

Digitized by Google

TABULA

RERUM QUÆ IN HOC PRIORI VOLUMINE CONTINENTUR.

EDITORIS præfatio..... Pag. VII
Vita incerti auctoris..... XI
G. J. Vossius in libro de Historicis Latinis..... XII
Notitia litteraria de Valerio Maximo..... XV

LIBER PRIMUS.

Valerii Maximi ad Tiberium Cæsarem Augustum.. 1
CAPUT I. De religione { observata..... 5
neglecta..... 18
— II. De religione simulata..... 27
— III. De peregrina religione rejecta..... 29
— IV. De auspiciis..... 31
— V. De ominibus..... 34
— VI. De prodigiis..... 41
— VII. De somniis..... 55
— VIII. De miraculis..... 71

LIBER SECUNDUS.

— I. De matrimoniorum ritu, et necessitudinum officiis..... 97
— II. De magistratuum atque ordinum officiis et institutis..... 104

Digitized by Google

CAPUT III. De militaribus institutis ..... Pag. 112
— IV. De spectaculis. 114
— V. De frugalitate et innocentia 123
— VI. De externis institutis 127
— VII. De disciplina militari. 138
— VIII. De jure triumphandi 153
— IX. De censoria severitate 160
— X. De majestate. 167

LIBER TERTIUS.

— I. De indole. 177
— II. De fortitudine 183
— III. De patientia 211
— IV. De humili loco natis, qui clari evaserunt. 219
— V. Qui a parentibus claris degenerarunt... 226
— VI. De illustribus, qui in veste aut cætero cultu licentius sibi indulserunt 229
— VII. De fiducia sui 232
— VIII. De constantia 245

LIBER QUARTUS.

— I. De moderatione. 259
— II. De reconciliatione 276
— III. De abstinentia et continentia 281
— IV. De paupertate 294
— V. De verecundia 302
— VI. De amore conjugali. 307
— VII. De amicitia 313

Digitized by Google

Cap. VIII. De liberalitate. . . . . Pag. 325

LIBER QUINTUS.

— I. De humanitate et clementia. 331
— II. De gratis 348
— III. De ingratis 359
— IV. De pietate in parentes. 373
— V. De benevolentia fraterna 383
— VI. De pietate erga patriam. 388
— VII. De patrum amore et indulgentia in liberos 397
— VIII. Qui severi adversus liberos 401
— IX. Qui moderati erga suspectos liberos. . 405
— X. Qui filiorum obitum forti animo tulerunt. 408

LIBER SEXTUS.

— I. De pudicitia. 413
— II. Quæ libere dicta, aut facta 421
— III. De severitate 431
— IV. De graviter dictis, aut factis. 441
— V. De justitia. 447
— VI. De fide publica 456
— VII. De fide uxorum erga maritos 460
— VIII. De fide servorum erga dominos. . . . 462
— IX. De mutatione morum, aut fortunæ. . . 467

FINIS PRIORIS VOLUMINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google